






BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
RACCOLTA NEI ALDINI
ALDINI
I
5
31









C. p mos


Lib. var. ss





Pontani Opera Tom. 2.us

Venet. 1519



IOANNIS IOVIANI PONTANI.

BELLI, QVOD FERDINANDVS SENIOR NEAPOLITANVS REX CVM IOANNE ANDEGANIENSIVM DVCE GESSIT, LIBRI SEX.



IOANNIS IOVIANI PONTANI DE ASPIRATIONE AD MARINVM TOMACELLVM LIBER PRIMVS.

e T PER COMPATREM Marine Tomacelle saepius mecum egisti, & per literas à me ipse petiisti, ut aliquid tibi de aspiratione conscriberem. Itaq; cum honesta uideretur postulatio ista tua, licet difficile non parum esset praestare quod peteres, homini praesertim in castris, & inter inquietissimas res agenti, decreui tamen grammaticorum me potius maledictis exponere, quàm ueteri amicitiae nostrae ullo modo deesse. Quamobrem librum hunc de aspiratione, aspirandisq; uocibus, ut iusseras, scriptum nunc ad te mitto, illorum detractiones cum mea hac parendi facultate pensaturus. Oro autem te, & per ipsorum grammaticorum obtestor ferulas, ut ante quàm populo legendum eum praebeas, atq; in lucem des, et tuum, & amicorum, qui studia haec non aspernantur, iudicium diligenter explores, quo emendatiora haec in adolescentium manus per te ueniât. De utilitate autem praeceptionis huius nihil dico, quoniam laudatores non quaero, satis quidem contentus si qui literario hoc in ludo sese exercent minus acres eos reprehensores inuenero.

ASPIRATIO EST HVMANI SPIRITVS crassitudo, qua literarũ sonus crassior in pronutiando redditur. Cũ autem omnis literarum numerus constet quinq; tantum uocalibus, reliquis uero consonantibus, sintq; consonantes quindecim (nam K' à latinis repudiata est) uocales omnes suo loco aspirationem accipiunt. E consonantibus uero quatuor tantum. Ex omni igitur literarum numero nouem solum aspiramus. Quarum sunt uocales quinq; A', E', I', O', V', & quae graeca dicitur litera ύ. Consonantes quatuor C', P', T', R', quarum tres mutae, vna semiuocalis, uocalium soni ut aliquando ab aspiratione incipiunt, sic in ea nunquam desinunt apud nos, praeterquam in his dictionibus Ah, vah, Oh. Cum enim enuntio halo, halas, halat, ab ipsa aspiratione uox incipit. At cum Ah in ea desinit, quod itẽ fit in consonantibus, quae in aspiratione desinunt licet ab ea nunq̃ incipiant. Fit autem semper aspiratio apud nos aut in principio syllabae cũ à uocali incipit, ut hamus, uehemẽs, aut in medio ubi consonãti

adhæret, ut Thetis, Rhodus. Nam in fine uocum nostrarum nunquam aspiratio inuenitur, nisi in interiectionibus, quas dixi. Similiter in consonante densa nulla omnino desinit latina dictio. q̄q̄ apud barbaros permultæ. Sed barbari aspiratione ita utuntur, ut sit ipsis peculiaris, et quodammodo propria. Græci non adeo sæpe, nostri, ac præsertim uetustissimi parcissime.

C', & T' aspiramus in græcis tantum dictionibus, quasq; à græco deduximus, & in barbaris, ut Charites, Theocritus, Thamar, Rachab, Similiter P', & R' ut Phasis, Rhodus, Iosephus, Rhoboam. in nostris nunquam. quamuis nonnunquam in quibusdam, quæ nostræ uideri possunt, ut Rheda quod nomen cum sit græcum, uel, ut quidam malunt, gallicum, nostrum effectum est.

Licet autem C', & T' in quibusdam nostris dictionibus, de quibus suo loco dicam nunc aspiremus, Vsus tamen magis id obtinuit quàm quod latinæ linguæ lex id permittat.

Quemadmodum autem literarum sonus, qui cuiq; suus est uel obtusior est, uel acutior, uel exilior, uel plenior, uel leuior, uel asperior, pro contextu, aliarumq; cohærentium uicinitate, proq; positu, ac loco, cum aut primæ, aut mediæ, aut ultimæ constituũtur. sic aspiratio, nunc magis nunc minus crassa, & densa est. Si enim pronuntiem psittacus, & sonus tenuius in priore sonabit S' quæ præcedente P' tenuatur adeo, ut quasi exsibiletur. Eodem modo si enuntiem Sol & Tellus facile quidem aures ipsæ iudicauerint plenius sonare L' in dictione Sol, exilius in uoce Tellus, mediocriter autem si expresserim, aut Lotus, aut Latus, aut Deletus. Non erit enim in his L' adeo plenum, ut est in nomine Sol, neq; ita exile, ut in nominibus in quibus L' duplicatur. Hoc idem in aspirando accidit. Nam si enuntiauero Vah maior est densitas, si Homo minor. Item cum dico Thetis, Phidias, Rhenus aspiratio non est in his æque, ac in illis crassa. quod aures ipsæ facile iudicant Cum enim dico Vah spiritus ille densior, uegetiorq; est, quàm cum effero Hamus, & cum enuntio Rhodus aspiratio est plenior, q̃ cum Thomâs. At Philo, & Phidias, & Deiphobe & Demipho pronuntiantur labris paulo strictioribus. Et ubi effero θεὸς dentibus linguam admoueo, quæ quidem cohibetur interius cum enuntiatur Homo. Accidunt autem hæc tum propter naturam, & situm literarum, quæ aspirationem admittunt, tum quia non parum differt quæ litera statim sequatur.

VOCALIBVS aspiramus tam in primis, & ultimis syllabis, quàm etiam in medijs eodem modo. C', P', T', R' consonantibus, de

quibus particulatim postea dicam. Ob hanc enim causam hoc quantulumcunq; laboris est, mihi desumpsi, ut ostenderem quae dictiones in quibus literis, syllabisq; aspirationem exigant. Quod ante quàm praestem Consyderandum uidetur an aspiratio id est H' litera sit, habeat'ne literae potestatem, an figurā tantum. quodq; in ordine contextuq; literarum cum eis scribatur.

ASPIRATIONIS Notam à nostris literam non fuisse habitam illud indicio est, qđ olim nō uti nunc aspiratio figurā habebat. Sed ut apud graecos hodie fit supra uocalem apex quidam notabatur quam dasian illi uocant. Atq; ea quidem parcius multo, q̄ nunc, uetustissimos latinos comperio usos, & ferè in illis solum dictionibus, quibus natura inesset, ut animi motus quidā, & affectus declararentur, quales sunt Heu, hei, heiulo. Posteriores uero figurā aspirationi certam dedere, & inter literas notare maluerunt. Sed neq; hi, de quibus loquor, neq; nostri etiam temporis grammatici literam esse confitentur. E' quibus si quaeras, quid ea sit hactenus definient, ut H' aspirationis notam esse dicant. Cur autem literam esse negent, multis ac probabilibus adducuntur rationibus, quas si confirmauerim non erit fortasse inutile latinis adolescentibus. Aiunt enim uerum esse quod L' sit litera lenior, R' asperior. Lenitatem tamen, & asperitatem non esse literas. Eodem modo & aspirationem. Neq; enim consequi, si elementum aliquod densiore egeat spiritu, ut densitas, & crassitudo illa sit litera. Nam huiusmodi densitas accidens est ut tenuitas, ut lenitas, ut asperitas, qđ si à philosopho aliquo scire quaeras quo de genere densitudo haec sit, respondebit ut arbitror situm sequi, atq; positionē quamuis grammaticus quispiā qualitatem significare contendet. Sed quaerere haec subtilius, est alterius facultatis, ac temporis. Ob diuersas enim rationes diuersa sequitur praedicamenta.

QVID Quod si H' esset litera, aut esset muta, aut semiuocalis. Nam uocalem non esse illud planè docet, quod ea sola quod uocalis quidem praestat, syllabam ex se formare nullo modo potest. Semiuocalis autem quomodo? Siquidem semiuocales ex maxima parte cū uocalibus simul nomina terminăt tam apud nos, q̄ apud graecos (Ideo autem dixi ex maxima parte) qa et in C', et in D' et in T' quae mutae sunt aliquot exeunt nomina. ut Lac, Aliud, caput. et quae pronomina sunt Hic, Haec, Hoc. Nō loquor de barbaris apud quos nomina etiā in Z' exeunt qui quàm sint contemnendi in omni praeceptione quae de orationis concinnitate tradatur, illud planè docet, quod qui aut non apte, aut non satis latine, aut incultius loquitur, eum barbarum dicimus.

uerecundius loquor propter Antonium nostrum qui galeaz protulit. ait enim.

» Ardeo mi Galeaz mollem reperire catullum.

Vicit enim in quibusdam consuetudo cui necesse est, ut docti etiam homines, quanquam inuiti assentiantur. Cum & ille ad quem scribebat uel molestissime fuisset laturus, quasi nominis dignitas minueretur si quod latinus exigebat sermo Galeatius fuisset uocatus. Sed concedatur hoc poëtæ erudito, præsertim in quo necesse fuit, ut assentiretur multitudini, cum pleriq; barbarum id nomen arbitrētur. Ad aspirationem redeo, si tamen illud præmonuero. cum Z' græca sit litera id est quam à græcis accepimus non debere aliquam apud nos terminare nomina. Cum apud illos à quibus eam mutuati sumus, græcum nullum finiat. quanquam barbara multa in illā exeunt, ut Aciz. Nullū omnino nomen aspiratio claudit, quod omnes faciunt semiuocales. Non est igitur H' semiuocalis. Quid? quod semiuocalium omnium præterquam X' quæ duplex est enuntiatio ab E' uocali incipit, & in consonantem, id est in se ipsam desinit. At H' etsi uidetur quodammodo ab A' uocali incipere, non tamen exit in consonantem, sed spiritu suo terminatur. Ad hæc semiuocales omnes præter X' sibi possunt eædem succedere, & geminari in nectendis syllabis. ut in his Annus, Terror, Fossor, Commodum, Tellus, H'. uero non potest. nulla. n. syllaba in aspirationem desinit, si subsequens ab illa incipiat. Quin etiam in terminationibus nominum semiuocales omnes præter quas dixi, inueniuntur præcedere S' terminalem ut Puls, Ars, Hiēs, Glans, quod H' non facit. Quo efficitur eā nullo modo esse semiuocalem. Ideo autem X' excipitur, quia duplex est. Habet enim uim GS', & CS', At erit fortasse muta, Sed mutæ omnes præter F' à se incipiunt & in uocalibus desinunt. quod de H' dici non potest. Quid? quod mutæ in eadem syllaba cohærere sibi duæ tantum possunt, ut in hac uoce Doctus. Mixte autem cum semiuocalibus ad summum tres ut in nomine Doctrina. At cum Erichthonius. tertia eius nominis syllaba A', C', aspirato incipit, qđ statim subsequitur T' aspiratum. Quod si H', esset aut semiuocalis ut muta, ea syllaba ex quatuor consonantibus simul coeuntibus componeretur, quod linguæ latinæ lex non permittit. His igitur rationibus efficitur, ut cum H', nec semiuocalis sit, nec consonans, litera esse non possit. Nam si nec muta nec semiuocalis est consonans quomodo dicetur? & uocalem non esse satis manifestum est. Dixerit quispiam eam esse literam à græcis acceptam, ut Z'. & Y'. quod dictu quidem

absurdum est. Nã quæ ab illis dasia dicitur, non inter literas sed pro sodias numeratur. Idemq; est apud græcos dasia C' cum aspirant uocalibus, quod est apud nos H', nec nisi nota quædam est, quæ supra uocalem ponitur. Licet P', C', T', cum aspirationem accipiunt, nõ ut uocales dasia notentur, sed proprijs scribantur figuris, de quibus suo loco dicam. Sunt autem apud græcos prosodiæ octo, quarum nomina, ac notæ sunt. ὀξεῖα. ´ βαρεῖα. ` περισπωμένη. ῀ δασεῖα. ʽ ψιλή. ʼ ἀπόστροφος. ʼ ὑφέν. ‿ ὑποδιαστολή. ˏ Addunt nonnulli βραχεῖαν, ‿, & μακρὰν – Harum tres ὀξεῖα, βαρεῖα, & περισπωμένη accentum notæ sunt, ut apud nos acutus, grauis, et utrisq; constans moderatus, quem alio nomine circunflexum dicunt. δασεῖα nota est densioris, ac pinguioris flatus. ψιλὴ tenuioris, siccioris'q;. ἀπόστροφος uero quæ est dextera pars circuli ad summum literæ posita, tum notatur cum ostendendum est deesse uoci ultimam literam, quod à græcis seruatur cum uocales concurrunt. Ex qua institutione illud est, quod non modo Plauti, sed etiam Lucretij temporibus, & dicebatur, & scribebatur in uersu magnũ'st & multũ'st. pro eo quod magnum est, & multum est. ὑφὲν cuius nota est lineola repanda dictionibus subijcitur cum duas uoces coisse simul, & in unam transisse, demonstrare opus est. Vt si ostendere uelis maledoctus & malesanus in unam coisse dictionem. quomodo apud Virgilium ante malorum. & apud Nasonem Antemei. et apud Propertium semperamicitia. Atq; apud Terentium Semplenitas. Contraria est διαστολὴ ut si particulam nisi, & sicut, non unam, sed duas esse dictiones uelis ostendere. Reliquæ duæ notæ sunt temporum idest βραχεῖα breuitatis, μακρὰ productionis. Ex qbus satis manifestum est δασεῖαν apud græcos, ut cæteras prosodias, non esse literam, sed notam quandam, quod idem de H' dicere necesse est.

PRAETEREA Cum accidat literæ potestas, quæ, ut Prisciano uidetur, ipsa pronuntiatio est, & item figura qua describitur, & nomen quo appellatur, ut non solum pronuntiatione sed etiam figura, & uocabulo alia differat ab alia, neq; propter solam figuram, neque propter solum nomen. neq; propter utrunq; simul, dicendum est aliquid esse literam. Nam & numerorum figuræ quædã sunt, quas literas dicere nemo audeat, & lineæ, trianguli'q; sua nomina, & figuras habent. Itemq; accentus, et prosodiæ, quas dixi, quæ tamen literæ non sunt. Eodem modo H', licet figura, & quasi nomine minime careat, litera tamen non est. At scribitur H', in uersu scribitur etiam parenthesis, & Lineola, quam uirgulam dicunt, & no

ta interrogationis, quamuis nihil horum sit litera. Neq; illud dederim, ut uerbum scribo de literis tantum dicatur. Nam scribuntur orationes, scribuntur epistolæ, carmina, uolumina, quæ literæ non sunt, tametsi constant literis. Ex eo enim scriptores dicti. An non legitur apud Valerium Catullum.

» Nãq; totius uobis frontem tabernæ scipionibus scribam,

» Quod quidem sonat ut plautinum illud

» Quo te legam hoc Scipione.

Quid composita quàm late proferunt significationes suas, Ascribo, Proscribo, describo, ut nõ potuit pictor rectius describere, quod Plautus dicit de eo qui hominem quendam quasi suis liniamentis designauerat. & apud Virgilium.

» Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Mathematici enim cœli ambitum, ac stellarum sphæras, et teræ quã incolumus partes quibusdam distinctas angulis, ac gradibus, figurãt lineis, & intra circulos cogunt, ut autem aliquantulum uager hoc à poëta de Conone Samio nobili mathematico dictum est, nõ de Claudio Ptolemæo, ut Maronis interpretes credunt. qui quidẽ multis post Virgilium annis floruit. Fuit autem Conon hic temporibus Ptolemæi Regis à quo propter disciplinam summo in honore est habitus, qui cum cœli situm describeret, quasdam stellas quæ sunt in eo sydere qui Leo dicitur, crines esse Berenices Reginæ commentus est. De quo est apud Hyginum in libro de signis cælestibus. Et apud Valerium Catullum.

» Omnia qui magni suspexit lumina mundi.

» Qui stellarum ortus comperit, atq; obitus.

» Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur.

» Vt cædant certis sydera temporibus.

» Idem me ille Conon cœlesti numine uidit.

» È Bereniceo uertice cæsariem, & quæ secuntur,

Sed ad rem redeo. Sit sanè. H'. figura quædam quæ inter literas notetur. Non enim id quæritur possit'ne. H', scribi in uersu, & literis admisceri. Sed sit'ne, H', dum effertur elementum. Sit'ne pars minima dictionis, ut A', ut, B'. Dum enim ab aliquo quærimus sit'ne T' litera, non id quæritur possit'ne scribi inter literas. Sed num T' sit minima pars compositæ uocis, sit'ne elementum formandæ syllabæ dictionis, & orationis.

SVCCVRRIT etiam illud quod prætereundum non uidetur, hoc est opinari quosdam debere tum literas appellari cum scribun-

tur elementa cum pronuntiatur, quorum opinio non me impedierit, quominus elementum pro litera, & literam pro elemento indifferenter accipiam. Nam si origo nominis consyderetur litera à uerbo Lego deducta est, à quo & Lectio, quæ profectò absq; pronuntiatione, & sono esse non potest, quamuis tamen tacentes interdum legimus. Sed qui primus literam à Lego uerbo deduxit, non illud attendit, quod interdum sine pronuntiatione literarum figuræ percurrantur oculis, quin tacentes sæpe nobiscum loquimur & disputamus. Loquitur enim secum animus, & disputat, & tacitus legit, q̄q̄ nescio quo pacto moueri, & affici tunc in nobis ipsis, uocis instrumenta sentimus, adeo tacita etiam lectio non sine motu quasi quodā pronuntiationis, atque affectu esse potest. Ad hæc apud eruditissimos grammaticæ artis scriptores indifferenter literam pro elemento poni reperio, ut cum ab eis dicitur litera B' non potest continuari cum litera M' in eadem syllaba, non id dicitur non posse eas sic scribi. Siquidem possunt, sed nequaquam posse unà pronūtiari. Ipse quoq; Cicero literam nominat quod si litera solum diceretur cum scripta est, uel quod scribitur, falsum utiq; esset, quod à grammaticis dicitur literæ accidit potestas. Nam si potestas, ut hi ipsi dicunt, ipsa pronuntiatio est, propter quam figuræ, & nomina inuenta sunt, literæ potestas accidere nullo modo potest. Similiter si dicatur, quod elemento accidat figura, ne id quidem uerum fuerit. Nam si tum dicitur elementum, cum pronuntiatur, figura nullo pacto elemento accidet. Igitur cum doctissimus grammaticus dixit literæ accidit potestas, figura, & nomen, literam, & elementum simul comprehendit. Quamobrem dari mihi hoc uolo, ut literam & elementum hac præsertim in parte dicere indifferenter liceat. non tamen desunt qui literam à litura dictam uelint, quod apud uetustissimos fuerit consuetudo scribendi in tabulis ceratis, quorum opinioni non temere qs accesserit, ut ab eo quod est Litus, Litam, Litum, litera dicta fuerit. Cuius uocis apud Virgilium manifesta significatio est.

» Vt paribus lita corpora guttis.

Hoc est maculis notata & distincta, quod idem dixit alibi.

» Sparsis etiam nunc pellibus albo,
» Et maculosæ tegmine lyncis.

Illud autem minime probauerim ut inde dicta sit litera, quod deleretur obliteraretur'q; è tabulis, in quibus ut dixi, scribebant. An non absurdum est id asseuerare, ut litera appellata, fuerit ab eo, propter quod ipsa esse desineret. Desinit enim esse litera, ubi deleta,

& obliterata est. Manifestum est igitur ex iis, quæ dicta sunt, licet H'. & figura, et quasi nomine minime careat, tamen si potestas ei desit literam esse non posse, quam deesse probandum nobis est.

QVEMADMODVM Dixi, placet grammaticis, literæ, aut si mauis elementi potestatem esse pronuntiationem ipsam, nec aliquid aliud ex accidentibus eius esse quod ostendat elementi cuiusq; proprietatem, qua quidem carere aspirationem affirmant, qua si non careat cum & nomen ferè, ut dixi, habeat, & figuram certam propriamq; nimirum literam esse necesse esse. Primum quidem definitio ipsa planè declarat, aspirationem neq; dici, neq; esse pronuntiationem. Si quis enim te interroget, quid est aspiratio, respondebis. Opinor eam esse quandam humani spiritus, flatus'ue densitatem (Nãq; utrunq; dici recte potest) aut si id malis, crassiorem quendam spiritum. Si quis rursus ex te quærat, quid densitas illa sit, scio responsurum nullo modo uideri tibi eam densitatem esse pronuntiationem. Itaq; cum densitas spiritus pronuntiatio non sit, & aspiratio sit densitas spiritus. H'. quæ aspiratio est, pronuntiatio esse non potest. Non aliter quàm Suspirium, Scloppus, Anhelitus, Suffitus'ue, qui spiritus, & soni quidem sunt, non tamen pronuntiationes. Fit autem nomen aspiratio ab eo quod est aspiro. Rursus aspiro fit à uerbo spiro. spiro autem à spiritu, ni forte malis Spiritum dici à spirando. Pronuntiatio autem est uox literam, uel syllabam, uel dictionem, uel orationem proferens (non loquor de oratoria pronuntiatione) qui autem exspirationem exprimit nihil tale pronuntiat. Est igitur crassitudo spiritus, sicuti tenuitas, lenitas, asperitas, non pronuntiatio, sed soni, uocisq; accidens, ut dixi. Atq; ut dem H' esse pronuntiationem, dicas uelim quonammodo efficietur ut H' si pronuntiatio est, litera sit? Quod enim accidit literæ, non est litera. Cum autem pronuntiatio, idest potestas accidit literæ, non erit ipsa litera, sicut nec figura, nec nomen, quanquam literæ accidunt, non sunt tamen literæ hoc est elementa. Itaq; etsi concessum sit H' pronuntiationem esse, cum pronuntiatio, id est potestas accidat literæ, non tamen H' erit litera. Nam potestas accidat literæ, & non est ipsa litera, quàm ut esset litera, necesse fuerat & pronuntiatio id est potestas ei accideret, non ut ipsa esset pronuntiatio. quod enim potestas est, litera esse non potest. Nam cum potestas sit accidens commune quidem literæ cum syllaba conuerti nõ potest. ut dici uere possit potestatem, idest pronuntiationem esse literam. Ex his, ut arbitror, effectum est H' id est aspirationem nullo modo habendam esse literam. quæ tametsi li-

tera non est, non tamẽ à grammaticis quod tu ipse concedis plene definitur, ut ea sit aspirationis tantum nota. Nam hæc definitio solum complectitur cum scripta est, uel quod scribi potest. non idipsum qđ est. Quamobrem quoniam scio te uehementer cupere eius à me definitionem accipere, faciam id libentius causa tua, qui non contentus doctissimorum hominum definitione, exspectes meam.

EST IGITUR Idipsum quod H' dicitur aspiratio, qua literæ alicuius sonus crassior in pronuntiando redditur. cuius figura inter literas scribi potest. Quam quoniam superius dictum est solere præponi uocalibus, consonantibus postponi. Cur id fiat ratio reddẽda est, ostendendumq; cur illis interiectionibus, quas dixi postponatur.

VOCALES Literæ dictæ sunt, quod plenam, absolutamq; uocem habeant. Quin & homines uocales dicimus, & Citharam uocalem, Unde Horatius.

» Vocalem temere Insecutæ Orphea siluæ.

Et Propertius de equo.

» Qualis & Adrasti fuerit uocalis Arion.

Aspirationis autem ea natura est ut præposita cum sit sonoritatem uocalis densitate sua obtundat, atq; diminuat, quæ res efficit ut uocalitas illa cum reprimenda est. Aspiratione præposita quasi freno quodam coerceatur. Consonantium uero alia natura est. Hinc enim consonantes dictæ, quod cum uocali sonent, cum ipsæ per se nequeant uocem perficere. Itaq; si quando opus sit ut. C', P', T', R', suos augeant sonos, ualentiusq; quàm sua ipsarum natura fert, sonent. aspirationem accipiunt intrinsecus, quæ cum postponitur auget sonum qui consonanti minor est. Atq; hinc effectum est, ut quia uocales maiore non indigent sono, quàm qui suus ipsarum est, aspiratio eis præferatur. Contra uero postponatur consonantibus, quarum soni cohibendi non sunt. Quippe qui parum sonent, sed laxandi potius, qđ quidem aspirationis adminiculo consecuntur.

CUR Tamen ex omnibus consonantibus quatuor tantum aspiremus hæc est ratio, quod cæterarum natura non ferat aspirationem. repugnat enim natura ut B', ut D', ut M', ut L', ut S', ut N', adijci sibi eam patiantur, multo etiam minus F'. Nam G' in dictionibus quibusdam quas ab exteris nationibus Italica accepit lingua, uulgus aspirat, ut Ghinolphus, quod proprium est, et multa eiusmodi, idq; maxime usurpant hi populi, qui galliam, quæ cis alpes est, incolunt, quæ hodie dicitur Longobardia, quoniam Longobardi ea loca sub Desyderio Rege, alijsq; gentis suæ ducibus diu occupata tenuerunt.

vnde id genti nomen nunc est. Hispani quoq;, hoc est, qui hodie uocantur Catalani aspirant sæpissime G' sequente aut I' aut E' ghi et ghe dicentes, ut Berengherius, Figherius, Segherius, & id genus multa. Quin etiam apud eosdem Catalanos multa inuenias nomina quæ in aspiratione desinant. Sed ad Italicos redeo, Ligures, insubresq; sic hodie locuntur, ut quod latinus sermo non patitur, in plurimis uernaculis uerbis ghe, & ghi pronuntient, quid quod cum litera G' apud latinos nunquam iungatur literæ V' ante uocalem in prima dictionis syllaba. Sed aut in media ut Langueo, aut in ultima dictionis syllaba. ut Pinguis. eò deuentum est, ut omnis Italia non paucas quidem dictiones habeat à Gua, Gue, & Gui incipientes. Video mihi necesse esse, ut uernaculorum etiam uerborum, & eorum quidem barbarorum afferam exempla, quod quanquam inuitus facio, ueritus ne latini sermonis candorem nouorum, ac barbarorum nominum admixtione contaminem, tamen quia præcipiendi ratio cogit, accedam non quo uoluntas, sed necessitas traxerit. Doctorum tamen hominum uenia prius implorata, neq; enim ipse sum condemnandus, sed fatorum uis, ac fortunæ improbitas accusanda, quæ dominam quondã gentium, ac nationum Italiam seruire barbaris coegit, ac patrio obliterato sermone, insuetas asperrimasq; accipere dictiones. Est igitur quotidie nobis in ore Guardia & pro Custodia, & pro Excubijs. Idq; nomen multorum etiam oppidorum est, & Guerra pro Bello, & quod licet latinum tamen corruptum. Guastare pro Vastare, & Gualterius, & Guido, & Guilermus. Quid quod Varinus Veronensis doctus uir, tamen in hoc à multitudine nõ dissentiens nomini suo quod Romanum est. (A' Varo enim seu malis Vario sit Varinus) G' præponebat semper, & Guarinum scribebat.

ILLE uero tres interiectiões Ah', Vah', Oh' in aspiratione desinũt. siue qđ uetustissimi dixere, Vaha', Aha', Oha', demptaq; ultima uocali aspiratio manserit, siue qđ is animi affectus magis declararetur si in aspiratione hoc est densiore sono ipsarum pronuntiatio finiat. Nam ut à barbaris eas uoces acceperimus, dictu quidem absurdum est. scilicet latini non prius hos animorum affectus, aut expresserunt, aut exprimere potuerunt, quàm has dictiones à barbaris mutuati essent. Vanum hoc est, siquidem hæ uoces nostræ sunt non barbaræ. Sunt etiam, qui huic interiectioni pro, quæ exclamandi uox est, aspirent. quod contra usum maiorum est. Differt enim à præpositione Pro, non in aspiratione, sed solo accentu.

Quanquam autem hæc a' me in hunc modum dicta & probata sunt, non desunt tamen, qui contendant H', multum habere literæ, ut quod literæ proprium sit in aliam conuerti, ipsa quoq; in literam mutetur. ut in his Traho, Traxi, Veho, Vexi, & cum dicitur Vesper pro eo quod est Hesper, & pro cheta seta, et pro Hex Sex. quodq; nonnũquam ita locetur in uersu, ut eius ui syllaba, quæ breuis præcedebat, producatur. ut apud Virgilium.

» Dum trepidant it hasta tago per tempus utrunq;.

Quo uno exemplo in primis utuntur quod in hoc uersu syllaba IT' producatur ui tantum insequentis aspirationis, non quod natura metri toleret breuem illic syllabam posse collocari. Nam apud poëtas in tertijs, quintis, septimis nonisq; syllabis, quas tritimemerim. pentimemerim. heptimemerim. enneamemerim isti uocant grammatici. Latinæ autem dicuntur cæsuræ, breues interdum statuuntur nulla sequente aspiratione. quod metri lex non semper prohibet. ut apud Lucanum in tertia syllaba.

» Dum sanguis inerat.

Apúd Tibullum in quinta.

» Te canit agricola magna cum uenerit urbe.

Apud Virgilium in septima.

» Et furijs agitatus amor, & conscia uirtus.

In nona apud Catullum.

» Iam ueniet uirgo iam dicetur hymenæus,

Quanquam sit hic aspiratio. sed aliud in præsentia non susurrit. Licet igitur in his syllabarum imparilitatibus etiam correptas aliquando collocare. Scire autem oportet in metris dimetiendis duas correptas pro una producta accipi. Nam etsi pentimemeris uideatur non nunquam exire in syllabã quæ est septima numero, tamen si de duabus breuibus unam productam subduxeris, quintam esse ratio ostendet. Spondaici enim uersus licet diuersi sint generis, tamen qui proprie dicatur Heroicus, constat spondeis sex, qui sex conficiunt metra. Vnde dicatur Hexameter. Recipiunt tamen spondei in sede sua dactylos propter temporum parilitatem. Itaq; cum sex spondei. XII cogant longas syllabas, hac ratione Hexameter heroicus XII constabit syllabis. Cum autem dactyli recipiuntur si numerum syllabarum ad spondeos recenseas, & pro duabus breuibus unam productam numeres, inuenies pentimemerim, & quas dixi metrorum figuras cadere semper in locis suis. Loci autem earũ proprij sunt principia cuiusq; metri. singuli nanq; sine dactyli, siue spõdei singula con

ficiunt metra. In Virgiliano igitur de quo nunc agimus dici non potest tritimemerim, id est primam cæsuram cadere in locum suũ, hoc est in principium secundi metri. Vbi breuis syllaba potest aliquando collocari. Nã IT' particula quæ est secunda syllaba secundi metri, natura sua correpta est. Ex hoc igitur probatum esse uolunt. H'. aliquando literæ uim habere cum accessione sua præcedentem syllabam, quæ breuis sit producat, in ijs præsertim locis, qui cæsurarum, quas dixi proprij non sunt.

CONTRA autem sunt & docti quidem uiri, qui opinentur. H', quoniam litera non sit, uim literæ habere nequaquam posse. Negant enim in his præteritis Traxi, Vexi, H' in X' uerti. quod enim litera non sit non posse in literam transire. Dicunt enim omnium præteritorum terminationes exire aut in syllabam, quæ duabus pluribus'ue structa sit literis, ut Amaui, Nupsi. Aut quæ ex sola, & læuigata constet uocali, ut Docui, Habui, hãc uero terminationem. Hi'. neq; ex duabus pluribus'ue literis fieri, neq; ex pura, & tersa uocali, placuisse propterea latinis in formandis his præteritis Traxi, & Vexi mutuari sibi hanc mutationem Xi' quæ multorum præteritorum esset propria, ac tametsi alias sibi potuissent mutuari, ut Bi', ut Gi', ut Ci', ut Vi', ut Psi', tamẽ auribus consulẽtes iudicasse aptius exire Traxi, Tractum, & Vexi, Vectum, quàm Tragi, Vegi, aut in aliam terminationem, proptereaq; maluisse in Xi' præteritum mittere à Traho, & Veho, non quod Hi' in X' uerterent, sed quod ab alijs uerbis mutuarẽtur eam terminationẽ, quæ aptius caderet. Idq; minime mirum uideri debere aiunt, cum aliquot etiam uerba integra, præterita mutuentur ab alijs uerbis quæ sunt Furio, Insanij, Sum, Fui, Fero, Tuli, Ferio, Percussi. Quid enim absurdius esse, q̃ cum H' litera non sit, id asseuerare, ut in X' quæ duplicis literæ locum tenet, conuertatur. His addunt quod cum prisci dixisse inueniantur Traso, & Veso, nihilominus Traxi, & Vexi præterita faciebant. ac propterea multo minus dicendũ esse quod H' uertatur in X' in his præteritis. Cum non H', sed F' esset olim in præsentibus temporibus. Nam cum illi Traso in præsenti tempore, & Traxi in præterito dicerent, non H', sed F', potius in X', uersum esset. In illis autẽ nominibus Vesper, & Sex similiter affirmant H', non uerti in literam, sed loco eius S' esse positam, quod ut ita esse ostendant. Altius quidem repetunt.

PRINCIPIO scire licet non è cælo in terras rerũ nomina delapsa esse, sed cum homines ad loquendũ aptos natura produxisset ipsi sibi,

rebusq́; indidere nomina, quod uel ex hoc licet cognoscere, quod cũ artibus simul sua ipsarum nomina, & instrumentorum quibus artifices utuntur, item rerum earum, quarum artes sunt effectrices, uocabula inuenta sunt. Ante texturam enim inuentam cum homines pellibus, aut librorum, foliorumq́; tegumentis operirentur, nec telæ, nec texturæ, nec ipsorũ textorũ exstabant nomina, multominus textoriorũ, ferramentorum, ac uestiũ, quarum rerũ uocabula, ne nũc quidẽ apud Canarios sunt, apud quos nuper cõpertum est ab Hispanis prædonibus nullum esse telæ genus, sed nudos eos uitam agere pecudum tantum pellibus quadam corporis parte tectos. Contra uocabulis illi abundant, apud quos plures artes, disciplinæq́; exercentur. An non hodie uidemus genera armorum quibus nunc utimur noua pleraq; habere nomina? Sunt enim nuper inuenta. Idẽ dico de uestimentis, nauigijs, et rebus plurimis. Ex quibus planè perspici posse dicunt nõ naturam, aut Deum aliquem, sed homines ipsos rerum nomina fuisse commentos. Quod si quæ sola natura absq; hominum artificio laboreq́; gignuntur, pro situ regionum, ac locorum, quanquam eadem ipsa sunt, qualitates tamen easdem non retinent, sed illas ita mutant, ut ferè contrarias induant, quid de illis dicemus, quæ homines ipsi comminiscuntur, ac præsertim de uocabulis? Videmus enim unã, eandemq́; rem aliter Græcos, aliter Latinos, aliter Syros, aliter Germanos, aliter alios, atq; alios uocitare, ut illos hi, hos illi nõ intellegant. Quid quod idem uocabulum apud eos, qui eadem utuntur lingua ijsdem literis non pronuntiatur? Hetrusci in quibusdam uocibus pronuntiant ui, populi quidam Italiæ bi, germani fi efferunt, quod inde fieri uolunt, quod apud alios sit hæc quàm illa litera magis, minusúe familiaris, & usitata quod è uernaculis quibus nunc utimur uerbis aperte potest intellegi. Si enim unum, idemq́; uerbum ab Hetrusco, et Longobardo, et Apulo proferatur, mirificam uideas, et literarũ et pronũtiationis diuersitatem, ut penè nõ idẽ quãuis idẽ sit, esse uideatur, quæ res efficit ut minus admiremur si quidam Italiæ populi quondam O' non habuerint, sed loco eius (ut grammatici tradunt) V' uterentur. Quã tantam uarietatem, non esse dicunt ex hoc, quod fiant literarum conuersiones (quid enim habet Apulus, Hetruscusúe cum Alpino commercij?) sed ex gentium pronuntiationibus diuersis. quodq́; hæc quàm illa litera sit uni, quàm alij nationi familiarior, aut minus cognita. Siquidem diuersas gentes diuersis modis uti ad sentiendum, sic ad loquendum pro temporibus etiã, atq; ætatibus affici physicis placet. Itaq; cum dictio Hesper à latinis

fuit recepta quoniam aspiratio uideretur asperior, præsertim cum esset rarissimus eius usus placuisse quibusdam lenire eam, & quod V' dum consonans est in uerborum principijs esset latinis admodum familiare, ut Valeo, Venio, Vendo, Vereor, Vates, Vita, Vinum, Volo, Vitulus, Vicus, Vitia, Voco, Vultus, Vultur, Pro eo quod est Hesper, Vesper dicere maluisse, nec tamen defuisse qui græce libentius Hesper dicerent, pro quo cum Vesper dicitur, uolunt non uerti aspirationem in V' sed abijci eam, ac repudiari, & eius loco positam esse eam literam, quæ priscis esse tantummodo peculiaris. Hispani a quibus propter Regnum Neapolitanum non pauca nomina accepimus, dicunt Hernandum pro quo nos Fernandum. Dicemus igitur aspirationem uersam esse in F'? minime profecto. Nam italica idest uernacula lingua, nullos ad hunc diem præceptores habuit, quorum institutionibus formati hanc doceamur facere conuersionem. cum tamen natura magistra hoc faciamus. Et ut arctioribus nos rationibus urgeant, nihil causæ est inquiunt, Cur H' mutetur in B', & tamen pro Helena, Belenam dixisse uetustissimos constat, uidelicet, quod illi aspirationem horrebant. B' Familiarius utebantur. Nam et Bruges pro eo, quod est Fruges, dixisse manifestum est. Addunt etiam opinari se, si Ciceronis temporibus cum Helena dicebatur, aspirationem Romanus uitare uoluisset, Velenam fuisse dicturum, quia homines illius seculi V' consonante magis uterentur. Quæ quidem omnia nationum, ætatumq; diuersitate fieri affirmant. Quid? non'ne latine testudo dicitur & capparis? At Neapolitani non T', sed C', primam testudinis faciunt. Cōtra Hispani primam capparis, T', fecerunt. ijdē etiam Neapolitani primam syllabam Capparis quàm est CA' interposita aspiratione & I', chia exprimunt, & pro fortuna forturam dicunt. Seruat hodie quoq; Neapolitanus latinam pronuntiationem huius imperatiuæ uocis Audi, pro quo Florētinus dicit Odi. Ex trāspadanis uero multi oldi pronuntiant, pro au ol dicentes. Quis hæc docuit? natura, non præceptor aliquis. quod latine planum dicitur plurimis modis uernacula lingua uariat in prima syllaba. Hetruscus enim loco. L'. ponit. I'. & pia non pla exprimit. Neapolitani loco. P'. & . L'. ponunt. C'. aspiratum et. I'. At Suessani dempta aspiratione CIA' dicunt, idq; in plurimis dictiōibus facile inspicies. Quin etiam soni mutati sunt. Nam. O'. & . E', cum finales sunt ab Italis in uernaculis uocibus ita quidem pronuntiantur, ut deprehendas eorum sonos, qui latine pleni, & clari sunt, obtundi, & obscurari. Afferunt etiam, Aeoles solitos hiatus causa interponere, F', maiores autem nostros. V'.

tem nostros V' loco F' ut in nomine dauus. nec non O' et C' inter iecisse, ut in his Redeo, Prodeo sicubi Comburo. et quod Plautus dixit. medergo. et quod hodie etiam dicimus redintegrare. Dicet hic aliquis Cur potius D' transibit in F' ut hoc in uerbo affero, quàm H' in V' ob id profecto quod D' literam in F' literam transire naturale sit pronuntiatione ipsa hoc exigente. At H' quod litera non sit. in literam ut transeat, naturam minime pati. Eosdem Aeoles Bretor pro Rhetor, et Brodos, pro Rhodos dixisse constat, ea ratione quod aspirationem fugientes pro ea digamma ponerent in dictionibus ab R' incipientibus. quod'q; recusarent digamma in eadem syllaba consonanti præponere in B' uertebant brodos, bretor'q; dicentes. Quibus adducti rationibus conantur probare aspirationem non uerti in literam. sed uitari potius et abijci. Affirmant'q; Aeoles B' magis q̄ aliam literam, pro eo quod est digamma posuisse, quod in nominibus ab R' incipientibus libenter B' uterentur. Addunt etiá opinari se et pro certo habere, si Delmatæ ab Aeolibus, quas dixi uoces mutuarentur, quanq̄ nullos hucus'q; habuerint pronuntiádi magistros, nó pronuntiaturos B' ut æoles, sed V' consonans quod sua ipsorũ lingua sic exigat. Est enim naturale Delmatis V' consonans præponere literæ R' ac simul cogere. ut cum dicunt urasi et ureche, quæ nomina apud Delmatas duarum sunt syllabarum, quod latina lingua aspernatur, et horret quáquam hodie non paucas uoces itali sic pronuntiant. Efferunt etiam Delmatæ V' consonans ante L' in eadem syllaba, ut in his nominibus Vladislaus, et Vlachia quorum prius apud eos tetrasyllabum est. Posterius trisyllabum, quæ nos proferre haud possumus. Ná de priori V' abijcimus et ladislaus dicimus. Posteriori autẽ addimus, A` & dicimus Valachia. Est enim cuiq; nationi sua pronuntiatio, suus'q; struendarum syllabarum ordo, & compositio. Quid q' cum I' apud latinos efficiatur consonás, nulla cósonáte ante se in eadẽ syllaba collocata, ut Ianus, Iecur, Troia, Peius, Conitio. In uernacula qua nunc utimur lingua C' ante I', ponimus & Cia, Cie, Cio dicimus. Quin etiá præposita semiuocali S' Scia, Scio, atq; interiecta aspiratione Schia Schio proferimus. Sed Illyrici, et Dalmatæ de quibus dixi suas habent literas. Et cum scribendum est Scia hac utuntur figura [figura] Cum autem schia, his [figura] [figura]. Nam Hieronymianis et Cyrillianis utuntur literis. Similiter cum scribunt Glia utuntur harum notarum alterutra A [figura] duabus tantum figuris eam scribentes syllabam, in qua nos quatuor ponimus, Apuli ita locuntur hodie ut in principijs multarum dictionum loco I', con

ſonantis S' pronuntient, & non Iugum, ſed Sugum, non Iannem ſed Sannem dicunt. Quin etiam in nonnullis latinis uocibus ante I', uocalem S' ponunt, & Sire pro eo qđ eſt Ire dicunt. Multa quoq; cum ætatibus ſimul mutantur. Aetas enim ex Meſſana, Meſſalam fecit. Ex Valeſio Valerium, ex Fuſio Furium, ex Sclitibus Lites, ex Scloco Locum, ex Remulibus Lemures, ex Sordeo Ordeum, ex Caſſantra Caſſandram, ex eo quod erat Odyſſeus Vlyſſem, ex Lebero, Liberũ, ex Here Heri, ex Sibe Sibi, ex Coerauit Curauit. Itemq́; ex Voloce, Velocem, ex accuſatiuo Mee, Me. ex Duello, Bellum. ex Aiio in quo duplicabatur I' Aio. ex Comperce Compeſce. ex Creduis Credas, ex Duis Des. ex Heſprug Heſprugnem. & mille talia. Quid ætas noſtra? non'ne ex Nicolao Colam fecit. ex Ioanne Iannem. ex Lodouico Loiſium. ex Bartholomæo Meũ. Quidam ẽt populi ſtante integro nomine, pro B' pronuntiant M' abijcientesq́; è medio ſyllabam Lo, pro Bartholomeo Barthomeum dicunt. ex Thoma quoque fecimus thomæum, ex Antonutio nutium. ex Antonio tonium. Siculi ex Iacobo fecerunt Iacopinum, de quo demptis prioribus ſyllabis, nunc non Iacopinum ſed pinum dicunt. À quibuſdam etiam ita deflex imus ut ea non ſine obſcœnitate proferamus. Quorſum igitur hæc tam multa ab illis afferuntur? ut oſtendăt ætatum nationumq́; diuerſitatibus fieri uarietates pronuntiationum, ipſarumq́; literarum ſonum poteſtatem ordinem aliter, atq; aliter uariari, poſſent his plura addici, quæ ab illis quidẽ adducuntur, ſed debemus ijs, quæ dicta ſunt eſſe contenti. Nũc id agitur qbus adducti rationibus opinẽtur in illo Virgiliano uerſu H', ui literæ nõ habere. Is ſi recte memini erat.

» *Dum trepidant it haſta tago per tempus utrunq;.*

Hoc in loco contendunt particulam it' præſentis temporis nõ eſſe, ſed præteriti, quæ ſit conciſa de præterito Iuit, cuius prima ſit producta naturaliter. Quoties enim conciſio fit in hunc modum, quantitas ſyllabæ non mutatur. Cum enim dicitur exiſtimauit ipſa pronuntiatio docet à produci in penultima ſyllaba, cui ſi adimas Vi', dicasq́; Exiſtimat pro Exiſtimauit, ſyllaba Mat ſeruabit productionem ſuam, retinebitq́; accentum, quem habebat ſtante integra dictione. Hoc exẽplum ideo poſui quoniam Donatus dicit Terentium in illo ſuo prologo poſui eſſe exiſtimat pro exiſtimauit. Similiter Imugit pro Immugiuit, & it, pro iuit. quanquam cum dicitur Immugijt, et ijt dempta tantum litera V' corripitur. Nam uocalis ante uocalem more noſtro corripitur niſi fuerit diphthongus, paucis quibuſdam exceptis. Quin

etiam affirmare audent Virgilium reliquisse scriptum non it sed iit cum duplici i Cũ sequatur uersus habens præteritum tempus, q est.

» Stridens aduersoq; hæsit tepefacta cerebro.

Nam non hæret dixit, sed hæsit. Siue igitur it, pro Iuit, siue Iit legitur, uolunt ob eas quas dixi rationes H' in hoc uersu uim literæ nullam habere.

Vt autem post hæc omnia paucis ipse tibi aperiam quid de aspiratione sentiam. idest, an quam uim literæ habeat, ac ne ab officio, & cognitione grammatica recedens, subtilius quàm grammatici captus ferat perscrutari hoc uidear. Siquidem existimo uideri aliquando H' sapere aliquid, quod sit literæ, cum tamen litera ipsa non sit, ueluti cũ in locum literæ substituitur, ut in his uocibus, Hircus, et Traho, in quibus loco F' aspiratio posita fuit. Nam Fircus, et Trafo dixerunt. & in hoc nomine Hallux, quod fit à uerbo Salio, de quibus postea latius dicam, aut cum loco eius ponitur aliqua litera ut in his sex pro hex, vesper pro Hesper. Quid? quod quemadmodum C' & D' interijciuntur in compluribus dictionibus hiatus causa, ut in Prodeo, Redeo, Redibeo, Sicubi, Necubi. Eodem modo & H' ut in his mihi, Prehendo, in quibus eandem habet uim ad hiatum, H', quam in illis D' & C' Ac ne de grammaticis præcepta tradens philosophum uidear agere, haud negabo habere aliquando H' similitudinem quandam literæ, quod quamuis non negem, ut dixi, non tamen dicendum, aut tenendum iudicio H' propterea esse literam. quod quidem superius ostensum satis est. Nam & coruorum, & Psittacorum uoces quædam, uerba nostra immitantes, uim quidem habent intellegibilem, & suam ipsorum uerborum significantiam exprimunt, cum tamẽ humanæ illæ uoces neq; sint, neq; dici possunt. Sed iam ad alia quæ dicenda relinquuntur, transeundum est.

DICTVM Est à me P' C' et T' cum aspirationem exigunt proprias apud græcos figuras habere, quæ sunt χ' pro ch, φ' pro ph, θ' pho th. quod cur in his consonantibus probauerint in semiuocali uero R' repudiauerint. Placet grammaticis hanc esse rationem, quod his elementis aspiratio ita hæreat ut ea ablata pars quasi quædam substantiæ ipsorum adimatur, tollaturq; propria uocum significatio. Si enim cum pronuntiandum est Chærea quod est nomen proprium C' non aspirauerís, uis propriæ significationis interit. quinimmo pro Chærea quod ut dixi propriũ est, pronũtiabitur Cerea, quod est fœmininũ huius nominis Cereus. & pro Chære quod est salutandi uerbũ, dicetur Ceræ qui est genitiuus nominis Cera, quamuis grã

matici affirment abiecisse priscos illos aspirationem è uerbo chære, & cere dixisse, ut apud Virgilium.
» Qui cerete domo.
Vnde & Cerimonias dictas uolunt. Pro eo autem quod est chiron si croni dixeris, non significabatur Achillis magister, sed profertur quartus casus nominis quod est Cyrus R' uero cum aspirationem accipit, aliam non habuit figuram quàm cum tenuatur, quod cum si semiuocalis, licet subtrahatur aspiratio, uocis tamen significatio ipsa maneat. Qui enim Rhodon sine aspiratione pronuntiat, quanquam peccat is quidem, rem tamen cuius est nomen illud quod ipse profert, audientibus notum facit. Græci igitur siue his, siue alijs adducti rationibus hoc seruant. Nos uero antiquum secuti scribendi morem, nec eas ab illis figuras accepimus, nec alias ipsi formauimus. Et quoniam ad promissa propero, aspirationis nota apud priscos super ipsam literam cui aspirari debebat, figebatur, quem usum hodie quoq; in uocalibus græci seruant. Longo uero post tempore figuram suam aspiratio adepta est. & inter literas ipsarumq; textum recepta est. Figura autem hæc fuit H' quæ postea mutato scribendi usu è literarũ serie eiecta est, et in geminas partes diuisa. Sinistraq; pars figuræ eius super literam cui aspirabatur notari cœpta. quod in uetustissimus codicibus licet inspicere. Sunt etiam qui hunc aspirandi morem, hodie quoq; sequantur. Græci ut dixi eam notam dasian uocant. nostri tum flatilem, tum spiratilem dixerunt. & quam illi psilen, ipsi tenuem exilemq; uocauere. Ipsa autem spiratilis nota, idest sinistra pars quam dixi hæc erat ⊢. Recentiores uero cum etiam formandis literarum figuris ab antiquis illis deflexerunt, hanc nouam aspirationis notam introduxerunt quæ est H'. Nam quam à priscis inuentam memoraui, tunc utimur cum aut poeticus uersus, aut orationis ambitus ab aspiratione incipit, aut ubi maiusculis literis) Nam maiusculas nunc eas uocamus) utendum est.
SCIRE etiam oportet Barbaros aspirationem semper proferre, græcos neq; semper ut barbari, neq; adeo rarenter ut nos, qui quàm rarissime eam proferimus, præsertim cum uocalibus. quotus nanq; est qui Hamum, Hædum, Hinnitum, Hominem, Humum ita enuntiet. ut aspirare eum primus literis possis cognoscere? quanquam cum aspiramus C' ante E' uel I' ut Cherea, et Chiron aspirationem ipsam efflamus, & similiter cum post O' sequitur statim L', & post L' alia uocalis ut Parthia. At Φ' ita proferimus ut eius sonus aut parum, aut certe nihil ab F' differat. Licet autem grammaticis placeat

F' non adeo fixis labijs, ut Φ' efferri. Nemo tamen nostrum adeo pronuntiationis studiosus est, ut id seruare eum possis agnoscere. Nam prima Fabulli, & phalerij eodem labiorum statu, ac motu a nobis pronuntiatur.

VETVSTISSIMOS autem parcissime usos aspiratione fuisse, testis uel in primis locuples est Quintilianus, qui etiam tradit his uocibus quæ sunt Hircus & Hædus, minime illos aspirasse. nunc tam etsi ea in scribendo frequentius utimur quàm illi, rarius tamen eam efferrimus adeo hominibus nostri temporis hæc spiritus densitas inimica est, & à latina pronuntiatione aliena. De qua nostrum quod sciam nemo ad hunc diem particulatim præcepit, quanquam adolescenti mihi Paduæ cum agerē in manus peruenerunt pauca quædam & ea plena errorū quæ Apuleij, cuiusdam grammatici satis obscuri de aspiratione tantum uocalium esse titulus indicabat. Sed ut ad rem proprius accedam aspiratio quibusdam dictionibus naturalis est & ab ipsa formatione hærens ut huic uoci heu. Quibusdam adiūcta est differentiæ causa ut huic nomini Hara quæ uox per aspirationem differt ab ara, cum altare significat. Non paucæ etiam uoces trahunt eam ab origine sua, ut sunt dictiones compositæ & deriuatæ, ut habito, & inhabito ab eo quod est habeo. Aliquot dictionibus adiuncta est hiatus causa, ut his Vehemens, & Mihi. In multis etiam usus præualuit ut in his hostis hostium hospitium. In græcis autem, & barbaris græcos, & barbaros sequimur. Sunt quoq; nonnullæ dictiones quibus aspiramus hac ratione quod placuerit maioribus nostris in locum detractæ, aut commutatæ literæ aspirationem ponere ut hordeum, quod fordeum Sabini dixerunt. Inest igitur aspiratio dictionibus aut natura, aut origine, aut differentiæ causa, aut etiam hiatus, aut usu, aut immitatione, aut detractionis commutationis gratia.

HIS Explicatis ad ipsas uoces quibus aspirandum est uenio. Primū quidem de uocalibus, quæ aspirationem exigunt. Deinde de consonantibus dicturus, literarum, & syllabarum ordine seruato. Initium autem erit à diphthongis, quas apud nos esse quatuor nemo ambigit hoc est Ae, oe, au, eu. uelim autem scias secundum ueterem & rectum loquendi usum uerbum aspiro exigere post se datiuum potius quàm accusatiuum casum. Aspiro enim huic uocali libentius quàm hanc uocalem dixerunt. quod ego hic etiam sequor.

AE diphthongus exigit aspirationem ante C' in pronomine hæc, & cum fœmininum est, & cum neutrum. ut hæc arbor, et hæc mu-

nera. Similiter aspiramus hae quod est fœmininum numeri pluralis. Græci quoq; aspirant ai qui apud eos est articulus fœmininus et numeri pluralis. Quæ autem apud nos est diphthongus ae. apud illos est ai. Fuitq; hæc causa cur latini diphthongon hanc soluētes in ai uerterent, græcos immitati, ut

» Aulai in medio libabant pocula bacchi.

Pro eo quod est aulæ. Et apud Lucretium Animai, siluai, aquai, pro illis genitiuis Animæ, siluæ, aquæ, quid quod in huiusmodi solutionibus utrasq; uocales produxerunt ad illorum morem. Cum latina regula uelit uocalem ante uocalem corrippi ut supra dixi. Exstant Beneuenti lapides in quibus scriptum legitur latinis literis. COLONIAI BENEVENTANAI Pro coloniæ beneuentanæ. Quæ inscriptio declarat Samnites quanquam latinis uterentur figuris immitatos fuisse græcos in scribenda diphthongo ae quæ licet apud eos sit ex A' & I', tamen ut nos ac pronuntiant. Festus etiam refert antiquos latinos, ae' syllabam græca immitatione per ai scripsisse. In urbe theate legitur CAISARIS nomen per ai non per ae scriptum. Gellius tamen refert animaduertisse se in commentarijs P. Nigidij ita scriptum, atq; præceptum ab illo. Si huius terræ scribas in litera sit extrema. Si huic terræ per e scribendum est. quæ res indicat non defuisse qui aliter generandi, aliter dandi casus eorum nominum quæ primæ declinationis sint, scribi uellent. Qua de re nihil dicturus sum, quoniam tempus hunc ipsum scribendi morem iam pridem obliterauit. & huiusmodi Nigidij regula fortasse ambitiosior est. Aspiramus etiam hæccine. ac ne de his pronominibus hic, hæc, hoc alias dicendū relinquatur ubiq; aspirare conuenit, & similiter huiusmodi & huiuscemodi. Inest autem his pronominibus aspiratio natura. Græci item aspirant ὁ, ἡ, ὁ. Prisci tamen non hic hæc hoc, sed Hicce, Hæcce, Hocce dixerunt, ut etiam apud Terentium inuenias dictum hisce plurali numero pro eo quod est hi. Cū ait hisce arbitrantur nunc hoc munere suam esse Thaidem. Et apud Plautum in captiuis.

» Hisce autem inter se confixerunt dolum.

Nam qui opinantur hæcce in genere fœminino aspirationem habere ut differat ab aduerbio ecce, ij falluntur omnino. Eadem enim fuit ratio aspirandi hæcce, quæ et hicce, et hocce. Aspiramus etiam diphthōgo AE' ante R' in uerbo hæreo. Itemq; in deriuatis, & compositis. Sed & de his, & de alijs, quæ aspirationem exigunt ante diphthongon AE' in posterioribus suo loco, et tempore dicam, idest cum de aspi

randa E' præcipiam.

AV Diphthongus admittit aſpirationem ante D' in hoc aduerbio Haud, qua differt à coniunctione aut. Nam quanquam nunc differunt ultimis literis, apud priſcos tamen pro utraq; re cadebant in eadem litera ideſt T', quos etiam conſtat uocem Ad' & Cum' eſſet præpoſitio, & Cum' coniunctio, & interiectio iiſdem literis ſcripſiſſe. Poſterioribus tamen quos nunc ſequimur placuit, haud, Cum' eſſet negandi aduerbium, & Ad' cum eſſet præpoſito per B' ſcribere, ut terminalibus literis differrent. Aſpiramus etiam uerbo Haurio ſolo quidem uſu. Nã ut differret aſpiratione à nomine Auris, à quo fit auricula, oĩno ineptum eſt dicere. Auris enĩ à uerbo haurio ducitur.

Vt uocemq; his auribus hauſi.

Sonus enim hauritur auribus. ἀυστηρὸς græcum eſt, & aſpiratione caret. Auſter, Auſtralis, Auſtrinus aſpirationem non habent. licet, ut multis placet, auſter ab hauriendo dictus ſit. Sed in his non uicit uſus ut in uerbo haurio, quod q̃dem uerbum aut noſtrum eſt, ideſt latinum aut eſt deductum à græco quod eſt ἀρύω cuius primam ſyllabam græci tenuant. Itaq; ſi à græco ducit orignem aſpiratione caret, ſin latinum eſt, non natura, ſed uſu habet aſpirationem. Si enim naturalis eſſet aſpiratio uerbo haurio deriuata ab eo illam retinerent Auris, Auritus, Auricula, quibus non aſpiramus. Ex quibus efficitur, ut uerbo haurio præponatur aſpiratio non natura aut alia cauſa, quàm ſolo uſu.

HEI interiectio traxit aſpirationem à natura, quod is animi affectus aſpiratione melius declararetur. Qui autem opinantur additam huic uoci aſpirationem, ut ea differret à pronomine ei in tertio caſu, iĳ falluntur mea ſententia. Hanc uocẽ inter diphthongos ideo locaui, quod apud uetuſtiſſimos latinos ei' diphthongus habebatur. Nos autem deſinimus ei' ſcribere, ſed pro ea productum I' ponimus. Illi enim ſcribebant heic, nos hic. ut hæc indicant monimenta quæ Capuæ exſtant. Q. TIBVRTI Q. L. MELONAVI CVLTRARI OSSA HEIC SITA SVNT. STABERIAE P. L. FLORAE OSSA HEIC SITA SVNT. ROGO TE MI VIATOR NOLI MI NOCERE. FERIAE CN. FILIAE MAIORIS HEIC OSSA SITA SVNT. In tertiĳs quoq;, & ſextis caſibus maiores illi noſtri ei' ſcribebant ſemper ut dixi. Inſpice antiquas inſcriptiones, et ita rem habere intelleges. Venuſiæ etiam exſtat monimentum, maiore tamen parte dirutum, in quo ſcriptum eſt. AMICEIS SVEIS, pro amicis ſuis, & SIBEI

pro sibi. Et item Capuae legitur. HEISCE MAGISTREIS VENERVS IOVIAE MVRVM AEDIFICANDVM COIRAVERVNT PEDES CCLXX, ET LOIDOS FECERVNT SERVIO SVLPITIO MARCO AVRELIO COSS. vides heisce pro hisce, & magistreis pro magistris scribere illos consueuisse. Illud etiã annotandum est, quod apud Campanos uenus emittebat genitiuum in VS', non in IS', & quod loco V' in nomine ludus ponebant O, & I Loidos pro eo quod nunc est ludos dicentes. Et cum latini & finitimi populi dicerent Coerare per o & e pro quo nos dicimus curare V pro Oe ponentes. Campani ponebant o' & i' & coirauerunt non coerauerunt dicebant pro quo nos curauerunt. Multa etiã ex antiquis grãmaticis in hũc locum conferre possem, sed non uidetur necessariũ. Est enim res satis manifesta.
EV Diphthongus aspirationem habet in interiectione Heu, eadem qua hei ratione. Similiter in hoc aduerbio heus. in quo fortasse usus praeualuit. quando Festus uult ductum esse à graeco αὖ. quae uox doloris est, tenuaturq; apud graecos. Vnde & aegritudinem deductam esse tradit. Eu graeca dictio quae multorum nominum compositionem init. ut Eugenius. Eusebius. Eustachius. Euxinus. Eutychus. Eudemus aspirationem non habet.
OE Diphthongus in omnibus latinis dictionibus abhorret ab aspiratione. Sed de his dictionibus quae ante diphthongos exigunt sibi aspirari, tam in primis, quàm in medijs syllabis, plenius dicam in posterioribus suo loco. Nunc satis sit haec perstrinxisse.
DE VOCIBVS igitur quibus aspirandum est praecepturus, illud praemoneo composita, & deriuata, itemq; obliquos casus, & tempora, quae quidem tum per deductionem, tum per mutationem literarum formantur, acceptam à primitiuo aspirationem retinere in primis praesertim syllabis de quibus nunc praecipiam. Ac primum quidem de A' quae est uocalium prima.

A' ante B'.

VOCALIS, A' sequente statim consonante B' habet aspirationẽ in uerbo habeo qua differat à uerbo Abeo Abis Abit, ut multis placet. Deriuata quoq; & composita retinent eandem aspirationem. Habena, Habitus, Habitudo, Habilis, Habitior, Habito, Inhabito, Inhibeo, Exhibeo, Cohibeo, Prohibeo, Adhibeo, in quibus A' uersa est in I', quaeq; alia & ab habeo, & ab habito deducuntur, aut cum his iunguntur. Redibeo tamen quamuis ex habeo & re particula constet aspirationem abiecit, accepitq; hiatus causa D', quae litera nullo

pacto aspirationem recipit post se, natura ipsa hoc prohibente. Quã obrem non parum admiror nostrates quosdam doctos sane homines, & accuratos in uerbo redibeo h semper notare solitos. deceptos, ut opinor. quod existimarent primam uerbi huius syllabã quae est Re, cadere in D, quod erroneum quidem est. Syllaba enim nulla apud latinos (de primis loquor, ac medijs syllabis) finit in D, nisi quae sequitur à D, incipiat. excepta praepositione ad quae multarũ uocum compositionem init, ut in his Adiuuo, Aduerto. In uerbo autem Redibeo litera D, interiecta est hiatus causa. ut in his Prodeo, & Redeo. in quibus D, non finit priores syllabas, sed inchoat posteriores, quod cum sit, aspirare nullo modo debemus I in uerbo redibeo. Siquidem litera D neq; ipsa aspirationem tolerat natura prohibente, neq; statim post se in eadem syllaba uocalem aspiratam collocari patitur. Nulla enim latina dictio habet syllabam aliquam incipientem à D, sequente statim uocali aspirata. Sunt qui uerbo abundo aspirationem praeponant. quod ratio prohibet. fit enim ex ab praepositione, et Vndo Vndas Vndat. Aspiramus de peregrinis Habraã, quod Iudaeum nomen est. & Habramios, & Habronichus quod est graecum, & hominis proprium.

A ante C.

ANTE C, uero aspirationem exigit A in illo tantum casu Hac, quae uox transit etiam in aduerbium loci. retinet'q; aspirationem in aduerbio hactenus. Sed de obliquis casibus, ac de uocibus compositis, non est mihi particulariter praecipiendum. Cum ea originis suae naturam sequantur. Sunt qui Istanc, & Istunc, & Istac, & Istic, atq; Istinc aspirent. quae uoces, ut ego sentio, simplices sunt, non ex pronominibus Iste, Ista, Istud, & Hic, Haec, Hoc connexae. Nam uetustissimi dixerunt Isticce, Istaecce, Istocce, ut Hicce Haecce Hocce, pro quibus nos dicimus Iste, Ista, Istud, & Hic, Haec, Hoc. Necesse igitur erat ut in quartis casibus dicerent Istuncce, & Istancce, quod quidem dicebant, paulatim tamen ultimã dementes literã, dixerunt Istunc, & Istanc donec Istum & Istam diximus. Istic autem, & Istinc, & Istac dicimus, ut Illic, Illinc, & Illac. Quapropter cum simplices sint uoces, neque cum pro nomine Hic, Haec Hoc aliquid commixtum habeant, nullo modo aspirandum eis iudico, quod latinae linguae lex minime patiatur. Litera enim T, in latinis dictionibus aspirationem post se non recipit, ut suo loco dicemus. Sed in graecis & barbaris tantum.

A ante D.

SEQVENTE autem D, aspiramus A, in his dictionibus quae

à græco ductæ sunt. Hadria masculini generis pro sinu maris, & fœminini pro oppido, & quæ ab his fiunt. Hadriaticus, Hadriacus. Itemq; Hadrianus proprium hominis. Significat autem apud græcos nomen ἁδρὸς, quod huber apud nos. Sed necessarium non est ut enumerē dictiones quibus græci aspirent, satis sit eas notare, quas ab illis accepimus. Grāmatici nostri temporis pro ea, quæ fuit Ariadna, Adrianam dicunt, et quidem imperite. Nam græce non Adriana, sed Ariadne nomen est ei, quam desertam à Theseo Bacchus rapuisse dictus est à poëtis, quod hic tetigisse uisum est non inconueniens, nequis aut existimet Hadrianæ illi nomen fuisse, aut si forte dicat ex Ariadna Adrianam factā mutato literæ ordine fallatur credens ei aspirari debere. Nam Hadriana tunc aspirationem exigit, cum est fœmininum factum ab eo, quod est Hadrianus, quod nomē supra posui, pro eo autem quod est Ariadne, tenuari debet.

A' ante E'.

SEQVENTE E' non aspiramus A' in nostris dictionibus, nisi cum in diphthongum coit. De quibus quidem & dixi paulo ante, et dicam in posterioribus.

A' ante F' & G' & I'.

ANTE F' aut G' aut I' in nullis nostris dictionibus aspiramus. A' Græci tamen aspirant ἁγιὸς idest sanctus. & item ἁγνος idest purus & castus, à quo nomine ducatur proprium nomen Hagnes. Cui aspirandum est, Haia nomen proprium mulieris, quod uetus indicat inscriptio, HAIAE RVFINAE PARENTES INFELICISSIMI.

A' ante L'.

ANTE L' aspiramus A' in uerbo Halo, Halas, Halat, ut differat, sicut quibusdā uidetur, ab Alo, Alis, Alit. Mea tamen sententia huic uerbo aspiratio natura inest, quippe cui conueniat densitas illa quā significat. Est enim exhalatio uaporum, crassiorumq;, ut sic loquar, spirituum densitudo, & Cicero terræ halitum aspirationem uocat. Aspiramus etiam Halitus, & Exhalo, necnon & Hala pro eo quod ait Horatius.

Hirsutis cubat hircus in halis. & Catullus.
Valle sub halarum trux habitare caper.

Similiter Halium genus oleris. est enim ab halando dictum. Ab eo quod est Halo ueteres Halito dixerunt. Itemq; Hallux qui est pedis digitus aspirationem habet, ex eo dictus quod super proximum digitum saliat. In qua uoce maiores nostri loco S' aspirationem posuerūt.

Alij uolunt à græco ἄλλω, siue ἄλλομαι dictum quod latine dicitur Salio. Scias tamen græcorum alios uocibus quas supra posui, aspirare, alios uero non. Aspiramus etiã Hallucinor Hallucinator Hallucinatio, ut Gellius est author. Ex ipsa enim aspiratione intenditur exprobratio. In græcis autem Halys lydiæ fluuius. & Halicarnassus urbs, Halonnesos insula ægæi. Halec piscis. Alecus fluuius, tenuatur similiter et Alocus gigas, cuius filij Martem dicuntur uulnerasse, et ab eo patronymicum aloides. Haliartus uero urbs δασεῖαν habet, & Halisca mulier, et Halizones gens, aspirant etiã græci ἅλσ pro mari, unde & nos Salem dicimus, & salum, ut

» Et sale tabentes artus in littore ponunt. Et

» Perq; undas spumante salo, perq; inuia saxa

» Dispulit. In quibus dictionibus placuit maioribus nostris S ponere magis, q̃ acceptam à græcis aspirationẽ retinere. Vnde sunt q putent satis aduerbiũ ductum à græco Halis esse. Halias genus scaphæ. Halizon fluuius. Haliacles nomẽ persicum. Haliacmon fluuius Macedoniæ. Alcyon pro aui græci nõ aspirant. licet fiat ab eo q̃d est ἅλσ. Illi enim ut grammaticis placet nunq̃ aspirant A' ante L' sequente cappa. Cherobośchi grãmatici qui græce de aspirandis uocali

» bus scripsit uerba hæc sunt. Alcyon uero etsi ab eo, quod est ἅλσ

» deriuatur, tamen quia sequitur cappa. tenuatur, et similiter præteritum ἄλτο, licet fiat à uerbo ἄλλομαι.

NAM A' ante L' sequente consonante, semper tenuatur, nisi fortasse statim sequatur liquida, nihilominus apud Theocritum est uidere græcos ueteres huic nomini aspirasse, ac licet ipse uiderim in uetustissimis codicibus nostris huic nomini aspirationẽ esse prænotatam, hodie tamen aspirat nemo, & similiter huic dictioni Alcedonia quæ significat tempus, quo Alcyones aues nidificant, quo quidem tempore quanquam media sit hyems, maximã tamen ferunt esse tranquilitatem, Vnde ait Plautus.

» Alcedonia sunt circum forum, Dixerunt autem ueteres & Alcedo Alcedinis, unde Alcedonia, & Alcyon Alcyonis in quã poetæ ferunt alcyonẽ ceycis uxorẽ fuisse conuersam. Dies autẽ nidificationis huius alij undecim esse uolũt, Alij nouẽ, sunt q septem tantũ, De conuersione ẽt aliter q̃dã sensere. Tradunt enim septẽ fuisse Alcyonis gigantis filias noĩatasq; Phosthoniã, Anthen, Methonen, Alcipã, Palenen, Drimon, Asterien, quæ post patris mortem è canestreo quæ pellenes arx erat dolore uictæ, in mare se deturbarint, hinc locum fabulæ datũ esse, creditũq; eas in aues uersas, quæ de patris noĩe Alcyones di

ctæ sint. Ferunt etiam Marpissen Idei uxorem Alcyonem fuisse cognominatam de qua hæc traduntur in fabulis, eam cum forma præstaret, Ideo qui & ipse formosissimus iudicabatur, in matrimonium parentes collocasse, Apollinem uero eius amore uictum rapuisse illam, uimq; attulisse. At Ideum iniuriæ huius memorem conatum Apollinem sagittis petere, Erat enim sagitandi peritissimus, Parentes uero cum diu, multumq; deflerent eam, cognominasse Alcyonem, quod & ipsa in infelix Alcyones fatum incidisset, Sed ante quàm rapta esset genuisse ex Ideo Cleopatram, quæ postea Meleagri uxor fuit, In cuius amore, delitijsq; requiesce illum dicunt, Post maternam exsecrationem, Meleager enim cum auunculum occidisset, in Altheæ matris iram, exsecrationemq; inciderat. Qua re commotus, Cum patria hostilij obsidione laboraret, non prius arma capere uoluit, quàm uxoris precibus expugnatus est. Vnde & apud Nasonem Briseis ait.

» Coniugis œnides uersus in arma prece est.
» Res audita mihi nota est tibi fratribus orba.
» Deuouit nati, spemq;, caputq; parens.
» Bello erat ille ferox positis secessit ab armis.
» Et patriæ rigida mente negauit opem.
» Sola uirum flexit coniunx fœlicior illa.

Et quæ secuntur. Sed nos ea quæ de altera forsitan Marpisse, uel de hac eadem diuerso tamen modo dicuntur referre non negligemus, præsertim cum latinis hæc adolescentibus ignota sint, & Propertiani illi uersus grammaticis nostris parum sint noti.

» Non Idæ & cupido quondam discordia Pphœbo.
» Eueni patrijs filia littoribus. Fabula hæc est. Euenus Apharei filius Aetoliæ Rex cum Marpissen filiã locare in matrimoniũ uellet, eaq; propter formæ raritatem à multis peteretur. Hanc procis conditionem proposuit, ut curuli certamine inito, præmium illa uictori cederet, uictus uero capite plecteretur, quod domus suæ fastigio affixũ penderet. Itaq; pluribus interfectis. Idas neptuni filius, licet à multis Apharei filius haberetur, equis uelocissimis à Neptuno patre acceptis puellam rapuit, conspicatus eam Dianæ festo die cum alijs uirginibus choreis indulgere, Quo cognito Euenus dolore, atq; ira percitus equos ascendit, Idam insequitur, quem ubi assequi posse desperat. equis confossis in Lycarbon se fluuium, qui post Euenus appellatus est, deturbauit, Idam autem uoti compotem, non passus est Apollo, & ipse Marpisses forma captus, quam etiam rapere cogitasset, securum

gitasset, securum abire, sed obuiam factus in itinere illum aggressus est. Sed nec Idas certamen detrectauit. Et cum diu pugnatum esset Iupiter aegre id ferens, Mercurium misit, qui praelium dirimeret, potestate facta Marpissae, ut eius optio esset, utrũ sequi ipsa uellet. quae rem hanc animo uoluens reputansq; sese mortalem esse, Apollinem uero Deum, ac timens ne ubi uetula facta esset, repudiaretur ab eo, decreuit potius Idam sequi, mortalis mortalem.

A' ante M'.

ASPIRAMVS etiam A' ante M' in nomine hamus, ut aspiratione differret à uerbo amo in tertio & sexto casu, quanquam differunt & tempore, mihi magis placet quod natura ei aspiratio insit. Itemq; Hamatus et Hamoteahones. qui ut grammaticis placet dicti fuerunt quod uel pisces uel cadauera traherent Hamo. Nam ut est apud Suetonium eorum qui supplicio afficiebantur cadauera iussu principum unco saepe trahebantur in locum quem tum gemonias dicebant. quod significare uult etiam Iuuenalis cum ait.

» Et latum media sulcum deducit arena.

Remanent autem tum in puluere, tum in arena uestigia eius, qui trahitur, & propterea dixit, sulcum deducit. sulcum pro uestigio tracti cadaueris ponens. Similiter et hamota piscator ab hamo dictus, Plautus in rudente,

» Saluete fures maritimi. Conchitae, atq; hamotae,
» Famelica hominum natio.

Ammon et Ammonius apud graecos aspirationem nõ habent. quam obrem nec nos quidẽ aspirare conuenit. Animaduerti tamen hoc nomen Ammon apud festum positum esse inter uoces aspiratas, quod uel ex eo est, quod ueteres contra usum graecorũ huic uoci aspirauerint. uel quod is qui uolumen Festi ad hanc tantam breuitatem redegit ut indoctus, & parum accuratus in hoc prolapsus fuerit, ut id nomen inter aspirata collocauerit. Hamadryas aspirationem exigit quae ex eo dicta quod unà cum arbore nascatur. Est enim arboris numẽ. ἅμα enim graece aduerbiũ unà significat. et habet δασεῖαν. Hamaxampeus proprium fluminis. Amilcar sunt q aspirent decepti librariorum ignorantia.

A' ante N'.

ANTE N' autem in nullis nostris dictionibus aspiramus A' praeterquam in accusatiuo hanc. Veteres tamen parua delubra dixerunt Hanula loco F' ponentes aspirationem. Fit enim haec uox ab eo quod est fanum. sunt enim dicta Hanula quasi Fanula. Annibal apud

græcos aſpirationem non habet, neq; apud nos aſpirare conuenit. Hanno quod punicum eſt maiores noſtri aliquando aſpiraſſe inueniuntur. Sũt et nunc qui aſpirent. mihi magis placet non aſpirare.

A' ante O' & P'.

ANTE O' et P' latini non aſpirant A' Græci tamen ante P' aſpirant A' in aliquot uocibus, ut in hac uoce Haſpis Haſpidis, quæ uox ab Aſtrologis noſtris recepta eſt. Eſt autem Haſpis curuatura, & circuli & cameræ, & rotæ. Vnde legitur aurea ſummæ curuatura rotæ pro eo quod græce eſt ἁψὶς curuaturam poëta dixit græce. ut Chereboſcho placet δασεῖαν habet quod fiat à uerbo ἅπτομαι. quanquam ſunt qui non aſpirent. ἁπαλὸν id eſt tenerum, & molle aſpirant græci Neapolitani ouum hapalum dicunt, quod abſq; testa gallina peperit.

A' ante R'.

ANTE R' uero aſpiramus A' in nomine Hara cum auem ſignificat differtq; ab ara in qua rem diuinam faciebant. non ſolum tẽpore ſed etiam aſpiratione. Deducuntur autem ab eo quod eſt hara id eſt auis. Hariolus. Hariolor, Haruſpex, Haruſpicium, Haruſpicina. quæ uoces omnes aſpirationem habent. Similiter & Haringa, ſignificabat autem Haringa apud priſcos hoſtiam quæ inde dicta erat quod eius adhærentia inſpicerentur exta. Arena caret aſpiratione. Fit. n. ab Areo uerbo. Nam epitheton ei eſt ob ariditatem bibula. Caret. n. omni humore, & ſucco. unde & plurimum aquæ ebibit. nec mouere aliquem debet, quod arena habeat primam breuem. Areo uero productam. Nam Tegula producit primam. licet Tego illam corripiat. Et Laterna licet à uerbo Lateo dicta ſit. quod habet primã correptam. Nihilominus producitur. Eſt autẽ dicta Laterna, quod ea lumen lateat, & incluſum noctu feratur. Vnde Plautus ait.

» Vbi tu es qui uulcanum in cornu concluſum geris?

Non deſunt tamen qui arenam ab hærendo, id eſt quod calci cohæreat dictam uelint. quod minime probauerim. Aſpiramus etiã quæ græca ſunt Harpe gladij genus. & ἁρπάζω uerbum quod ſignificat ſurripio. Harpaſa quod fuit oppidũ. Harpalus hominis propriũ. Et Harpago Harpagonis quo eſt genus teli habentis ferrum incuruum. Eſt et Harpago ferramenti genus, qđ nonnulli populi canem uocant, quo ferramento circi Cupis aptantur. Sunt autem Cupæ uaſa uinaria maiora ex ligno, quas ſatis improprie multi uegetes uocant. Vocari autem Cupas id genus uaſis Lucanus oſtendit cum ait.

Nanq; ratem uacuæ ſuſtentant undiq; Cupæ.

Cupis enim naues impoſitæ ſuſtinentur in mari. Cum ipſarũ latera

catrinæq; resarciuntur. Dictæ autem fuere à priscis Caupæ à cauo. unde Caupones dicti à Caupis. Item Harmonia Harmonicus, Harmonides, Harmodius, Harpa. Aspirant etiam græci ἁρμαρίων. qđ dictum est ab eo, quod est ἅρμα id est currus. Nos uero armarium ducimus à nomine quod est arma, qua uoce etiam significantur ferramenta. ut apud Virgilium.

» Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma.
» Queis sine nec potuere seri nec surgere messes.

Et propterea non debemus aspirare.

A' ante S'.

RECIPIT etiam aspirationem A' ante S' in hoc nomine Hasta. ut ea differat, à uerbo Asto Astas quod multis placet, mihi magis uidetur huic nomini Aspirationem accessisse antiquo usu quod etiã monimentorum tituli declarant. Sunt qui opinentur uocem hãc ductam à græco uerbo, quod est ἵστημι, & ab eo aspirationem traxisse. qđ non probauerim. Græci Hastam tum δόρυ, tum ἀκόντιον uocant. Eadem ratio est huius nominis hastile. Idemq; seruatur in his uocabus hastatus sub hasto, et subhastatio. Volunt autẽ multi hastam dictam ab obstando. Varro putat dictam quod stans soleat ferri, utcunq; sit. Certe non modo antiqui codices, sed etiã monimentorũ inscriptiones declarant huic nomini aspirari iam inde ab antiquis seculis solitum esse. Sunt qui aspirant huic nomini Hasdrubal, qđ puto ex librariorum ignorantia natum esse.

A' ante T' & V'.

ANTE T' autem nunq̃ nos aspiramus A' ante V' uero consonans placuit maioribus nostris aspirare A' in hoc uerbo Haue, ut differret à sexto casu Auis nominis, ut qdam arbitrati sunt. Indicat hodie quoq; epigrãma qđ est Salerni. FLAVIA CALEMERA DVLCISSIMA HAVE. Nũc autem uix inuenitur q aspiret. De uerbo haurio supra dictum est.

A' ante Z'.

GRAECI autem ante Z' aspirant A' in hoc uerbo ἅζομαι, quod significat ueneror, & colo.

E' ante A'.

AC DE A' quidem in quibus dictionibus aspirationem exigat satis dictum est. consequens est ut eodem ordine de E' dicam quæ ante A' recipit aspirationẽ in græca dictione ἑαυτὸν idest se ipsum. Vnde ἑαυτοντιμωρούμενος.

E' ante B'.

ANTE B' autem in ijs quæ nostræ uoces sunt hebes, id est retusi ingenij. Hebeo, Hebeto, Hebetudo. In quibus aspiratio ipsa na-

tura inest. Auget enim exprobationē in hoc nomine aspiratio. ut in illo nomine Heluo, Heluonis. de quo suo loco dicetur. Hebiones etiam ueteres pauperes dixerunt. quæ uox indicabat contemptum quendam. Sunt tamen quibus placeat Hebiones dictos à uoce græca βαιὸν quod sonat modicum. quod si sit, aspiratione caruerit, oportueritq; nomen ebæones scribi per ae diphthongon ante O. Ego hoc in medium relinquo, quando hæc uox ab usu iam recessit. Græca uero immutatione aspiramus hebdomas, Hebdomadarius, Hebe dea iuuentæ uxor Herculis. Hebræus, & Hebraicus. Ebenus aspiratione caret. est autem genus arboris apud Virgilium.

» India nigrum fert ebenum.

Apuleius grammaticus tradit uerbum Hebeo, Hebes aspirationem exigere. ut ea differat à uerbo Ebeo Ebeas, quod Ebeati sint ut ipse tradit, qui in miseriam ceciderint. quam opinionem haud scio cur probare aliquis debeat. Nam ebeatum hominem, aut ebeatam fœminam nunquam ueteres dixisse inuenio.

E ante C.

E SVBSEQVENTE C in nostris uocibus aspirationem non admittit. præterq̄ in illo pronomine hæc ut dixi cum de diphthongo ae præciperem. Aspiramus autem quæ græca sunt Hecate. ἑκατὸν quod apud nos sonat centum, Hecatæus, Hecaton propria hominum. hecatontapylon centum portarū. Hecuba, Hector, Hectoreus, Hecamede Arsinoi filia quæ dono Nestori data ē, Hæc aūt capta fuerat apud Tenedum dum ab achille diriperetur. Sunt qui putent huic nomini aspirandum, Hecatombe trahit aspirationem ab eo quod est ἑκατόν. Erat autem Hecatombe sacrificij genus in quo ritus hic seruabatur. ut centenæ sui generis mactarentur uictimæ, utputa centum sues, centum hedi. Vnde apud Iuuenalem exsistunt, qui promittunt Hecatomben. Iulij Capitolini in uita Pupieni Maximi & Balbini IMPP.
» uerba sunt hæc. Tantum sanè lætitiæ fuit in Balbino, qui plus
» timebat, ut Hecatomben faceret, quod tale sacrificiū est, centum aræ
» uno loco construuntur ex cespite. ad eas centum sues, centum aues ma=
» ctantur. Iam si imperatoris sacrificiū sit centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriuntur, quod quidem græci quondam fecisse dicuntur cum pestilentia laborarent, et à multis imperatoribus celebratum constat.

E ante D.

ASPIRAMVS Etiam E ante D in nomine Hedus, uel ut differat à uerbo Edo, Edis. uel quod aspiratio loco F posita fuerit.

Sabini enim

Sabini enim Fedum ut Fircum dixerunt. Tradit tamen Quintilia=
nus priſcos edum ſine aſpiratione protuliſſe. cuius primam ſyllabam
nonnulli diphthongum faciunt, quorum opinioni non uideo cur aſ-
ſentiar. Aedifico, et Aedificium aſpiratione carent, ſed non carent di
phthongo. ab æde enim faciēda dicitur Aedifico. Hedera uero aſpira
tionem exigit, qua differt à uerbo edo in illis uidelicet temporibus
ederā, ederas, ederis, edere. haud ſane recte opinatus ē Apuleius uocē
» hanc deduci ab hæreo uerbo, & ab eo aſpirationem trahere. Non de
» bet, inquit, uideri mirum quod prima hederæ corripitur, licet eadem
» in uerbo hæreo producta ſit, quando unum, idemq; uerbum in præ
» ſenti tempore Ae diphthongum habet. in præterito uero è breuem,
» ut cædo cecidi. Quod abſurdiſſimum eſt. prima enim ſyllaba cecidi
præteriti, extrinſecus accepta eſt. ut in his fefelli momordi tetendi ſpo
pondi, quæ in omnibus eodem modo breuis eſt. Quæ uero fuerat pri
ma ſyllaba præſentis ex diphthongo uerſa eſt in I productam et de
Cae factum eſt ci in præterito. Nam quæ eſt ce breuis in præterito
ea ut dixi extrinſecus accepta eſt. Volunt alij Hederam dictam quod
edat, id eſt conſumat ea quibus inhæſerit. Alij quod edita petat, ſeu
quod hæreat, hoc ut dixi, non placet. Nā ſi ab hærendo dicta eſſet.
cum hæreo diphthongum habeat, nequaquam poetæ primam ſylla-
bam corriperent. Ne autem credam dici ab edendo, id eſt quod edita
petat. repugnat etiam quantitas ſyllabæ. Verbum enim edo unde di
citur editus habet primam productam quæ res me inducunt ut acce=
dam opinioni eorum qui dicunt hederam ex eo dictam quod edat,
id eſt exedat ea quibus inhæſit. quod uerbum habet primam bre-
uem. Conuenitq; etiam tempore cum prima hederæ cui poſtea addi=
ta fuerit aſpiratio ut differret à temporibus quæ ſupra poſui. Forſi=
tan & à græco deducta eſt ut quibuſdam nimis ambitioſe placet
quod eſt ἑδρεύω id eſt inſideo. Edonious aſpiratione caret. Fuere au
tem Edoni & Edones populi Thraciæ. Vnde apud Virgilium.
» Ac uelut edonij boreæ.
At ἡδονὴ pro eo quod eſt apud nos uoluptas græci aſpirant. Et ἕδρα
ſedes. Vnde καθέδρα.

E ante F & G.

ANTE F in nullis noſtris dictionibus aſpiramus E ſequente au
tem G aſpiramus in aliquot græcis Hegeſippus. Hegeſander, hege-
ſias, Hegeſipyle. in quibus I in E uerſum eſt apud nos.

E ante I.

ANTE I uocalem non aſpiramus E niſi in interiectione hei de

qua dixi. At ante I' consonantem aspiramus in his, Heiulo Heiulatus, Heiulatio. quæ uoces fiunt ab eo, quod est hei, que uox est doloris & gemitus.

E' ante L'.

SEQVENTE autem L' aspiramus E' in hac uoce Heluo, heluonis. licet uerbum eluo à quo ducatur aspiratione careat. addita tamen est nomini aspiratio. ut exprobrationis uis aspirandi augeretur. Vnde & Heluari ueteres dixerunt. Est, inquit, Festus heluo dictus immoderate bona sua consumens ab eluendo, cui aspirant ut auiditas magis exprobretur. Fit enim uox incitacior. eademq; ratio fuit ut dixi hebes nominis aspirandi, ut aspiratio uim exprobrationi adderet. Veteres etiam huic nomini quod est Heluacia aspirarunt. Erat autem heluacia genus ornamenti lydij dictum à colore boum qui est inter rufum, & album. Appellabaturq; heluus. quanquam hæc eadem uox apud ueteres Saburram etiam significaret. Heluius autem & Heluia propria nomina in sepulcris nunc aspirata inuenias. ut in hoc. M. HELVIO CRESCENTI. M. HELVIVS HERMIAS LIBERTO FECIT. Nunc sine aspiratione. ut in hoc. AVRELIAE VALERIANAE VIXIT ANNIS XXIIII. MENSIB. VII. DIEB. XIII. ELVIA CHRESIA FILIAE DVLCISS. Heluetios galliæ populos in antiquis codicibus aspirationem habere inuenio. In græcis autem aspiramus E' ante L' in his Helena, Helenus, Helinũ, herba quæ è lacrimis helenæ nata dicitur. Libuit hoc loco notare uetus epigramma quod Capuæ exstat. CESELLIAE CONLIBERTAE HIMNINIS OSSA HEIC SITA SVNT HELENA LIBERTA DE SVO FECIT. Heliotropium nomen herbæ, quæ ex eo dicta est quod mane ad solis spectans exortum iter eius sequatur etiam ad occasum. Heliades, Heliodorus, Heliopolis. Heliogabalus, Heliocopis nympha, Heliocrysos herba floris aurei. & quæ dicuntur à nomine Helios, Aelius tamen, et Aelia romana nomina aspiratione carent. habẽtq; diphthongon AE'. Hellas nomen fluminis. Hellenes, quo nomine fuit Deucalionis filius à quo græcos ἕλληνας nonnulli credunt fuisse nominatos. Hellanicus, Helle, Hellespontus. Sunt qui uelint Elis Elidos aspirationem habere. Helorus Siciliæ fluuius. fuit & Helorus istri fluminis filius, qui ab Aiace occisus est in ea pugna quam Græci cũ Telepho Rege mysorum habuerunt. Helice urbs Arcadiæ, quam mare absorbuit, de cuius nomine ursæ sydus fortasse uocatum est à poetis. uidelicet quod Calisto Lycaonis Regis filia, quæ ex Vrsa cum

filio in stellas uersa est Arcas fuerit & fortasse Helicensis. è græcis tamen poetis sunt qui tradant Helicen & Cynosuram cretenses fuisse iouemq; nutriuisse, quo merito à ioue in cælum ambæ tralatæ fuerint. Est & Helice promontorium, Helicon mons Bœotiæ, Heliconiades. Elleborus herba caret aspiratione. Helpis nomen proprium. licet græci non aspirent, tamen in quibusdam epigrammatibus aspiratum inuenies. ut in hoc CLODIAE HELPIDI CONIVGI INCOMPARABILI GENIALIS MARITVS. Similiter Helpidius & Helpidianus, in quo maiores nostri uidentur græcos non fuisse secuti. Eruditorum tamen, quos ego noui nemo nunc his nominibus aspirat. Fuit & Elpes Boëtij nostri uxor. cuius epitaphium est.

" Elpes dicta fui siculæ regionis alumna.
" Quam procul à patria coniugis egit amor.
" Quo sine mæsta dies, nox anxia flebilis hora.
" Non solumq; uiro spiritus unus erat.
" Lux mea non clausa est tali remanente marito.
" Maiorisq; animæ parte superstes ero.
" Porticibus sacris iam nunc peregrina quiesco.
" Iudicis æterni testificata thronum.
" Ne'ue manus bustum uiolet'ne forte iugalis.
" Hæc iterum cupiat iungere membra cinis.

Hellanodices idest iudex certaminis. Helisabet Iudæum nomen.

E' ante M'.

ANTE M' autem aspiramus E' in hac uoce hem, quæ latina dictio est, traxitq; aspirationem à natura. In græcis autem Hemina genus mensuræ. hemicyclus genus sedis. hemisperium quæ uox cæli dimidium significat. Hemiolius quædam arithmetica proportio. continens aliquem totum numerum, atq; eius dimidium ut se habet tres ad duo, & quindecim ad. X. hemistichius uersus imperfectus & omnia quæ fiunt ab hemi quod græce significat semis. Hemus mons. hæmonia prouincia, & hæmonides proprium hominis. atq; in his tribus AE' diphthongon scribimus. hæmorrhoides genus morbi, αἷμα enim sanguis ab illis dicitur, recipitq; AE' diphthongum. inde αἱμοῤῥοέω. ῶ. uerbum, quod significat idem quod fluxu sanguinis laboro, & profluuium patior.

E' ante N'.

ANTE N' aspiramus E' ut eniochus, huic tamen uoci henetus si atticos sequi uoluerimus aspirationem non præponemus, sin æoles. Nã

hi diagamma ponebant ante E' loco eius aspirationem ponemus, quãquam pro Heneto, Venetum tunc dicamus. Male qui aspirant huic dictioni Enyiò de qua apud Lucanum.

» Aduersáq; risit Enyió.

Hendecasyllabus uersus undecim syllabarũ, qualis ille Catullianus.

» Passer deliciæ meæ puellæ.

E' ante O' & P'.

O' QVOQVE patitur sibi præcedere E' aspiratum in hac uoce græca Heöus, Heöa, Heöum, quæ uox fit ab eo, quod est ἡώς, idest dies, & aurora. pleriq; tamen græcorum ἠὼς idest mane non aspirãt. P' uero in nostris dictionibus non patitur sibi præponi E' aspiratum, nisi in quibusdam, quas à græcis mutuati sumus, quæ sunt Heptas, & Heptimemeris. omnibus autem, quæ fiunt ab eo, quod est ἑπτὰ aspirandum est, ut Heptaphorus nomen hominis proprium. & item Heptaporus Troiæ fluuius. Est & ἥφαιστος proprium uiri, & nomen Vulcani. Epodos aspiratione caret. Inuenio in quodam ueteri sepulcro nomen hepennia aspirationem habere.

E' ante R'.

ANTE R' autem aspiramus E' in his, Herus, Hera, Herilis, Hercules. Herculeus, Herculanus. Fuit & Herculanum Campaniæ oppidum. Placet hoc loco mentionem facere cuiusdam uetustissimi sepulcri quod ipsi in Pelignis inuenimus, in quo titulus inscriptus hic erat. P. MEMISIANAE VXORI CASTISS. ET INCOMPARABILI AFFECTIONE FEMINAE. CVIVS DE OBSEQVIIS DICERE MINVS SVPPLET DOLORE Q. HERCVLANVS MARITVS, CVM PIGNERIB. DE EA NATIS LOCVM CONSECRAVIT. Quo in epigrammate cum sit uetustissimum, apparet apud uetustissimos latinos pignus emisisse genitiuum pigneris per E' non pignoris per O'. Et hoc uerbum supleo unde dicta est supellex habere unum p. Heraclitus, Heracléa, Herilus, Heros, Heröus, Heröicus, Heröis, Heròine, Herodes, Herodotus, Herostratus, Herophilus, Hermus, Hermei populi, Hermes, Hermaphroditus, Hermagoras, Hermione. Hermiones olim populi, Hermocrates, Hermolaus, Hermippus, quæ q̃d fiunt ab eo, quod est ἑρμῆς idest Mercurius. Itemq; Hermæ, qui sunt lapides quadrati, quos Athenienses solebant ponere tum in priuatarum, tum in sacrarum ædium uestibulis, ut significaretur rationem, & ueritatem perinde, ut forma quadrata rectã semper stare. Dicti autem Hermæ à Mercurio, qui esset Deus rationis et ueritatis. ἑρμηνέα interpre-

tatio, unde liber περὶ ἑρμηνείας Aristotelis. Hercinia sylua Germaniæ, & Hercinij populi, habent ὑ. Hersa, Hersilia uxor Romuli quæ in horam uersa templa cum Quirino tenuit. Est autem ἥρσα apud græcos, id quod apud nos est ros. Eridanus, et Eremus, et Erigone, et Erebus aspiratione carent. Hæresis, & Hæreticus aspirationem retinent ante diphthongum AE. Fit enim hæresis à græco uerbo αἱρέομαι, ἕομαι quod est eligo, & capio. Aspirant etiam græci ἕρπω pro quo nos dicimus serpo, & ἕρπυλλον Serpyllum, et Herpes quod animal inde duxit nomen, quod eo præcipue sanentur ea, quæ serpunt. Aspirant etiam huic uerbo ἕρδω quod tum facio, tum sacrifico significat. à quo puto ductum nomen proprium Herdonius. De latinis uero aspiramus Hæreo, cuius aspiratio inest natura cum diphthongo AE, et quæ ab eo ducuntur, hæres, hæreditas, hæreditarius, hæredipeta, hærediolū, idest prædiolum, Exhæredo, exhæredatio, Hæres nomen deæ, cui ueteres post acceptam hæreditatem rem diuinam faciebant. At Erciscundus, quam uocem apud iurisconsultos sæpius reperies, & Ercius quem alio nomine Iouem penetralem romani uocauerunt aspiratiōe carent. Ercium enim antiqua dictio, unde erciscūdum dici uolunt, à coercendo tracta est. unde & Iouem Ercium puto dictum quod mala crederetur arcere. Herennius proprium hominis aspirationem habet. quod etiam indicant sepulcrorū inscriptiones, et heri quod à græco dici uolunt, et Hernicus. fuere autem Hernici Italiæ populi ex eo dicti, quod asperam, & saxosam incolerent regionē. Marsi enim saxa herna dixere, et Hernū durū, unde uolūt herniā dictā à qbus cum ipso uocabulo aspiratio accepta est. q̄uis Macrobius uelit hernicos à duce quodam pelasgo dictos. proptereáq; à Virgilio pelasgum quendam hominem Hernicas ducem datum. Et ut ad uerbum hæreo redeam. tametsi ego existimem esse huic uerbo aspirationem naturalem, tamen non desunt, qui arbitrentur additam esse aspirationem, ut differret ab ære, qui est sextus casus nominis es in secunda imperatiui persona. Trahitur ab eodem uerbo herba, quod fixa solo hæreat, & ab herba Herbidus, Herbosus, Herbaceus, Herbularius. Et quoniam herba est uiride pecoris pabulū à ueteribus Herbilisander, dictus herba pastus, quasi grauidior, quàm pastus frumento. Eruca autem, & erugo ut dicam quod sentio, aspiratione carent. Neq; enim fiunt ab hæreo uerbo ut Apuleius uult. Nam ærugo ab ære dicitur, habetq; diphthōgum AE Ea, ut inquit Plinius, fit pluribus modis. Nam & lapide excoquitur, ut æs deraditur, & in ære candido perforato. Atq; in cadis super acetum æreo obturatum operculo, mul

» to probatior quàm si hoc idem squamis fiat. Quidam uasa ipsa candi
» di æris fictilibus condiunt in aceto raduntq; decimo die. alij uinaceis
» contegunt, totidemq; dies radunt. Alij de lima æris scobem aceto spar
» gunt, uersantq; spatijs sæpius die, donec absumatur eodem scobe.
» Alij terere in mortarijs æris ex aceto malunt, ocyssime uero contin-
» git tenacior recisamentis, in acetum abditis. Hæc igitur Plinij uer-
» ba declarant æruginem ab ære dici, quando ex ære fiat. Eruca ue-
ro aut quod urat dicta est. Nam & linguam pungit, & sanguinem exurit, ut sit eruca quasi uruca V' in E uersa. aut qđ fortasse dicta sit ab esu, hoc est ab edendo & cum principio esset esuca, postea commutatione literæ facta est Eruca, ut ex Valesio, Valerius, ex Fusio Furius, ex Auselio, Aurelius. et ex Asa, Ara ut Varro est author. Ait enim aras primum ansas dictas, quod esset necessarium à sacrificantibus teneri. Ansis autem solere teneri uasa quis dubitat? Commutatione igitur literarum aras dici cœptas, ut Valesios, & Fusios & Plusima, pro quibus dicimus Valerios, Furios Plurima, & ut Festus etiam refert, pro Laribus Ferijs, maioribus, melioribus ueteres dixerunt. Lasibus, Fesiis, Maiosibus, Meliosibus, & Arboses pro quo nos Arbores. Vigirlius quoq; hoc ipsum significare uidetur cum ait.
» Talibus orantem dictis arasq; tenentem.
Ergo ut ex ansa remota litera N' Asa primo. post uero conuersiones S' in R' Ara dicta est, Sic ab esu primum Esuca, postea Eruca uideri potest dicta, Eruum sunt qui putent aspirationem habere quod ab herba dictum sit, ut sit eruum quasi Herbum, mihi magis placet ab eruendo dictum esse. Nam ut legumen à legendo, idest carpendo. et Lenticula quasi Legenticula, sic Eruum ab eruendo. Carpitur enim & manu uellitur, ut alia legumina. Nunc Eruillum uulgo dicitur. Sunt tamen qui putent è græco dici quod est ὄρβος & aspiratione similiter carere. Heritius, & Herinatius, sunt qui putent ab horrendo dici, atq; exinde aspirationem trahere.

E' ante S'.

DICTIONES Vero quæ habeant è aspiratũ ante S' sunt hæ uidelicet. Hesternus ab eo quod est heri. & Hesito ab hæreo. habetq; dipthongon Ae'. Itemq; Hesperus, Hesperia, Hesperides, Hesperugo, Hesiodus. ἱστιαῖος, hestiodorus. Hestica oppidum quoddam Aetoliæ. Hesione Laomedontis filia, quæ uoces omnes supradictæ à græco trahunt aspirationem, Hesaias, & hester.

E' ante T' & V' & X'.

E' ante T' apud nostros non habet aspirationem, Græci tamen aspirant ἕτερος idest alter, & Heteroclitum quod nos ab eis accepimus, & ἑτερογενής. Prisci Hetam dixerunt quasi Hietam rem minimi pretij, ut est oscitatio, & hominis halitus. Hetam alij uolunt esse pustulam illam quæ in coquendo assurgit ut uidemus in ahenis & caldarijs dum feruent. Ante V' aspiremus E' in his solum Heu, & Heus de quibus dixi. At ante X' in aliquot græcis, quæ sunt Hexameter, Hexameron idest sex dierum, et Hexagonus. Fiunt enim à uoce ἕξ pro qua diximus sex.

E' ante Y'.

ANTE υ', græci non modo non aspirant E'. uerum si in aliqua uoce sit E' aspiratum recipiaturq; post υ' aspirationem abijciunt. Ipsi enim aspirant ἕκηλος idest quietus. cum tamen interijciunt υ' & dicunt εὔκηλον aspirationem amouent. Simili modo dum pro eo quod est.

ANTE Z' quoq; aspirant huic uerbo ἕζομαι idest sedeo, male, qui Ezecias & Execiel aspirant.

I' ante A' aut B' aut C' aut D'.

ENVMERATIS his dictionibus quæ aspirationem exigunt ante E' Dicam eodem etiam ordine de I' uocali, idest in quibus dictionibus ei sit aspirandum. Ac primum de illis, quæ habent aspiratum I' ante A' aut B' aut C' aut D'. Aspiramus igitur huic uoci Hiatus, quæ fit ab hoc uerbo Hio, Hias, Hiat. Dixere etiam ueteres Hietare, Hiarbas, & Hibex, et Hibictus sunt qui aspirent. Iberia autem, & Iberus & Iberna aspiratione carent. Hic pronomen etiã cum transit in aduerbium aspirationem habet. Hicetaon cuius filius Melanippus de quo apud Homerum. exstat epigramma in quo est nomen hidis. D. M. AELIVS ANTIOCHVS HIDI BENEMERENTI QVAE VIXIT ANNOS. LI. MENSES IX. LVCIVS SEPTIMIVS SATVRNIVS COIVGI CARISS. Quo in monimento dictio coiugi est sine litera N' scripta. Hidymeles proprium hominis.

I' ante E' aut F' uel G' uel L'.

SEQVENTE Autem E' non aspiramus I' in latinis uocibus, nisi in illis temporibus Hiem, Hies, Hiet. Sed de obliquis casibus nomi

num, & temporibus uerborum sat sit præcepisse illud, quod obliq
sequantur rectos, acceptamq́; ab illis aspirationem retineant. quodq́;
eodem modo cætera uerborum tempora à suo præsenti aspiratione
non differunt. De græcis autem aspiramus Hieron, Hieronymus,
Hieropolis, Hieremias, Hiericho nomẽ oppidi, quod erat in Iudæa,
Hierosolyma, Hierusalem, Hierarchia. Hiera una ex insulis æolijs.
Fuit & uia sic quondam dicta, quod ea irent sacerdotes ad eleusi-
niã Cererem. Appellata est etiam Hiera uxor Telephi Regis myso
rum, quæ à Nereo interfecta dicitur, cum marito ferret opem, qui
ab Achille uulneratus fuerat, ea, ut fabulæ tradunt, tantæ pulchri
tudinis fuit, ut etiam Helenam superaret. Hieri scythiæ populi. Hie
ropicra genus medicinæ. Hierax uero nonnulli tenuant I. In qui-
bus quidem dictionibus si græcos imitari uolumus primam literam
uocalem faciemus, eiq́; aspirabimus. Sunt tamen qui in consonantem
uertant. & é duabus syllabis unam cogunt. Nam græce Hieron
trium est syllabarum. Hieronymus uero quinque. I' autem cum est
consonans aspirationem nullo modo recipit, quæ res efficit, ut nomen
Ianus aspirationem non habeat quam habet Hio primitiuum. Di-
ctum autem esse Ianum ab Hiando, Festus author est. Eadem ratio
» est Ianuæ. Ipsius Festi uerba sunt. χάος appellat Hesiodus confu
» sam quondam ab initio unitatem hiantem, patentemq́; in profundum
» ex eo χαίνειν græci, nos hiare dicimus. Vnde Ianus detracta aspi-
» ratione nominatur, eo quod fuerit omnium primus. Cui supplica-
» bant uelut parenti à quo rerum omnium factum putabant initiũ.
Quamobrem in hoc nomine Hieronymus si primam, quæ græce
uocalis est, consonantem fecerimus, aspiratio demenda erit. Nam I'
consonans, ut dixi, aspirationem non recipit. Ad hæc scire etiã opor
tet I' cum sit consonans ab aspiratione semper abhorrere, ut à se lon
ge aliena. Hiempsal, quod punicum est in uetustis codicibus, aspiratũ
inueni. Nullæ latinæ dictiones ante F' uel G' habent I' aspiratum.
quanquam græci aliquando aspirant, ut ἡγούμενος idest dux, seu
præfectus. At ante L' aspiramus Hilum cui uoci aspiratio natura
inest. Dixere autem ueteres Hilum, id quod est in grano fabæ. Fiũt
ab hac uoce nihil nihilumq́;. Aspiramus etiam græcos imitantes Hi
laris, & Hilarius, & Hilarodus quæ uox apud priscos signigifi-
cabat lasciui, & elumbis carminis cantorem. Hilaritas, Hilaritudo,
Hilaria. quod nomen apud ueteres erat pluralis numeri & generis
neutri. ut Saturnalia, & Dionysia, Hilæ Hilarũ quæ est prisca uox.
significabatq́; genus farciminis, siue, ut Festus dicit, intestina quæ ue

teres hoc nomine appellabant, à qua uoce boillas uicum dictum putarunt, quod eo bos intestina trahens aduenerit. Quod si est, hoc quoq; nomen aspirationem tenet in media syllaba. Ego in uetustissimo lapide scriptum uidi non boillas, sed bouillas cum litera u'. Hila Varro putat dicta ab hilo, idest minimo. Hilum aspirationem habere docet nomen filium, quod cum ab hilo dicatur, ut Varro est author, in F' mutauit aspirationem, Illyrium, Illyria, & Illyricus aspiratione carent. Dixere etiam prisci Hilare, ut in uetere Afranij uersu propter patruelem tuum constituit anhelans hilare deiecta coma. Quin etiam ab eo quod est hila protulere diminutiuum hilla, idest intestina. ut inquit Festus à græco uerbo, quod licet græce δασεῖαν non habeat, tamen inter aspiratas dictiones ab antiquis collocantur Hilla, & Hille.

I' ante M' & N'.

ANTE M' uero in nulla uoce nostra aspiramus I' in græcis autem aspiramus Himera urbs Siciliæ, Himerensis. Imbros aspiratione caret. At ante N' aspiramus I' in aliquot nostris dictionibus, quibus aspiratio ipsa naturalis est, Hinnio, Hinnitus, Hinnibūdus. Hinc aduerbium quod fit ab eo quod est Hic litera N' interiecta, Vsus quoq; eruditorum aspirat etiam his dictionibus Hinus, qui ex Equa, et asino nascitur, & Hinulus, & Hinuleus.

I' ante O'.

EX OMNIBVS latinis dictionibus unam tantum inuenias in qua I' aspires, ante O' ea est Hio, Hias, à quo fit Inhio, Inhias, cui aspiratio naturalis est, quod id uerbum uegetiore spiritu debeat proferri. Iocasta caret aspiratione. Iosephus Ioannes, Ioacim, in quibus I' uocalis est non consonans, apud græcos aspiratione carent, qua tanto magis carebunt apud nos si primam literam consonantem fecerimus.

I' ante P'.

ANTE P' aspiramus uocali I' in græcis plurimis Hippasus, Hippolytus, Hyppolytion, Hipparchus Hippocrene fons Bœotiæ. Hippocoon, Hipponous, Hippotion. Hippodamas, Hippodamia. Hippodes populi scythiæ. Hippo oppidum Africæ. Vnde Hipponensis, Hippomanes, Hippago genus nauis ad equos deuehendos, Hippias, Hippotoxota, idest eques sagittarius, Hippodromus, Hippocrates, Hipsicratea uxor Mithridatis, Hippocāpus equus marinus, Hippopotamus equus fluuialis. Hippomanes. quod ut ait Virgilius.

» Sæpe malæ legere nouercæ,

» Miscueruntq; herbas, & non innoxia uerba.

Ferunt enim hippomanes uel legi è fronte pulli equini statim cum aluo materna missus est. Vnde ait Virgilius.

» Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus.

» Et matri præreptus amor.

Vel certe uirus esse defluens ex obscœnis equarum, dum libidinis ardore feruntur. Vnde apud Tibullum.

» Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Quod quidem uolunt habere uim insaniæ, Hippius Neptuni cognomen ex eo inditum, quod ex Tridentis eius percussione natus fuerit equus, quem græci ἵππον dicunt. Hippocomus puer qui & equum comit, Hippocoum genus uini dictum ab Hippo loco eius insulæ quæ Cos ab antiquis dicta est. Hippacuo idest celeriter animam duco quod equorum anhelitus admodum sit cautus. Iphis uero, & Iphias, & Iphi à nassa, & Iphitus habent I' tenue.

I' ante R'.

ASPIRAMVS etiam I' ante R' in his uocibus Hirsutus, et Hirtus, quibus aspiratio à natura hæret. Sunt tamen qui uelint Hirsutum dici à uerbo horreo, Dixere etiam prisci Hirtipilum, idest Hirtos habentem pilos. Huic nomini Hircus aspiratio loco F' præponitur. Nam Sabini fircus dixere, quanquam, si Quintiliano credimus, principio Romani non aspirabant huic uoci. Eadem ratione aspiramus hirquus, cum significat eam partem oculi qua palpebræ committuntur, quod nomen satis quidem inepte Apuleius grammaticus inde uult dictum, quod illic hæreant oculi. Tradunt etiam Grammatici uocem hanc, in hac significatione scribi debere per Q. cum uero significat animal per C'. quod quanquam non improbo, tamen existimo ueteres in utraq; significatione scripsisse per Q. Nam & Hirquitulos dicebant pueros ad uirilitatem accedentes ab Hircorum scilicet libidine, quæ res aperte indicat etiam Hircum pro animali p Q pronuntiasse illos, et Hirquos dixisse. non quod ibi hærerent oculi, sed quod signa libidinis, quæ maxima in Hirquis, idest Hircis est, illic essent, eorumq; motu declararetur. Arcum etiã p Q scribebãt, & cum cœlestis arcus significabatur, & cum arcus quo sagittarij utuntur. Vnde arqtes uocabantur ab antiquis, qui postea uocati sunt sagittarij. & qui nunc dicitur Acipenser ab illis dictus est per Q Aquipenser, ab aquis uidelicet. est autem Acipenser piscis, aliquando in conuiuijs laudatus. Quid? quod pecuniam per Q scribebant, quod inscriptio hæc manifestum facit. Q. FILIVS L. FILIVS

RVFVS Q. AGRIVS Q. FILIVS CELER PRAETOR DVVMVIR LANARIAS, ET QVAE IN HIS SVNT SVA PEQVNIA FECIT, VT EX EO VECTIGALE QVOTANNIS COLONIS MVLSVM ET CRVSTVM NATALE CAESARIS AVG. DARETVR. Quo in elogio duo in primis notanda sunt. hoc est consuesse ueteres pecuniã per Q scribere, qđ ego alibi quoq; notaui, & Ablatiuos casus nominum tertiæ declinationis, quæ neutri essent generis, & in E' rectum casum haberent, in E' quoq; exire literam finalem. Nam cum dicerent hoc uectigale in recto, pro quo postea uectigal dictum est, dicebant ablatiuo casu uectigale, ut hic cernitur. Et primo casu mare, sexto etiam casu mare. Vt apud Lucretium.

» E` mare primum homines è terra possit oriri.
» Squamigerum genus, & pecudes erumpere cælo.

Hirpinus secundũ quorũdam opinionem habet aspirationẽ. Hircius nomen propriũ aspirationẽ exigit, siue dictum fuerit ab Hirco, ut ab Asino, Asinius, et à Vulpe Vulpius, siue ad Hirto, quod si sit per T' scribi oportet forsitan & ab eo dictus est, quod apud priscos erat Ercius, mutata litera, de qua uoce superius dixi, quod si sit, aspiratione carebit. Græci per T scribunt, nec aspirant, quæ res declarat maiores nostros non aspirasse huic nomini Hirudo si dicitur ex eo quod hærendo sanguinem ducat, aspirationem habebit. sed non conuenit in quantitate syllabæ. Hirundo auis uidetur dicta esse à Vere qđ Vere ad nos transeat. qđ si est. litera V' mutata est in aspirationẽ, quãuis hodie non est qui aspiret. Dixere etiã ueteres hirrire quod tractũ est à canibus rabiosis. Iros nomen oppidi, quá Homerus ouiũ matrem dixit. Et Irus proprium hominis, et Iros idest uer. Itemq; Iris aspiratione carent. Et Ironia & Ironicus. Hiros tamen cum sacrum significat θυσεῖαν apud græcos habet. Hira oppidum Argolidis.

I' ante S'.

ANTE S' quoq; aspiramus I' in uerbo Hisco, quod traxit aspirationem ab Hio uerbo, de quo dixi, Hispidus, Hispida, Hispidũ aspirationem habet natura sibi hærentem. q̃q̃ qdam ab horrere dici uolũt. De græcis autem aspiramus Historia, Historicus, Histopus genus nauis. Ister uero Istrio Isagoras Isauria à qua deuicta Seruilius Isauricus dictus est Isopleuros triangulus habens latera æqualia. Isomerinos circulus æquinoctialis. Item Ispania, & Ispanus hæ uoces omnes habent I' tenue. Licet quidam huic nomini Ispania contendant debere aspirari, quod ego probo, & in uetu-

stissimus quibusdam monimentis aspirationem habeat Hispania, & Hispanus. Caret etiam aspiratione Isæus nomen oratoris, quod nomen habet Ae´ diphthongon post literam S´. Nam quod istrio ponatur apud Festum inter uoces aspiratas, aut fuit error eius, qui id uolumen in hunc ordinem, quem nunc habet, redegit, aut certe uoluntas hominum illius temporis, qui contra græcam institutionem aspirare uoluerunt.

I´ ante T´ & V´ & X´ & Z´.

ANTE T´ uero & V´ & X´ & Z´ non aspiramus I´ nisi in nomine Hiulcus, quod à uerbo Hio aspirationem trahit. Græci tamen aspirant aliquando I´ ante X´ & Z´ ut in his uerbis ἵζομαι, & ἱζάνω. ac de litera I´ satis dictum est.

Ypsilon.

RESTANT Pauca quædam dicenda de litera Y´ quod græci ὑ´ à soni tenuitate uocauere, quoq; nos in græcis tantum dictionibus utimur, aut in quibus græcos immutamur. unde græcum Y´ à posterioribus dicitur. Scire igitur oportet græcos dasea notare ὑ´ in omnibus dictionibus quæ ab eo incipiunt, quanquam Aeoles hoc non seruarunt, qui δασύνειν fugiebant. Aspiramus igitur Y´ ante A´ in his, Hyàs, Hyades stellæ quædam in fronte Tauri dictæ ex eo quod ex ortu suo pluuias excitent, uel quod in speciem Y´ literæ positæ sint in cœlo. De quibus alij quidem loquuntur in hunc modum. quod hæ Bacchi nutrices fuerint, et cum Iunonis iram uererentur, fugerentq; Lycurgi Regis sæuitiam, Iupiter eas cœlo intulerit, & stellas esse iusserit. Alij autem tradunt Atlantem ex Aetra uxore Hyam filiũ suscepisse quem à Leone deuoratum, cum sorores miserabili lamentatione prosequerentur, & mœrore uitam finirent, Iupiter illas miseratus in stellas uerterit, ut earum pietatis perpetuum hoc esset testimonium, quæ de fratris nomine Hyades ab hominibus dictæ sunt. Hyantis, Hyacinthus & lapis, & flos, & nomen proprium, Hyacinthinus à colore, Hyacinthia sacra Hyacinthi. Nec uero me latet multos contẽdere, ut prima litera I´ sit iota secunda sit ὑ Hyantheus, Hyãpolis urbs Phocidis. Hyalos uitrum, hyalinus uitreus. hyolenses Siciliæ populi ANTE B´ in his Hybla mons Siciliæ & oppidum, & pars Atticæ. Hyblæus Hyblon nomen Regis à quo hybsei. Hybrida ignobiliter natus, Hybris enim tum contumeliam, tum flagitiũ, tum stuprum apud græcos significat. ANTE D´ in his Hydaspes fluuius, Hydra, Hydrus, Hydrops, Hydropicus, Hydromantia, hydraulos genus

draulos genus organi musici, Hidria uas, Hydrus mons. Hydrus oppidum. Hydarnes proprium hominis, ac demum in omnibus quæ fiunt ab Hydor, ut Hydrochous signum cœleste, id est aquarius.
ANTE E' Hyems, si uerum est quod & hyems, & hymber à græco uerbo ducantur, quod udum & pluuiosum significat. Mihi magis uidetur ab hyando hyemem dictam esse, quod, ut Varro ait, animaq; à nobis flatur, tum appareat, Spiritus enim ipse noster dum spiramus hyeme quasi in nebulam concretus cernitur, ueteres autem latinos arbitratos esse hiemem ab hiando magis, quàm à uerbo græco dictam. Hoc satis declarat quod in uetustissimus codicibus per I' latinum scripta semper inueniuntur, & hyems, & himber, & hibernus. idq; seruandum ipse iudico. Hyems enim est dicta quasi hians, & quod non solum anima nostra, ut Varro ait, sed & aer ipse hiet, Ab Hieme, Himber dictus, quasi hiember detracta litera. Hieme enim exsistunt frequentiores Himbres. Ab ipso autẽ Himbre fit Hibernus dempta M' litera, ut à patre paternus. & à Matre Maternus. Hyæna quam ex fœmina in marem uerti fabulæ tradũt. Est autem serpens quam uno anno marem, altero fœminam esse tradiderunt. Scribitur etiã Hyæna per Ae' diphthongon, Hyei populi locridis. Hyella Oenotriæ oppidũ à Phocensibus conditum. Ante F' quæ latina est litera Y' scribi non potest, pro qua ph in græcis utimur.
ANTE G' Hygia proprium nomen, exstat Neapoli urna in qua hæc leguntur. M. AVRELIVS NICOLAVS AVRELIAE HYGIAE CONIVGI DVLCISS. B. M. FECIT. Hyginus nomen proprium.
ANTE L' hylas Herculis puer à nymphis raptus. Hylagmos nomen canis Hylacus hominis, Hyle materia, Hyllus nomẽ propriũ.
ANTE M' hymen, hyemenæus, Hymnus. hymettus mons. Hymella fluuius. Hymees uiri proprium.
ANTE N' uocem nullam accepimus quæ habeat Y' aspiratum.
ANTE O' hyoscyamus herba.
ANTE P' hyphe, Hypsiphile, Hypocaustum. Hypsenor, Hypenor, Hypallage Hypanis, & Hypacaris flumina scythiæ, Hyperbole, Hyperbaton, Hypothesis, Hypocrita, Hyparcus id est præfectus, Hypostasis, Hypermeter uersus, qui syllabam superabundantem habet. Hyperborei montes, Hyperiochus uiri proprium, & Hyperides, Hypermestra, Hypatos, Hypotheca, quæq; fiunt ab ὑπὲρ, & in his Hyperion, quo nomine dictus est sol, quod super teras feratur. Hyperio nomen nymphæ, Hyperia fontis, Hyperides nomen proprium, hy-

perborei, qui habitant super, idest ultra aquilonis flatum, quos tradunt humanae uitae modum excedere, Hypnus, & Hypneros nomina propria quae in antiquo sepulcro scripta inueni.
ANTE R' hyre oppidum Boeotiae & Hyrcanus, Hyria etiam uicus aulidis, & Hyrie stagnum, seu fluuius Boeotiae, Hyrmine oppidum peloponnesi, Hyra nomen propriũ, Hyrtacus, Hyrtacides. Hyrtius. Cuius meminit Homerus, refertq; eum ab Aiace occisum, Hyrgis flumen Scythiae. Hyroeades uiri proprium.
ANTE S' hystrix animal, Hyssopus herba. Hystaspes nomen persicum, Hespeus uiri proprium. indifferẽter quoq; Hyostyamus, et Hyusquiamus herba hodie dicitur. Et cum hoc nomen graece sit quinq; syllabarum, à nostris ita pronuntiatur, ut quadrisyllabum appareat. graeci dicunt hypsipyle, nos autem P' abiecta saepe dicimus Hysiphyle. dicunt & hys pro quo nos sus. Aspirant etiam graeci y' ante th'. ὕθλος idest nugae, & dictum ridiculum. Sunt qui scribant per iota sine aspiratione.
FVISSET Non parui & certe ingrati laboris uoces omnes colligere, in quibus graeci aspirent huic literae y', quas si collegissem non multum tamen inde utilitatis attulissem latinis adolescentibus, quasdam tantum placuit annotare, quae à latinis acceptae in mentem uenerunt nulla diligentia adhibita, neq; enim graecis haec praecipio. Atq; ut intellegas, quid ipse de huius literae usu sentiam, sic quidem censeo uenia dignum quisquis is sit, qui in eiusmodi dictionibus I' latinum scribat, modo aspirationem praeponat. Neq; enim necessitas aliqua coëgit maiores nostros eam literam à graecis mutuari, quam ne antiquissimi eorũ habuerunt, ex qua accepta haud scio an nobis utilitas parta sit aliqua, an non, pronuntiatio ipsa magis quàm figura docere nos poterat, eam literam tenuiter sonare. tametsi non adeo diligentes in pronuntiandis literis simus, ut hanc differentiam seruet nostrum aliquis. quam ne graecorum quidem, quos noui seruet nunc unus. Graeci etiam cum producunt ή & ώ, quae ἦτα, & ὠμέγα ipsi appellant, alias dederunt figuras, qua in re fuisset profecto, non parua utilitas si illos imitati fuissemus. Sed maiores nostri, quod cum utilitate etiam magna facturi erant, contempserunt, quod autem ab re fuit secuti sunt, in quo laboris aliquid utilitatis certe, aut omnino nihil, aut parum nobis est additum. Sed quoniam maioribus nostris sic placitum est, studeamus, quoad fieri poterit, ut in q. bus oportet dictionibus υ' scribamus, dum tamen ne dũ nimis graeci uideri uolumus, latinos nos esse obliuiscamur, illud non ignoran

tes, quod maiores nostri hanc literam in u' uocalem sæpissime uertebant, & pro Sylla Sulla, pro Thymo Thumus, pro Myrto Murtus dicebant.

O' ante B' & C' & D' & F' & G'.

AC De I' hactenus, nunc de O' dicam, quod quidem nec ante B' nec ante C', nec ante D', nec ante F', nec ante G' aspirationem habet in nostris dictionibus, præterquam in pronomine hoc. et aduerbio, hodie quod ab hoc, & die fit C' litera eiecta. Legimus etiã ueteres dixisse Hodidocos latrones ac uinarum obsessores. Fit enim à græco ὁδὸς idest uia. Hodius habet aspirationem fuit nomen præconis. Ocnus aspiratione caret, & Ode, & Obeliscus.

O' ante E' & I' & L'.

ANTE E' quoq; & I' non aspiramus O'. At ante L' aspiramus Holus holeris, ea causa ut quibusdam placet, ut aspiratione differret ab infinitiuo olere, fuit enim aliquãdo tertiæ coniugationis, quod nullo modo probauerim. Nam prisci illi qui non Holus, sed Helus dicebant. nihilominus aspirabant. Dixere etiam heluela idest minuta holera, & Helusa pro quo dicimus olera. Ex quo satis clarum esse potest huic uoci naturalẽ esse aspirationem. Fit ab eo olus olitor. Græci aspirant Holophernes, & holocaustum, & Holor quos nos sequimur. Sunt tamen qui olor tenuent.

O' ante M'.

ANTE M' aspiramus O' in nomine homo, ut aspiratione differat ab eo, quod est omen ominis. Ego tamen existimo huic uoci inesse aspirationem naturalem. Nam prisci cum non Homo, sed Hemo per E' dicebant, aspirabant ut nunc, & similiter cum dixere Homo, Homonis, ut

» Vulturus in siluis miserum mandebat Homonem.

Quãquam multi pro nomine proprio accipiunt. Quibus in uocibus nulla tunc erat habenda differentiæ ratio. Aspirabant etiã illi huic uoci Homelium, quod erat pilei genus. Aspiramus etiam quæ græcæ sunt ὁμοιομέρεια similitudo partiũ, quo nomine Lucretius utitur. Hinc & Anaxagoræ scrutemur Homoiomerian. Fit hæc dictio à uoce aspirata ὅμοιος idest similis, & ὁμώνυμον idest eiusdem nominis, & Homonymia. ὁμογενὴς eiusdem generis. Vnde & homogenium, Homophonos eiusdem linguæ, Homilia, Homelus mons thessaliæ, Homerus Homericus. Homeromastix, Homolobrus, Homonœa proprium mulieris. Significat autem græce ὁμόνοια concordiam. Exstat mulieris eius nominis epigramma his uerbis.

» Tu qui secura procedis mente, parumper
» Siste gradum quæso, uerbáq; pauca lege.
» Illa ego quæ claris fueram prælata puelis.
» Hoc homonœa breui condita sum tumulo.
» Cui formam paphiæ charites tribuere decorem.
» Quam Pallas cunctis artibus erudijt.
» Non dum bis denos ætas mea uiderat annos.
» Iniecere manus inuida fata mihi.
» Nec pro me queror, hoc morte est mihi tristior ipsa.
» Mæror athimeti coniugis ille mei.
» Sit tibi terra leuis, mulier, dignissima uita.
» Quæq; tuis olim perfruerere bonis.
» Si pensare animas sinerent crudelia fata.
» Et posset redimi morte aliena salus.
» Quantulacunq; meæ debentur tempora uitæ.
» Pensarem pro te cara homonœa libens.
» At nunc quod possum fugiam, lucémq; deósq;,
» Vt te matura per stygá morte sequar.
» Parce tuam coniux fletu quassare iuuentam.
» Fatáq; mœrendo sollicitare mea.
» Nil prosunt lacrimæ nec possunt fata moueri.
» Viximus, hic omnes exitus unus habet.
» Parce ita non unquam similem experiare, dolorem.
» Et faueant uotis numina cuncta tuis.
» Quodq; mihi eripuit mos immatura iuuentæ,
» Id tibi uicturo proroget ulterius.

ATHIMETVS PAMPHILI TIBERII CAESARIS AVGVSTI .II. ANCEROCIANVS SIBI ET CLAVDIE HOMONOEAE CONLIBERTAE ET CONTVBERNALI.

O' ante N'.

ASPIRAMVS etiam O' cum præcedit literæ N' in his Honor, Honestus, Honoro, Honoratus, Honorius nomen proprium. à quo Claudianus Honorides patronymicum protulit. Honoraria ludi qui à romanis fiebant in honerem liberi patris. Sed honos si Varroni credimus dictus est ab honesto honere, & honestus quod honus sustineat reip. Seruius quoq; inquit honustus dicitur cui honus ipsum honori est, ut siquis spolia de hostibus ferat. Retinet etiam aspirationem. Nam ab honere descendit, quæ uerba indicant honus

honeris

honeris aspirationem exigere. quod Gellius quoq; affirmat. & nomen honestus, atq; honustus ab honere duci. Sunt tamen & hodie q̃ neq; honus, neq; honustus aspirent, etiam eruditorum usu accedente. Sed cum honor, & honoro, honoras aspirationem retineant quod seruamus in deriuatis, non est abijciendũ in primitiuis. Male qui aspirant Orno, Ornas, & Ornatus. Fiunt enim ab os oris. Honapis flumen Scythiæ habet aspirationem.

O′ ante P′, & R′.

ANTE P′ nos non aspiramus O′ quanquam græci aspirant q̃busdam uocibus, male qui aspirant, Opis nomen Nymphæ, & Opicus. Fuere autem Opici Campaniæ populi in quibus numerabantur Baiani, Cumani, Puteolani, Neapolitani. Hæ nãq; urbes Opicorũ dicuntur fuisse. Aulij Gelij ex undecimo noctium atticarũ uerba sunt hæc. Percuntanti cuipiam q̃ & literarũ, & uocum græcarum expers fuit. Cuius'nam liber & qua de causa scriptus esset, nomen quidem scriptoris statim diximus. rem de qua scriptum fuit dicturi hæsimus. Paulo autem post subdit. Tum ille Opicus uerbis meis inchoatis & inconditis abductus. Hæc Gellij uerba aperte declarant, per ea tempora uocem Opicus, obprobrij uim habuisse, & in conuicijs in illos dici solitam, qui literas nescirent, & incultius, ineptius'q; loquerentur. Id'q; etiam Iuuenalis uerba indicant, cum ait.

Opicæ castigat amicæ,

Idest quæ non latine loqueretur, sed opice. Et quid mirum cum ab oscis qui fuere Campaniæ populi, deductum sit nomen obscœnus. Et festus dicat Opicum pro Osco poni solitum. Et hodie q̃ uino plus nimio indulserit, eum Theutonicum de uitio gentis increpitant, inclamitant. Prisci quoq; uerbum græcari ab eo protulerunt quod græci liberius se haberent in conuiuijs. Multa enim uerba trahuntur à moribus nationum. At ante R′ aspiramus Hortus Horti, ut differat à participio, & nomine ortus. Dictum autem esse Hortum à uerbo orior quod aspiratione caret, ex eo iudicari potest, quod, ut grammatici tradunt, Veteres etiam uillas dixerunt Hortos, quod ibi orirentur qui capere arma possent. ab Horto, Hortensis, Hortènsius, Hortulus, Horreo etiam, et Horror habent aspirationem. Additur enim ipsi uoci ex aspiratione nescio quid quod affectum augeat. Fiunt ab his Horresco, Horridus, Horribilis, Horrisonus. Item'q; ordeum aspirationem habet. non quod fiat ab horreo (quanquam sunt etiam qui dictum uelint ab'oriendi celeritate) sed quod fiat à nomine Fordus, Forda, Fordum. ac loco F′ fuerit aspiratio posita. Prisci tamen illi di

xerunt Hordus, Horda, Hordum cum aſpiratione, cuius loco poſteriores F' poſuerunt, atq; inde aſpiratio in nomine Hordeo manſit. Significat autem Fordus grauidũ, ac prægnantem. ut apud Naſonẽ.

» Forda ferens bos eſt, fecundáq; dicta ferendo.

Quod ex eo etiam iudicari poteſt quod Hordeacia dicta ſunt ab antiquis ſacra, in quibus hoſtiæ Hordæ, ideſt prægnantes imolabantur. Hordeum igitur dictum eſt quaſi Fordeum ideſt grauidum, ac prægnans. ab Hordeo Hordeacius, Hordeia genus piſcis. Hordearium æs, quod equiti pro Hordeo pendebatur. Hordeonius nomen proprium. Itemq; Hornus, Horna, Hornum. uel ut differat ab arbore orno, uel quod fiat ab eo quod eſt hoc & annus, ut multis placet. Dixerunt enim Hornam frugem quæ hoc anno prouenit, Horreum quoq; habet aſpirationem, uel quod fiat ab Horreo uerbo, quod non probo, uel quod dictum ſit à Farre. Nam ueteres Farreum dixere, mutatiſq; literis poſtea ex Farreo factum ſit Horreum. Sunt qui à græco duci uelint. Aſpiramus etiam Horatius, non quod fiat ab Hora, uel ore, aut oro uerbo. Nam ſi fieret ab oro uel ore ſaltem aſpiratione careret, ſin ab Hora prima produceretur quam corripit. Habet igitur aſpirationem Horatius ſi latinum nomen eſt, quod ita maioribus placitum ſit. Sin græcum eſt traxit eam à uerbo ὁράω, ῶ. quod ſignificat uideo, & aſpicio, Inuenio, & Horius nomen proprium. Fieri etiam poſſet ut Horatius dictus eſſet ab ὧρα quæ græce ſignificat pulchritudinem mutata quantitate primæ ſyllabæ, quæ græce in nomine Hora producta eſt. Hortor, & quæ ab eo fiunt uſu ipſo aſpirationem habent. Ab eo enim quod eſt Os Oris, Ortor formatum eſt. Os autem aſpiratione caret, & ſimiliter Hortor ſi naturam originis ſequi uelimus. Sunt tamen qui putent accepiſſe aſpirationem differentiæ cauſa, ne uideretur eſſe frequentatiuum uerbi Orior. Veteres etiam dixerunt Oriam nauim piſcatoriã. ut Plautus in rudẽte.

» Mea opera laborare rete & oria.

Cui debeat aſpirari nec ne affirmare non auſim. Nam ſi latina uox eſt, aſpiratione carebit. Fit enim ab ora oræ. Cuius uocis ſignificatio manifeſta eſt, ut ora maritima, et ora ueſtis, ideſt extremitas. Eſt etiã ora funis, quo naues ligantur in portu. ut apud Quintilianum.

» Oram ſoluentibus bene precemur. Sin autem fit à uerbo græco ὄρνυμι oreo quod ſignificat moueo & excito carebit etiam aſpiratione. Quod ſi forte deducere eam uolueris ab illa uoce ὑρμὸς quæ eſt pars portus. Vnde hodie à nautis dicitur Hormiζo, aſpirationem exigit. Aſpiramus autem, quæ græca ſunt hora quæ par-

tem temporis significat. Et item Hora pro dea iuuentæ. Nam et ὥρα græce pulchritudinem etiam significat. Vnde ὡραῖος adolescens formosus. Significat item plurali numero quatuor anni tempora Horologium. Horizon qui latine dicitur finitor. Est autem circulus quidã sphæræ. Horoscopus, idest ea cæli pars quæ hora qualibet ab inferiori Hemisperio surgit ab oriente, nostri astrologia ascendens appellant. Fiunt autem hæ uoces Horizon, & Horoscopus ab eo quod est ὅρος idest terminus, & finis. Significat etiam Horoscopus apud ueteres instrumentum quoddã ad horas ostendendas. Aspiramus ẽt Horus nomen proprium, & Horosius, & Hormenus, & Horontes fluuius, & Horthes oppidum thessaliæ. Orpheus Orestes aspiratione carent. Itemq; Oreades quæ dictæ sunt ab eo, quod est ὄρος, ὄρεος idest mons, montis.

O' ante S'.

O' cum præcedit S' in nullis nostris uocibus aspiramus, quanquam uincat eruditorum usus in his quæ sunt Hostis, Hostia, Hostio uerbum, Hostimentum, Hostium, Hostiarius. Dixere etiam Hosticapax idest hostis captor. Hospes, Hospitium, Hospitalis, Hospitor, & quæ ab his fiunt. Hostis, inquit Apuleius, quem iam pudet totiens uocare
» in iudicium, ideo aspirationem habet ut genitiuus eius pluralis secer-
» natur ab eo, quod est Ostiũ in nominatiuo casu, uel quod ab Hostio
» uerbo ducatur, quod æquo significat, quoniam in hostium confli-
» ctu quædam consueuerit fieri ordinum æquatio. Concordat enim
» ut ait in hoc nomine aspirationis signum cum re quæ significatur
» quod nota aspirationis secundum ueterem scripturam ita formare-
» tur quasi biceps gladius inter duas hostiles partes. Ac primum qui-
» dem illud, ut secernatur genitiuus eius pluralis à nominatiuo hostiũ
» ineptum sanè est. Hostis enim eodem tempore, quo hostium accepit aspirationem. idq; seruatum semper esse ne forte dubites. Inspice si uacat uetustos codices, & me minime mentitum inuenies. Nam quod hostis fiat à uerbo Hostio, fieri id quidem potest. quanquam non minus uerisimile est fieri uerbum Hostio ab eo, quod est hostis ut uestio, à nomine uestis, & hospitor ab hospes. & Galeor à galea, & gladior à nomine gladius. Sed licet Hostis ab hoc uerbo Hostio esset, non tamen ob id aspirationem sibi usurparet. Cum hoc uerbum Hostio aspirationem naturalem non habeat, quod probari ab Apuleio oportebat. Illud autem penitus anile, quod ait de bicipiti gladio. Ad hæc si ostire æquare est, aut æquum esse, & Hostimentum est æquamentum, ac beneficij pensatio. Et hostes, ut No-

nio etiam placere uideo, inde dicti quod æqua causa pugnam siue
bellum ineat. Vel quod uerbum Hoctio idem aliquando significaret
quod ferio, & offendo, Quá nam ratione uetussimi latini peregri-
num ab initio hostem appellassent. Quod etiam Cicero, & Varro,
& Plautus affirmare uidentur. Et duodecim tabulæ indicant? Si enim
hostis ab hostiendo, idest uel ab æquando, uel à feriendo, seu offen-
dendo, uel quod ex æqua causa pugnam adiret, dictus esset, prisci il
li latini peregrinum hostem non dixissent. Non conueniunt hæc se
cum. Cum qui nunc hostis, idest inimicus dicitur perduellis ab illis
diceretur. Et qui ab illis hostis à posterioribus dictus sit peregrinus.
» Ciceronis uerba sunt hæc. Equidem iam illud animaduerto, quod
» qui proprio nomine perduellis esset, is hostis uocaretur lenitate uerbi
» rei tristitiam mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is diceba-
» tur, quem nunc peregrinũ dicimus. Indicant duodecim tabulæ, aut
» status dies cum hoste. Itémq; aduersus hostem æterna authoritas,
» quid ad hanc mansuetudinem addi potest? eum qui cum bellum ge-
» ras tam molli nomine appellare, quanquam id nomen durius effecit
» iam uetustas, à peregrino enim iam recessit, et proprie in eo qui ar
» ma contra ferat remansit. Varro quoq; eadem sentit. ait enim mul
» ta uerba aliud nunc ostendunt. aliud ante significabant ut hostis.
» Nã tum eo uerbo dicebant peregrinũ, q suis legibus uteretur, nunc
» dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Ex quibus efficitur ut
non Hostis ab Hostio uerbo dicatur. Cum hostis non inimicum, sed
peregrinum significaret apud patres, & authores linguæ latinæ.
Vt autem hostio uerbum aspirationem acceperit qua discerneretur
à sexto casu huius nominis Hostio, fieri id quidẽ potuit. Sed ut una
te absoluam sententia. omnibus his quas posui uocibus aspiratum est
usu quodam, quem posteritas quasi regulam quãdam secuta est, idq;
antiqua stemmata, & tituli indicant monimentorum ac sepulcro-
rum. Nam Hospes inde dictus quod Hostium nostrum petat, uel
quod ore, idest osculo adueniens non petat, ac mutuo petatur, quod
magis probo. Hostium uero inde dictum, quod sit os, idest ingressus
domus. Ab Hospite autem fit Hospitium, & Hospitor, Hospitalis.
Non desunt tamen, qui Hostium ab Hostando dictum uelint. uel à
græco ὠθεῖν quod est repellere, qđ utrunq; aspiratione caret. Qui
ita sentiunt uolunt cum ingressu arcemur aliquo ab obstando ho-
stium dici cum ingredimur, aditum ab adeundo. Differunt tamen et
alia ratione dicimus enim Nili fluminis hostia, & tiberina hostia
qua mare intrant, non aditus, & facilis est ad Regem aditus, non

ficale hostium. Et hæc silua nullos habet aditus, non hostia. Et fenestra patefacta non hostium sed aditum furibus præbuit. Et murorum ruina militibus aditum fecit in urbem ingrediendi, non hostium. Et pulsa hostium, non pulsa aditum. Itaq; aditus, ad plura q̃ hostium pertinet. Apud græcos ostiarius, & ostia habent O' sine dasea, Nam & græce hæc nomina leguntur, quamuis sint latina.

Hostis quoq; cum à priscis diceretur peregrinus, uidetur uel dictus quasi Obistis, quod teras obiret, ut ab eo, quod est peregre peregrinus dictus, uel quod uero propius est. Hostis, idest qui tunc erat peregrinus ab ore dictus. Nam eo qui peregre ueniunt ore, idest osculo accipimus, Fit autem à uerbo Hostio, quod ut dixi, ferire significabat. Hostia. vel fortasse ab hoc nomine hostis, quoniam id sacrificium ob uictoriam fiebat, idest pro uictis hostibus. Vnde etiam lares Hostiolos dixerunt, quod hostes ab eis pellerentur. Et Hostilius nomen proprium, & Hostilia, et hostius. Et Hostia, quod fuit uerum nomen eius puellæ quam à se amatam Propertius Cynthiam uocauit.

Hostorium quoq; ab Hostiendo, idest æquando dictum. Est autem Hostorium lignum æquatorium, idest baculus teres quo in dimentiendo tritico modij æquantur. Forsitan & Hasta ab hostio, idest æquo, uel ferio dicta est mutata litera. Significabat etiam apud ueteres hostire coercere, & comprimere, ut apud Pacuuium. nisi coercuero proteruitatem, atq; hostio ferociam. In perueteri urna scriptum est. C. OSTORIVS ITALVS C. OSTORIO ANTONIO NICONI LIBERTO B. M. FECIT. Hac in urna ipsi animaduertimus nomen Ostorius nullam habere aspirationis notam, quæ res satis indicat priscos illos his nominibus principio non aspirasse. Non tamen ignoro, quod ut ab antiquis Fedus nunc sine aspiratione, nunc Fedus cum litera F' dictus est. sic & Ostis, & Ostia nunc sine aspiratione fuerint ab illis dicta, nunc cum litera F'. Nam fostem, & fostiam dixisse inueniuntur. id'q; ex Sabinorum lingua, & fortasse Fostis, qui erat peregrinus, à Foris ueniret dictus est. In græcis autem aspiramus Hosius nomen proprium. Quæ uox significat pius, & religiosus Et Hosbion similiter hominis proprium. Osiris autem aspiratione caret, & ossa mons.

O' ante T' & V' & X'.

ANTE T' & V' consonans et X' minime nos aspiramus O' præterquam in nomine houum, ut aspiratione differat ab Ouo, Ouas, ut quibusdam placet, quanquam differt etiam tempore, literatorum tamen quos ego noui, nullus hodie aspirat. & græce ὠὸν δασεῖαν

non habet.

De V'.

HIS explicatis ad V' transeam, dicamq; quibus in dictionibus aspirare ei conueniat. Ac primum quidem de ijs, quæ ante B' nam ante A' non aspiramus V' habent igitur O' aspiratum ante V' rationabiliter quidem quanquam usus quotidie multa immutat Huber, Hubertas, Hubertinus proprium nomen. Hubera, Exhubero, Hubertim, quod Valerius Catullus protulit, Fiunt enim à græco uerbo ὕω, ut quibusdam placet ῦ in V' productum uerso, ac B' litera Hiatus causa interiecta. Ego tamen opinatus semper sum Huber deductum esse ab Humeo. ut Tuber à Tumeo M' litera in B' uersa. Loca enim arida infœcunda sunt. Contra quæ humecta sunt feracia, & mulierum Vbera si humore careant, carebunt & lacte.

» Cogite oues pueri, si lac præceperit æstus.

» Vt nuper frustra pressabimus hubera palmis.

Videtur Virgilius indicare nobis uoluisse Hubera ab Humendo dicta, si inquit æstus humorem præceperit, atq; arescerit, frustra Hubera quæ omni humore uacua erunt, exprimemus. Tumeo autem de quo dixi, licet primam corripiat, tubera tamen producunt, quod in multis & præsertim ubi fit aliqua literarum immutatio, usu uenit.

ANTE C' aspiramus V' In hoc aduerbio huc, cui aspiratio naturaliter hæret.

ANTE D' uel F' uel G' non aspiramus nisi Hudus, Huda, Hudum, quod fit per concisionem à nomine Humidus, uel, ut quibusdam placet, à græco, quod paulo ante posui D' litera interiecta, uel quod dicatur Hudus quasi Sudus, quanquã nomen sudor uelint etiã à græco duci.

ANTE L' autem hui quæ est uox dolentis. cui aspiratio naturaliter hæret, quippe qua affectus ille animi apertius significatur. Nam de obliquis casibus Huius, Huic, non est particulariter præcipiendũ sequuntur enim rectum, eodem modo huiusmodi, & huiuscemodi.

ANTE L' aspiramus Hululo, Hululatus, Hululatio, Hulula nomen auis quibus aspiratio natura hæret. Est enim Hululatus luporum, qui sine aspiratione satis exprimi non poterat. Hulula quoq; à cantu suo nomen accepit. Hulcus, unde exhulcero traxit aspirationem à græco. Illi enim ἕλκος. Habent etiam non paucæ dictiones nostræ V' aspiratum ante M' quæ sunt Humor, Humeo, Humesco, quas tamen uoces placet quibusdam à uerbo græco, quod paulo ante posui, originem ducere. Itemq; Humus, Humo, Humas, Huma

rium sacrificij genus, Humilis, Humilitas. Sunt qui uelint Humum ex eo dictam, quod humorem contineat. Licet non conueniant tempore, sicuti etiam humanus. Nam seu fiat humanus ab eo, quod est Homo, ut ego arbitror, seu ab eo quod est Humus non conuenit cum primitiuo in quantitate syllabæ. licet in hoc conueniat cũ uerbo Humeo à quo tamen non ducitur. Mea quidem sententia huic uoci Humus aspiratio inest natura. Similiterq; uerbo Humeo, et alijs uocibus, quas commemoraui. Quin meum quoq; iudicium est Humus quo nomine teram Poëtas appellasse, Varro tradit, & Humor, & Humeo latinas dictiones esse. Fit ab Humo, Humatus. Nam cum sit Humus tera, Humatus dicitur, tera obrutus. De uoce autem Humanus, Humana, Humanum sic sentio, quod ducatur ab eo quod est homo, cui aspirationem naturalem esse dixi mutata O' in V'. Veteres enim Homanus dixere, ac tametsi differant tempore, tamen non omnes deriuatiuæ dictiones secuntur etiam in tempore naturam primitiuarum, uti dixi de tegula & laterna, quæ habent primas syllabas productas, licet tego, & lateo illas corripiant, idq; in alijs multis usu uenit. Aspiramus etiam Humerus, quæ latina uox est, non ducta à græco omos ὦμος quæ dictio apud græcos aspiratione caret, habetq; ω' idest o' productum. Ante alias literas non aspiramus V' præterquam in quibusdam barbaris. Hungaria, Hungarus, Hunus, in quo barbaros ipsos sequimur. Apud græcos V' non est litera, sed diphthongus connexa ex O' quod dicunt micron, idest correptum, & y quod appellant psylon. cui diphthongon aspirant in quibusdam uocibus ut in hac uoce ὗτος οὕτως. Atq; hæc quidem de V' dixisse satis sit.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE ASPIRATIONE LIBER SECVNDVS.

c

OLLEGI MARINE QVANTO maiori potui in pluribus, ac maximis occupationibus studio, dictiones eas quàm in primarum syllabarum principijs ante uocales aspirationem recipiunt, quarum si aliquæ me fugerunt, ut arbitror, certe fugisse, memoria accusetur prius quàm quispiam credat meam illas fugisse cognitionem. Concedenda est etiam uenia occupationibus meis. Nam multis, magnisq; districtus curis, siquando meipsum negotijs subtraho, quantulúcunq; idest temporis poeticæ, philosophiæ, & astrologiæ studijs libetius impartior. tametsi ea totum sibi hominem exigant, atq; ad hæc ipsa quasi per diuerticula quædam & de uia digressus perueni. Ad hæc inter assiduos armorum strepitus & concurrentium militum clamores quis locus datus est uoluminibus euoluendis? Quin & tu ipse scis sex tantum dies me colligendis his principio impendisse, quæ nunc triennio post rogatu tuo in ordinem redegi. Cum interim omnis mihi uita sit acta, aut in castris, aut in perigrinationibus procul non modo à libris, sed à literatis omnibus. Quamobrem oratos omnes uolo ad quorum manus hæc peruenerint æquos sese ut mihi præbeant. Etsi forte aliqua uel imbecillitate mentis, uel occupationum magnitudine prætermissa sunt (nã non pauca prætermissa esse arbitror) ea ut ipsi in locis suis suppleant, subiungantq; occupationum mearum patrocinium suscipientes, quibus tum uidebuntur ueniam ipsi dedisse. Cum non reprehensorum sed adiutorum partes susceperint. Reliquum est ut de medijs & ultimis syllabis dicam. Quapropter absoluta omnis mea præceptio ad illas quatuor consonantes sese conuertet.

De aspirandis uocalibus in medijs & ultimis syllabis.

Vocales in medijs dictionibus, hoc est inter primas, & ultimas syllabas, siue in ipsis ultimis syllabis constitutæ, admittunt aspirationem rarius quidem, & aut ratione compositionis, idest originis, à qua eam trahunt, ut Inhabito, Inhæreo, Inhio, Exhorreo, inhumanus,

Anhelo, Anhelitus, Anhelus. in quibus A' uertitur in E'. Fiunt eni ab Halo, & Halitus, aut quod naturaliter aspiratio illis inhaeserit, ut Aha, aut Hiatus ratione hoc suadente, ut mihi, & uehemens. Sed de compositis non uidetur necessarium ut particulariter, sigillatimq; praecipiam. Cognita enim simplicium natura de quibus satis multa dixi, facile intelleges exigat nec'ne aspirationem dictio de qua quaeris. Dictiones igitur quibus aspiratio naturaliter haeret sunt haec, uidelicet Aha, Vaha, Oho, pro quibus dicimus Ah, Vah, Oh. Itemq; Ehu cum duarum est syllabarum. ut apud Virgilium.

» Ehu quàm pingi macer mihi taurus in auro.

Similiter ehem. Neq; etiam improbauerim siquis huic uoci Ohe aspirationem immiscuerit, quamuis Euoe quae uox graeca, & bacchantium caret aspiratione. Traho, & Veho possunt uideri accepisse aspirationem hac ratione, quod cum traso, & ueso dicerent Sabini, F' uersa fuerit in eam. Oportet meminisse deriuatorum, & compositorum qualia sunt Retraho, Contraho, Subtraho, Detraho, Extraho, Traha de qua Virgilius.

» Tribulaq; traheaeq; & iniquo pondere rastri.

Cui & addidit literam. nam pro eo, quod est pluraliter Trahae, Traheae dixit. Vehiculum de Veho, Subueho, Adueho, Inueho, & Inuehor deponens, à quo dicitur Inuectiua. Fuit & Veha genus plaustri, unde Osci uecturam, Vehaturam dixerunt, & Vehari, idest curru uehere. Atque, ut credam in uerbis traho & ueho aspirationem positam esse loco F' non hiatus causa, adducat me quod uideo haec uerba Meo, Beo, Creo, Leo, Doleo, & similia aspiratione carere, & quod hiatus ratio haberi tum maxime debet, cum eaedem uocales concurrunt. ne sonus ipse, qui idem est, inuicem collidatur, ut in his uerbis Reprehendo, Comprehendo. In quibus fit saepe concisio, ut cum dicimus deprensus, pro deprehensus, & comprendo, pro comprehẽdo. Item cohors, uehemens, mihi in quibus eaedem uocales hiant. Sunt tamen qui putent hanc uocem Vehemens traxisse aspirationem ab eo, quod est ueho. ut Vehemens dictus sit, quod uehatur mente, et similiter Cohors, quod milites se inuicem ad pugnam hortentur. Quod si est cum uerbum Hortor solo usu aspirationem receperit, in nomine cohors aspiratio erit interiecta aut hiatus causa, aut quod usus uicerit, ut primitiuo aspiretur. Et similiter in uerbo cohortor, à quo ut dixi uolunt dictam cohortẽ. Siue autem ducatur ab eo uerbo, quod non probo, Siue aliunde, certe aspirationem exigit cohors. etiam cum locum gallinarum, & anserum significat. ut apud Ouidium.

» Abstulerat multas illa cohortis aues.

Varro uult cohortem uile spatium esse intra maceriem ubi coerceantur, idest clausæ teneantur aues altiles. Itaq; si à Coercendo Cohors dicta est, mutata litera E' in O' habebit aspirationem hiatus causa. Ego quidem arbitror cohortem militum uel dictam esse à similitudine cohortis alitum, quæ potius uidetur inde dicta quod illic sint simul ortæ quasi coortæ. Vnde & Altiles dictæ sunt eo, quod illic una alantur. Et propterea à cohorte dicuntur Cohortales, uel ab horto quod est uerisimilius. Nam cum ueteres Hortos uicos dicerent, quod qui arma ferre possent, ibi nascerentur, ut supra dixi, inde cohortem dixerunt manum hominum ex eodē uico ad pugnam exeuntium, quod illi essent eodem Horto idest uico geniti. Nam & Galli, ut est apud Cæsarem, hoc modo pugnabant, quisq; enim pagus per se idest diuisus ab alio pugnam capiebat, & pagus dicebatur, quod pagatim pugnabant. Conciditur etiā nomen ipsum & pro eo quod est cohors chors chortis dicitur. ut apud Martialem.

» Raucæ chortis aues   Et Hora matrum, quæ dictio aspirationem retinet. ut uetus etiam indicat epigramma. quod extat Venusiæ in templo Trinitatis. Cuius uerba sunt hæc C. OPTIO T. FILIO HORATIO LEGATO XII. CHORTIS PRIMVS OPTION PHILARGYRVS. Tradunt Virgilium in nomine ahenum, quod fit ad ære per diuisionem diphthongi interiecisse aspirationem, id'q; uideri factum uolunt hiatus causa, tametsi non eædem, sed uersæ concurrant uocales (tum enim maxime habenda est hiatus ratio, ut dixi, cum eædem uocales concurrunt). mihi uidetur Poëta non tam hiatus rationem habuisse, q̃ consuluisse legentibus, ut aspiratione interiecta, declararet Diphthongum solutam esse, & ex una duas syllabas factas, quod oculis cernerent ante pronuntiandum. Sed licuerit Poëtæ maximo, ut libuerit, à posteris tamen receptum id non est, quanquam & in hoc, & in aliquot etiam græcis nominibus optime consultum fuisset, si aspiratio fuisset interiecta. licet ea in græco non esset. Si enim Laertes, Danaë, Pasiphaë, Phaëton aspiratione notata fuissent à nostris, haudquaquam multi & patrum nostrorum temporibus, et nostro etiam tempore decepti fuissent, ut quotidie etiam decipiuntur, existimantes hæc nomina diphthongum habere, nec trium ut sunt, sed duarum syllabarū esse. Danaë enim quæ græcæ dicitur Danai trium apud illos syllabarū est. nos autem illud in quod apud eos productum est uertimus in E' longum. Trium autem syllabarum esse nomen hoc etiam

apud latinos docent poëtæ, ut Petronius arbitrer.

» Vxorem ducat Danaën.
» Ipsumq; licebit acrisium iubeat credere quod danaën.

Et Horatius.

» Inclusam Danaën turris aenea.

In hoc enim metro secundum locum tenet dactylus. Ad hæc prima syllaba huius nominis breuis est, quemadmodum etiam illius nominis Danaus. Qui igitur duarum faciunt syllabarum falluntur etiam in hoc quod patriam syllabam productam esse credunt. cum sit correpta. Phaëton quoq; trium esse syllabarum et habere primam correptam etiam apud nos docet uersus ille.

» Sustinuit genitor si phaëtonta merops.

Quamuis ex priscis illis poetis P. Varro Phaëthon in duas syllabas coegerit & è breuibus duabus unam productam subduxerit.

» Tum te flagranti deiectum turbine Phaëthon.

Laertes trium esse syllabarũ etiam qui græca non norunt, ex Ouidij uersibus possunt cognoscere.

» Laertesq; senex Telemachusq; puer.
» Sed neq; Laertes ut qui sit inutilis annis.

Pasiphe græce quatuor est syllabarum, habetq; secundã correptam. In hoc autem recedit hominum ignorantia ut dum A' E' quæ duæ syllabæ sunt, unam, idest diphthongon esse credunt, non quatuor sed trium syllabarum hoc nomen fecerint, produxerintq; secundam, quæ correpta est, ut dixi. Esse autem id nomen quatuor syllabarum. Propertius quoq; in suis elegijs docet. ait enim

» Vobiscum europe nec proba pasiphae.

Quibus in nominibus si aspirationis nota à maioribus nostris inter uocales ipsas posita fuisset, nimirum tam multi in hoc decepti non fuissent. Sed ad alia transeamus. Ahala nomen proprium aspirationem habet. de quo ita sentit Cicero. Quin etiam uerba sæpe contrahuntur non usus causa, sed aurium. quomodo enim uester axilla, ahala factus est nisi fuga literæ uastioris. Itaq; ut ex duello bellum, quemadmodum idem author tradit, & qui duillius fuerat bellum fecerunt, sic ex axilla ahala contractus est. Interiectam autem fuisse aspirationem ne uox hiaret, ueteres inscriptiões declarant. Isaac, Habraã, Aaron quæ apud Iudæos sunt noĩa propria, apud græcos aspirationem nõ habent. Sed quoniam latini summo cum studio hiatum uocalium semper uitarunt, si quis aspirationẽ interiecerit fortasse

non fuerit reprehendendus. Nam Maharbal quod punicum est in ue
teribus codicibus aspiratum inueni. Itemq; Phrahates, quod est ly-
dium, licet graeci non aspirent. Vtrum sequi quis uelit non impe-
dio. Ioannes quoq; & Ioacin quae Iudaea sunt aspirationem non ha
bent ante A' apud graecos, licet nonnulli è nostris illam adiecerint.
Proemium aspirare minime conuenit. Ná graeci quorum ea uox est,
non aspirant. Quanquam propter rationes, quas dixi. siquis aspira
tionem immiserit, id efficiet, ne diphthongus oe legentibus esse uidea
tur. Panhormus, & Panhormitanus graece non habent dasean. Grae
ci enim uix aspirant uocalibus in medijs dictionibus. Nam licet sim
plicibus uocibus aspirent, tamen cum uocalis quae in simplici erat pri
ma, in composito sit media, abijciunt δασεῖαν Homines tamen no-
stri temporis aspirant Panhormus, & Panhormita, & Panhormi=
tanus, & recte fortasse. Videtur autem Panhormus dicta à nauium
applicatione quae undiq; illuc conueniunt. Est ὅρμος ut supra dixi
portus pars, inde nautae dicunt hormiZare, idest nauem ancoris, atq;
retinaculis instruere, quo secura sit in portu à repentinis procellis.
Aspirandum esse his uocibus satis aperte declarant lapidum inscri
ptiones quae in ea urbe ab Hadriani temporibus in hunc usq; diem
exstant in quibus uisuntur uerba haec scripta. REIPVBLI
CAE PANHORMII, Quae uox aspirationem illic habet et
geminum I'. Nam & Panhormum dixere, & Panhormum, & foe
minino genere panhormus. Nihil, nihilumq; non tam hiatus causa
aspirationem acceperunt, quàm traxerunt ab eo quod est hilũ. Est eni
nihilum ne hilum. Nihil autem fit ab eo quod est nihilũ, abiectis ul
timis literis. ut Lac ab eo quod erat lacte. Mihi hiatus causa sumpsit
aspirationem qua naturaliter carebat. Nam ut genitiuus erat mei si=
ne aspiratione, ita datiuus erat mij, & accusatiuus mee cum duplici
e', ut Quintilianus refert. Postea uero hiatus causa, idest ne eaedem
literae concurrerent, interiecta est aspiratio. Quintilianus tamen cir
ca tempora Catulli, dicit nimium aspirandi usum erupisse, atque
inde durare, ut Vehementer, & Comprehendere & mihi aspira-
tionem habeant. Sed ut ad nihil et nihilum redeã, patres nostri prae
ter omnem rationem C' literam inter posuerunt, nihil nihilumq; pro
nuntiantes, & scribentes qui abusus unde eruperit non erit alienum
ab hac praeceptione referre. Nam posteaquam Barbari Italiam occu
pauere, cum nostras literas nequirent exacte, ac more nostro expri
mere, sed earum sonos inculcarent, aspirationem efferebant horri-
dius, q̄ latinitas postulabat, quae, ubi sequẽte I' crassius sonat in guttu

re, prae nimia

re, præ nimia crassitudine C' literam quamuis subobscure uidetur referre. Germani enim quod notare quotidie possumus, & Mauri aspirationem ita coartant, et quodamodo inglomerant in ipsis faucibus ut non quemadmodum latini, græciq; eam efflent, sed uehementius obdensent in gutture, hinc effectum est, ut cum barbari idest gothi & postea Longobardi aspirationem in his uocibus raucius efferrent, homines eiusdem temporis nequentes illos imitari nec ipsam aspirationem adeo coartare ut illi nihil, et michi pronuntiarent, qui & uechemens dixere. Turcæ, & Mauri mahomet enuntiant O' aspirantes more suo, quorum sonum cum implere ipsi nequeamus machomet dicimus. Verum ut ad pronomen quod est mihi redeam. Leonardus Aretinus cum ab Antonio quodam grammatico contemporaneo suo coargueretur quod mihi per ch scripsisset in hanc sententiam rescripsit. quod haberet eius rei authores. Dantem, Petrarcam, Boccacium, et Colucium, & qui & ipsi ita scripserint, & usus communis

» idem comprobaret. Quis enim inquit ita loquitur, ut dicat mihi præ
» ter ineptos quosdam qui ostentare se uolunt antiquarios esse, nec in-
» tellegunt ita proferri ab se hanc dictionem mihi, ut iudæi & chal
» dæi, magis quàm latini uideantur. nam illæ quidem nationes sic pro
» ferunt coincidentiam earundem uocalium ab imo pectore aspiratio
» nem deducant, nec tam lingua, & labijs, quàm gutture loquuntur.
» Si igitur & usus hoc habet, & doctissimi homines nostræ uel supe-
» rioris ætatis id obseruarunt, cur ipse mihi non putem obseruandũ?
» usus nempe magister & dominus est sermonis nostri, & quidem
» nimium, ut ita dixerim, imperiosus, qui non tam ratione & uia, q̃
» pro arbitrio moueatur. Neq; enim cum mihi dixerunt antiqui ratio-
» nem secuti sunt sed uolunt item usus. Nam ratio quidem ut ana-
» logia ostendit nõ michi, sed mibi dicere iubebat, ut enim me, te, se, sic
» etiá mibi, tibi, sibi erat dicendum, quod præpotens usus aspernatus
» est, credo quia ineptum quiddam mibi sonare uidebatur, cum tibi, et
» sibi melius sonent. Vsus ergo qui tunc dominus fuit, etiam hodie do
» minus est, & potest improbare quod tunc probauit, alioqui uariatio
» nulla foret in uerbis, nec essent mutata tot antiquorum placita. Nam
» quid tu magis de hac dictione mihi, quàm de cæteris penè innume
» rabilius admiraris, non'ne optume dicebant antiqui, & pessume? Eo
» demq; modo alia permulta, ut Aeditumus, decumus, lubens, lubẽter,
» & pro Pyrrho etiam Purrum dicebant, & pro phrygibus phrugi-
» bus. præterea siet dicebant, non sit, & posiuerunt, non posuerunt.
» Non uero hæc omnia uariauimus usu iubente. Quin etiam per Ci-

» ceronis tempora causam per duo ss. contra uero iussus per unum
» s scribebant, ut Aulus Gellius testatur, & marmoreis quibusdam
» monimentis Romæ licet inspicere. Insuper coerauit faciundum dice-
» bant antiqui. nos autem curauit dicimus & faciendum non fa-
» ciundum. C. uero literam quam nobis hodie michi interponimus, an
» tiqui locis quibusdam interponebant nulla cogente causa præter so-
» num, ut sicubi, necubi, alicubi. Vsus ergo apud illos hoc potuit. Cur
» igitur idem usus apud nos idem non possit? Nichil quoque eodem
» modo scribo & profero ductus authoribus & rationibus quas su-
» pra dixi. Atque hæc quidem Leonardus. Contra quem si & ego
rationes meas attulerim, nemini uideri debet memoriæ eius iniu-
riam à me fieri, ad quod me non uoluntas, sed susceptæ materiæ
necessitas traxit. Nam ut famæ eius detrahere uelim, non est uere-
cundiæ meæ. an qui uiuentium nemini unquam detraxi, detraham
Leonardo? qui ante quidem mortuus est, quàm ego ad grammaticũ
fuerim deductus. Vt igitur ad rem ipsam ueniam, neq; à Petrar
cha, neq; à Dante, neq; à Boccacio, neq; à Colutio authoritas quærẽ
da erat Leonardo, quorum scripta (de his enim quæ latinæ scripse-
runt loquor) tam parua præ se ferunt latinæ linguæ cognitionem,
ut non modo parum latine, sed ne grammatice quidem sæpenume-
ro loquantur, quod qui non credit eorum libros inspiciat. Quod au-
tem inquit, quis ita loquitur, ut dicat mihi præter ineptos quosdam q
ostentare se uolunt antiquarios esse, nec intellegunt ita proferri ab se
» hanc dictionem mihi, ut Iudæi, & Chaldei magis quàm latini ui-
» deantur. Nam ille quidem nationes sic proferunt coincidentiam earũ
» uocalium ut ab imo pectore aspirationem deducant, nec tam lingua,
» & labijs, quàm gutture loquuntur. Hæ rationes, quod pace eius li-
ceat dicere, indignæ sunt Leonardi. Nam si latinæ linguæ instituta
repetantur, concessum est nobis latinis aspirare uocalibus tantum, con
sonantibus uero non, nisi in græcis, & barbaris uocibus, ut supra
dictum est. & dicetur inferius. & Cicero docet, affirmatq; Quinti-
lianus. Ergo cum latini uocalibus tantum aspirent. græci autem &
barbari etiam consonantibus, uidetur potius Iudæus, & Chaldeus
is esse qui mihi per E' pronutiat aspiratum. Nam qui mihi dicat à la
tinitate non recedit, qui mihi discedit à ueteri, & probato latino-
rum instituto literæ C' non aspirantium, ac nisi græcorum obsta-
ret consuetudo consonantibus aspirantium, uideretur in eo Iudæus
esse, & Chaldeus. Cum Iudæi & Chaldæi consonantibus familia
rissime aspirent. Itaq; si Leonardo credatur cum dicimus uehemens

comprehendo aha trahatur, uehatur, Iudæi erimus, & Chaldæi, nõ latini. Iudeus ergo Plautus qui Ohe, & Aha protulit, qui tantum abest quominus dicatur Iudæus, ut linguæ latinæ pater habitus sit à ueteribus. Iudæus etiam & Chaldæus Virgilius nostrorum poetarum maximus qui dixit.

Deniq; quid uesper serus uehat.

Iudæi tot linguæ latinæ authores, quos mihi pronuntiasse constat, et nihil, & nihilum. Coincidentiam protulit Leonardus, quod uerbum nec latinum est, nec si latinum esset, significaret id quod Leonardus putat. Grammatici & alij docti uiri Hiatum appellant, aut uocalium congeminationem, utrunq; latinæ Cicero etiam hiare dicit. Coincidentiam quis doctus unquam dixit? sed ne coincido quidem. Quod si quis proferat, puto dicet structum esse, ex con & incido. cuius significatio quæ sit, Virgilius docet.

» Atq; mala uites incidere falce nouellas. Quod si sit nõ significabit coincidentia, qđ Leonardus arbitratus est, Sin fieri uelit ab incido, ut

» Incidit in Syllam cupiens uitare Charybdim. Nec et coincidẽtia de uocalibus recte dicetur. neq;. n. literæ incidũt, aut ferũtur casu. Quid? qđ particula con nunq̃ præponitur uerbis, quæ composita sint ex præpositione In. nemo unquã dixit Coinuenio, Cohinæro, Coinhabito, Coindoleo, Coinfero, aut aliud huiusmodi. quamuis Coinquino dixerint. Nam Inquino, aut simplex uerbum est, aut si est compositum, minus apparet eius compositio. Verbum enim illud ex quo grammatici quidam trahi uoluerunt hoc uerbum Inquino, ne temporibus quidem Ciceronis erat in usu. Id autem fuit cunio, dicebant cunire. stercus facere. Meum tamen iudicium est, Maiores illos non coinquinare, sed conquinare dixisse, sicuti conuenire, & conferre, ac temporum ruditate effectum esse. ut pro eo, quod erat Conquino dictum sit Coinquino. Tolerabilius erat si dixisset Concidentiam, à uerbo concido, quod fit ex Con, & Cado, Cadis, quamuis neque hoc usquequaq; fuisset latine dictum, neque enim cadere dicuntur aut uocales, aut consonantes cum eædem geminantur. Ad hæc aspiratio uocali præposita non tam crasse sonat latinis pronuntiantibus, quàm Chaldæis, nec oportet ut ab imo illam pectore deducamus, ut ipse dicit, neq; enim aut Heiulamus, aut suspiramus. cum aspirationem efflamus, sed ultimo eam palato linguæ ictu explodimus, neq; propterea Chaldæi sumus, aut Iudæi, cum illi suo nos nostro more sic aspirationem ut quasdam etiam literas proferamus. Nam non omnes nationes eodem modo natura affectæ sunt ad pronuntiã

» dum. Subdit his, Si igitur & usus hoc habet & doctissimi homines
» nostræ uel superioris ætatis id obseruarunt, cur ipse mihi non pu-
» tem obseruandum? Sic intulit si usus hoc habet & doctissimi homi-
» nes id obseruarunt, tanquam usus id uellet, et doctissimorum homi=
» num consensus accessisset. De usu autem atq; consuetudine loquendi.
» Quintilianus hoc sentit. Constituendum in primis id ipsum quid sit
» quod consuetudinem uocemus, quæ si ex eo quod plures faciunt no-
» men accipiat periculosissimum dabit præceptum, non orationi modo,
» sed quod maius est, uitæ. Vnde enim tantum boni, ut pluribus quæ
» recta sunt placeant? Igitur ut uelli & comam in gradus frangere,
» & in balneis perpotare, quālibet hæc inuaserint ciuitatem, non erit
» consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione. At lauamur, &
» tondemur, & conuiuimus ex consuetudine, sic in loquendo, non si qđ
» uitiose multis insederit pro regula sermonis accipiendum erit. Nam
» ut transeam quemadmodum uulgo imperiti loquuntur, tota sæpe
» Theatra, & nomen Circi turbam exclamasse barbare scimus. Ego
» consuetudinem sermonis uocabo consensum eruditorum, sicut uiuen
» di consensum bonorum. hæc Quintilianus. Non accessisse autem con
sensum eruditorum manifestum est. Siquidem (ut dixi) Dantes, & Pe
trarca, & Boccatius, & Colutius eruditi non fuerunt. Quippe cū
sæpissime labantur etiam in grammaticis, & ipse eos quodam in loco
» irrideat, & contemnat, quos tu mihi Dantes, quos Petrarcas nomi-
nas? Ante hos etiam aliquod seculis nemo fuit quem literatum iure
possis dicere, quo tempore hic, & alij errores passim multi, & ma-
» gni inoleuerunt in lingua latina. Vsus, inquit magister, & dominus
» est sermonis nostri. Si hunc quem dicit usum secutus ipse fuisset, quē
homines sui temporis sequebantur. haudquaq; multo quàm Boccacius
& Petrarca fuisset elegantior. Quinimmo si usum imperitæ plebe=
culæ secutus fuisset, non tam michi quàm mici dixisset. Nam illa æta=
te, ut hodie Galli, & Hispani, maior Italiæ pars mici dicebat sine
aspiratione, idq; etiam num in multis durat, quo maxime modo eui
» tare poterat, ne Iudæus, aut Chaldæus uideretur. Cum mihi, inqt,
» dixerunt ueteres non rationem secuti sunt, sed uoluntatem usus. Mi-
hi quidem uidentur rationem fuisse secuti. Cum fugiendi hiatus gra-
tia aspirationem huic uoci interiecerunt. Nam Hiatum uitare in lo-
quendo ratio est, & magna quidem ratio. Cuius studium priscis illis
tantum fuit, ut Mederga pro me erga dicerent D' adiecto, & redin-
tegrare, ne uox hiulca esset. unde dicimus Redeo, Prodeo. Quin etiā
Plautus ut Hiatum hunc fugeret, inter dictiones quidem disiunctas
D' immisit,

D'immisit, & sine tedarbirro, pro eo quod est sine te arbitro dixit. Nec uoluntatem usus secuti sunt cum mihi dixerunt, aut usus causa aspirauerunt. sed aurium aquarum, ut Cicero inquit, iudicium superbissimum est, quod quidem latina lingua sic obseruat, nemo ut tã rusticus sit, quin uocales nolit coniungere, Vitare igitur concursum & Hiatum, authore Cicerone, non est propter usum, sed propter aures, ne illæ offendatur, quæ si offenduntur, cum in dicendo uocem finientem in uocali sequatur uox à uocali incipiens, non sine magna ratione, &, ut ne offenderentur aures, huic uoci mihi, & nihil & Vehemens, & Prehendo in quibus uocales eædem concurrunt, & hiant, aspirationem interiecerunt ueteres, idq; non usum secuti,
„ sed aurium uoluptatem. Ratio, inquit, ut analogia ostendit non mi
„ hi sed mihi dicere iubebat. ut enim me te se, sic etiam mihi tibi sibi
„ erat dicendum. Quæ hic analogia sit, ego nullo modo intellego. Cum analogiæ proprium sit referre id quod dubium est, ad aliquod simile de quo non quæratur, ut incerta certis probet. Comparat autem extremas maxime syllabas, ut Species, Speciei, Speciem, Facies, Faciei, Faciem, Teges, Tegetis, Tegetem, Seges, Segetis, Segetem. Gaudiũ, Gaudij, Gaudio, Studium, Studij, Studio. Tu Tui Tibi, et Su(si inueniretur) Sui Sibi. Ego autem, & tu, quam similitudinem habeant ignoro. In nominatiuo enim ego nulla omnino est litera earum quæ sunt in nominatiuo tu. Alterumq; habet rectum casum monosyllabum. Alterum duarum syllabarum. Non igitur quod sonarent melius tibi et sibi, quàm mihi usus aspernatus est, ut Leonardus dicit, nec analogia idest proportio id exigebat ut mihi diceretur. Casus autem hi mei uel Mis, Mihi non dicuntur à recto in quibus latini uel græcos imitati sunt, uel sic à principio locuti. Vsus ergo, inquit, qui tunc dominus fuit, etiam hodie dominus est, eodem reuoluimur. Vsus est doctorum hominum consensus. Sed postquam usus præpotens est, ut ipse inquit, & potest improbare quod tunc probauit. Cur ipse relicto usu sui temporis conatus est imitari ueteres scriptores? Illi dicunt hoc accedit mihi ad gratiam, cur ipse relicto hoc uerbo gratiam non dixit accedet mihi ad complacentiam. quæ dictio sic adducta est in consuetudinem, ut uix aliud uerbum sit usitatius. Sunt & mille huiusmodi, puto propterea non dixit complacentiam, quia nec apud Ciceronem, nec apud quempiam latinorum scriptorum id uerbum inuenit, quanquam uulgo usitatum esset suo tempore. Non est igitur uerum qđ usus possit omnia, nisi cum eruditis uiris quippiã placuerit. Sed qui in alijs usum hominum suæ ætatis contempsit, aut non secu-

tus eſt in multis cur in hoc uno probauit adeo, ut digladiari pro eo
uoluerit? quod nec Carolus, nec Varinus, nec Ambroſius, nec Philel
phus, nec Antonius panhormita eruditi omnes uiri, & eius æquales
» unquam probauerunt. Nonne inquit optume dicebant antiqui & peſ
» ſume. Aliud eſt mutare literas, aliud adijcere. Sed nulla ſit in hoc con
» tentio, tranſeamus ad reliqua. C' uero literam quam nos inquit, ho-
die mihi interponimus, antiqui locis quibuſdam interponebant nul
la cogente cauſa præter ſonum, ut ſicubi, necubi. An quæſo parua cau
ſa eſt ſono conſulere, ſed alia quoq; illos mouit cauſa quod ille di-
ctiones Sicubi, Necubi, Alicubi, ſi abſq; C' ſcribantur, uideri poſſunt
non eſſe iunctæ, ſed ſeparatæ, adita fuit igitur litera C' ut quaſi uin
culum quoddam eas necteret, et colligaret. Nihil, inquit, eodem modo
ſcribo & profero ductus authoribus et rationibus quas ſupra dixi.
Sic concludit tanquam magnis ſe nixum authoribus, ac ueris addu
ctum rationibus id facere oſtendiſſet. Quàm uere autem fuerint eius
rationes illud declarat. Quod nemo eum nõ modo è doctorũ nume
ro, ſed ne è ſcholaſticorum turba, aut tũc ſecutus eſt, aut hodie ſe-
quitur. Hæc habui aduerſus Leonardi opinionem quæ neceſſario dice
rẽ. Plura afferre deſtiti, ne uiderer ſubtilior, copioſiorq;, quàm oporte
bat in rebus præſertim minimis. Dicet hic aliqs cur cũ fere ab oĩbus
mihi, & nihil pronuntietur, non eodem modo etiã ſcribatur? Ratio
hæc eſt, qđ nõ ſemper ut loquimur ſic ſcribimus, pronũtiamus Amur
cam, et Caietã, et Cneũ, et curculionem, ſic ut quæ in ſcribendo eſt li
tera C' fit G' in pronũtiando. Pronũtiamus obſidẽ, et obſequiũ, et q̄q̄
nunc ſcribimus B' contra maiorum inſtituta, in pronuntiando tamen
non B' ſed P' ſonat. Igitur cũ uſus, eruditorumq; fere conſenſus in
his uocibus Mihi, Nihil Nihilumq; C' aſpiratum pronuntiet, in ſcri=
bendo uero C' abijciat, et aſpirationẽ tantum retineat, cenſeo hoc ſer
uandũ eſſe ut abſq; C' ſcribatur ſemper, quamuis à multis pronun
tietur cum C' Malim tamẽ abſq; illo ſi fieri poſſit ut paulatim ad re
ctã, latinãq; pronũtiationẽ redeamus, quod ego libenter facio. Quod
ſi nõ dabitur impetrare, ut Cicero de ſe dicit, Vſum loquendi populo
concedamus, ſcientiam nobis reſeruemus, ut ſi in loquendo à uera
latinitate deflexerimus, non deflectamus etiam ſcribendo. Erat ue
recundiæ meæ quod ipſe confiteor aduerſus hanc Leonardi opinio-
nem nihil omnino dicere, contentusq; eſſe poteram illa præcepiſſe,
quæ ratio poſtulabat. quod profecto feciſſem, ni me metus quidam in
uaſiſſet, ne ſi & mihi, et nihil abſq; C' protulero, ut maiores noſtri
fecerunt, & ego libenter obſeruo, iudæus aut chaldeus Leonardi

conuincatur ſententia. Fruſtraq́; tot annis contulerim faciendis uerſibus, in quibus multo quàm in oratione ſoluta exquiſitius ſubtilius, atq; cautius literarum ſoni attendendi ſunt, & earum contentui conſulendum.

De litera C'

LITERAE C' apud nos adeo tenuis, atq; exilis ſonus eſt, ut ea aſpirata, uocaliq́; iuncta uix ſonet craſſius, quàm apud græcos κ' quod elementum idem eſt, quod apud nos C'. Hanc literam in latinis dictionibus aſpirationem non habere ſuperius à me dictum eſt. quanquam aliquot dictionibus uſus aliquando aſpirarit. Nam ſi uetuſtos codices inſpexerit, ferè in omnibus pulchrum, ſepulcrum, lachrimor aſpirata inuenies. Catulli enim ueronenſis ac Ciceronis temporibus erupit abuſus quidam aſpirandi. Nam & Præchonem, & Chenturionem, & Chenturiam, & Choronam quidam malebant. Cuius enim rei etiam meminit Quintilianus, idq́; damnaſſe Catullum ſuo quodam epigrammate tradit, quod & ſi integrum apud nos hodie non exſtat, ex uno tamen, atq; altero illius uerſiculo facile poteſt intellegi. Reprehenditur enim quidam qui.

» Chommoda dicebat, ſi quando commoda uellet
» Dicere, & inſidias acrius inſidias, Et de eodem.
» Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum.
» Cum quantum poterat dixerat hinſidias.

Vides igitur quoſdam contra omnem rationem uoluiſſe Chommodũ cum aſpiratione pronuntiare, necnon & Hinſidias, & Hionium, ut hic idem poeta eodem irridet epigrammate.

» Ionios fluctus poſtquam illuc appulit ipſe.
» Non iam Ionios eſſe, ſed Hionios.

» Ciceronis etiam uerba ſunt hæc. Quin ego ipſe cum ſcirem ita maio
» res locutos eſſe, ut nunquam niſi in uocali aſpiratione uterentur, lo-
» quebar ſic ut Pulchros, & Cethegos, Triũphos, & Chartaginẽ ali-
» quando, idq́; ſero conuicio aurium, cũ extorta mihi ueritas eſſet, uſum
» loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui, Orciuios ta-
» men & mathones, chepiones, ſepulchra choronas, lachrimas dici-
» mus, quia per aurium iudicium ſemper licet. Veteres autem latinos tantum uocalibus ac parciſſime quidem aſpiraſſe, Illud etiam docet, quod è dictionibus quas à græcis accepiſſent, detrahebant illam. Hinc eſt quod hodie quoq; et Arcere, & agnum ſine aſpiratione ſcribimus. Feſtus enim uult uerbum arceo duci à græco ἀρχὴ coercendi. Nanq; poteſtatem penes illos eſſe, qui in magiſtratu conſti-

tuti ſint. Agnum autem dici quod pura aſſet hoſtia. Eſt enim ἀγνὸς
purus. Quid? quod Arcitectum ſine aſpiratione protulerunt. et cæ
re uerbum ſalutandi, unde & Cere nomen oppidi. Et Arcippus &
Arcippe, quæ fuit urbs Marſorum lacu fucino poſtea abſorpta, ea
» ſcilicet ratione, quod ut idem feſtus ait. Antiqui noſtris frequens
» mos fuerit illã demere. Sed ut ad rem redeam. Nullã ego rationẽ eẽ
uideo cur hodie C' ſubſequente R' aſpiremus in his nominibus La
crimor, Simulacrum, pulcrum, & Sepulcrum aſpiratione notemus.
Quanquam nec me latet Gellium aſſeuerare ueteres id fecisse ſtu-
dio, & exemplo linguæ atticæ, cuius uerba ſunt hæc. in ſecundo no
» ctium atticarum H' literam ſiue illam ſpiritum magis, quàm literã
» dici oportet, inſerebant eam ueteres noſtri pleriſq; uocibus uerborũ
» firmandis, roborãdiſq;, ut eorum ſonus eſſet uiridior uegetiorq;. atq;
» id uidentur fecisse ſtudio & exemplo linguæ atticæ. Satis enim no-
» tum eſt atticos ἰχθὺν piſcem, ἅμαξαν currum, & multa itidem
» alia citra morem gentium græciæ cæterarum inſpirantis primæ li
» teræ dixiſſe ſic lachrimas, ſic Sepulchrum, ſic Ahenum, ſic Vehe-
» mens, ſic Incohare, ſi Helluari, ſic Hallucinari, ſic Honuſtum dixe-
» runt. In his enim uerbis omnibus literæ, ſeu ſpiritus iſtius nulla ra-
» tio uiſa eſt, niſi ut firmitas, & uigor uocis quaſi quibuſdam neruis
» additis intenderetur. Hæc Gellius. Sunt tamen qui opinentur lacri
mas à græco duci quod minime uerum eſt. Sunt enim lacrimæ dictæ
quaſi lacerime. Ex animi enim laceratione lacrimæ ciuntur. quod
Iuuenalis innuit cum ait.

» Molliſſima corda humano generi dare ſe natura fatetur
» Quæ lacrimas dedit. Subdit etiam.
» Naturæ imperio gemimus.

Ciceronis etiam & Gellij uerba quæ à me poſita ſunt declarant
hanc uocem latinam eſſe non græcam, ut quidam arbitrati ſunt. Eſt
autem Simulacrum dictum à ſimulando, ſepulcrum à ſepeliendo,
quemadmodum ab inuoluendo Inuolucrum. & à lauando laua-
crum. Nam quod ſepulcrum ſit compoſitum ex ſe particula & no-
mine pulcrum, parum mihi placet. Pulcrum enim quod polcrum
ueteres dixere, dicitur à pollendo id eſt quod polleat forma. ui magis
igitur in his quàm in lauacro, & inuolucro aſpiratione utemur. ui=
cit tamen uſus cui uix repugnari poteſt, ut pulcher in primo, &
quinto caſu cum aſpiratione & pronuntiemus, & ſcribamus. Ex
alijs quas dixi uocibus ferè doctorum conſenſu abiecta eſt aſpiratio.
Natura autem non ineſſe eam huic nomini pulcher docere hoc ſa-

tis poteſt, quod diminutiuum eius abſq; aſpiratione eſt pulcællus, pulcælla, pulcællum. Rationabiliter enim ut alacer, et uolucer, ſic et pulcer dicere debemus, quod Antonium Panhormitam dicere ſemper aduerti, omnis'q; uetus ſchola idem ſenſit, Sed quid agas? acceſſit conſenſus doctorum hominum cui difficile eſt non aſſentiri. Quemadmodũ autem ab eo, quod eſt uolo, uolas fit uolucer, quod quidem aſpiratione caret, ita à pollendo pulcer, quod forma polleat. Vidi & in quibuſdã inſcriptionibus nomen pulcher cum aſpiratione ſcriptum ex abuſu illo Ciceroniani temporis quamuis latinæ linguæ regula minime id toleret, & tam ueterum latinorum, q̃ patrum, auorum'q; noſtrorum temporibus huic uoci minime fuerit aſpiratum, ut dixi. In Sepulchro autem Simulacro & lacrimis aſpirationem minime ſcribemus, quoniam uſus ipſe non obtinuit, ut ſicut in nomine pulcher aſpirationem proferamus. nec neceſſitas ulla nos cogat ut eam cum aſpiratione ſcribamus. È Corona autem Cepione, Centurione, & præcone iam pridem eiecta eſt aſpiratio. Nam Corona, ut grammatici dicunt, aſpiratione caret, ſiue à choro dicta ſit, ſiue quod honoret eum cui impoſita eſt Carthago et carthaginenſis, quoniam græci non aſpirant primæ literæ, nec nos quidem aſpirare debemus, præſertim cum apud nos nemo doctus aſpiret, & latina regula aſpirationi repugnet. Hæc litera ut dixi apud græcos habet propriam figuram cum aſpirata eſt quæ χ' dicitur, ea nonnunquam in S' uertitur, ut cum ex cheta ſetam fecerunt. nonnunquam in G' ut in hoc nomine Galbanus, cuius prima litera apud græcos eſt χ', aliquando ẽt abijcitur. ut cum pro chlæna qđ eſt genus ueſtis, læna dicitur, ut apud Iuuenalẽ.

» Non audent homines, pertuſa dicere læna.

Sed iã ad uoces ipſas ueniamus in q̃bus literæ C' aſpirare oportet.

Ch' ante A'.

IN Principijs igitur dictionum quas à græcis accepimus, recipit aſpirationem, C' ante omnes uocales. Et ut primum de ijs dicam, quæ ante A' eam exigunt. aſpirare conuenit. Chaos, Chaon. à quo Chaonia pars epiri olim ſic dicta. Chabrias proprium ducis Athenienſis, Chalcas, Chalcidenſis, Chalcidicus, Chalcedon urbs Aſiæ. Vocata eſt etiam pallas Calcedonia, cuius nobiliſſimum templum fuiſſe traditur in agro lacedæmonio. Chalcis auis, Chalcidius nomen propriũ. Vidi, & nomen proprium Calchedonius habere aſpirationem poſt C' in ſecunda ſyllaba, non in prima. Eſt autem monimentum Salerni his uerbis. C. LVCIO CALCHEDONIO. Chaleſtra urbs Theſſaliæ. Chalinus nomẽ propriũ, ſignificat autẽ Frenũ. Calinus q

fuit, ſtatuarius caret aſpiratione. Chalybs genus æris, & Chalybes populi. Vnde Chalybs. Chalaius Apuliæ fluuius. ChalaZias lapis. Chaldæa regio quædam habet diphthongum æ. Calēde ſunt abſq; aſpiratione. Fiunt enim à uerbo καλέω, ῶ ideſt conuoco, Chamæleon animal, & genus herbæ. Habet dipthongon Ae in ſecunda. Sũt qui falſò putent non habere aſpirationem Chananæus ab oppido Iudææ, habet eandem dipthongum in penultima. Chamæcyſſos genus hederæ, quod humiliter ſerpat, habet diphthõgum Ae et υ, Character Characteriſmos, ideſt deſignatio. Charădæi populi iuxta pontum. Charites quas latine gratias uocamus quæ ſunt Aglaia Thalia et Euphroſyne. Charydemus, Chariaphas, Charilaus, Charinus. Carus, Cara, Carum aſpiratione Caret, ut antiquæ inſcriptiones oſtendunt. Eſt enim aut latinum nomen, aut licet à græco χάρις ductum ſit, aſpirationem non retinuit, cum eo tempore acceptum fuerit à latinis, quo uocalibus tantũ aſpirabant. Ergo multis in ſepulchris uidi ſcriptum nomen Chariſſimus non C litera ſed K quod probat græcum eſſe nomen. Fortaſſe ductum eſt à κάρα quæ dictio græce eſt caput. Quid enim capite Carius? ut ſit Carus quaſi capitalis, ideſt eius pretij cuius eſt caput. Charta, Chartilago, Charibdis, Charmilus. Charon. Charmandrus, Charopes, et Charopus, Charondas, Chalcon. Charaxes Scamandronymi filius, ſaphus frater Caropæus quem fuiſſe tradunt Herei patrem exigit. diphthongon oe ante ultimam ſyllabam, Chariſmus, Charmoſyna nomen proprium, genus ſerica Charmoſynum nunc dicitur, ex eo uidelicet qđ aſpicientes delectet. eſt enim χάρμα gaudium, & uoluptas. Chaſma hiatus, & uorago neutri generis, At Caranus morbus, quem latinæ cancrum dici puto, & Calypſo. & Caunus Byblis frater aſpirationem non habent. Itemq; Carmelus, & Carmelion mons.

Ch ante E.

ANTE E quoq; utimur C aſpirato in his, Schedius propium hominis. Schedia genus nauigij quod ex trabibus tantum inter ſe nexis factum erat. Vnde & mala poemata uolunt ſchedia fuiſſe appellata. Chelys, Chelæ. Sunt autem Chelæ ſignum cæleſte. Chelas enim ſcorpij brachia dicimus. Schema figura. Priſci latini abſq; aſpiratione pronuntiabant. Vnde uetuſti codices Plautini habent ſcriptum cum ſeruili ſcema ſine aſpiratione, ideſt habitu. Scheſis orationis figura quædam. Chelydon irundo. Chelydonia herba, Chelonophagi populi dicti à ueſcendis teſtudinibus. Cherroneſus Cherſoneſus peninſula, Cherſidamas nomen proprium. Cheſſydros genus ſerpen-

tis habet υ', Chære uerbum salutandi, Chærea. Chærestratus, Chærephon, Cherecrates, Cheronea oppidum in quibus æ' diphthongus scribitur. Chemnis egypti Rex. Cheospes, etiã egypti Rex qui celeberrimam illam pyramidem struxit, habuitq; in ea tam multa hominum millia, opus illic tot annis facientium, ut pro apio, cepa, hallio expensa fuerint mille & octingenta talenta. Choenix, & Choenicæ genus mensuræ œ dipthongon habet. Similiter schœnobates, græce χοιν'ον funiculus, unde Schœnobates artifex ludendi in funiculo. Chephren Aegypti Rex.

Ch' ante I'.

INQVIBVS Autem utimur C' aspirato ante I' nomina sunt hæc, Chidnæi populi iuxta pontum. Chidorus Macedoniæ fluuius. Chione, Chilon unus è septem sapientibus, dicunt græci χείλη labia per ei dipthongon scribentes, unde Chilones cognominati sunt à magnitudine labiorum. Cilones uero sine aspiratione dicti fuerũt illi, quorum frons erat eminentior. Chilia mille. unde Chiliarchus qui mille præest militibus, idest tribunus. Chimæra monstrum cuius prima corripitur, & habet Ae' diphthõgum in media. Estq; Chimæra latine capella, chimæra mons lyciæ. Significat græce χειμερινὸς nos per ei. idem quod hiemalis. At Cimmerius non habet aspirationem, geminatq; literã M' Cimmerij autem frigoribus occupatas terras icoluerunt, qđ declarãs Tibullus ait. cũ de Vlysse loqueretur.

» Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces.
» Queis nunquam candente dies apparuit ortu.
» Seu supra terras phæbus, seu curreret infra.

Inter Baias etiam, & Cumas conuallis fuisse dicitur, quæ cum esset satis edito iugo clausa, neque matutino, neque uespertino tempore radijs solis contingeretur. Hanc Regionem qui incoluerunt uocati sunt etiam Cimmerij. Vnde & apud eundem poëtam legimus Cimmerios lacus, idest auernales. Fuit enim Cimmerium oppidum finitimum Auerno lacui, cuius ueteres scriptores meminerunt. Chironomia Idest lex gestus. ut Quintilianus asserit, & manuum motus. Vnde Chironomantem dixerunt. Est enim græce chir per ei manus. unde Chirotechnia, & Chiragra morbus. & Chirodita uestis, Chirurgus, et Chirurgicus, Chirographum quoq;, et Chiromantia diuinationis species. Chirade insula Iapigiæ. Chiron habet aspirationem fuit Centaurus, & Achillis magister. Chytrapos tripes in quo collocatur ad ignem olla habet υ'. Schisma scissura, dissensio. Chius insula cuius prima græce corripitur, cum prima possessiui, Chius

Chia Chium producatur, ut uinum Chium, & populus Chius. Horatius.

» Quid tibi uisa chios bullati notaq; lesbos.

Vides primitiuum habere primam breuem, quam possessiuum habet productam. ut apud Tibullum.

» Vos modo fumosos ueteris proferte phalernos.

» Consulis, & chio soluite uincla cado.

Cylyndrus aspiratione caret, & habet υ' est lapis dictus à uerbo κυλιεῖν idest uoluere, de quo Virgilius.

» Area quàm primum ingenti est æquanda cylindro.

» Et uertenda manu & creta solidanda tenaci.

Ch' ante O'.

ANTE O' aspiramus C' in his choaspes fluuius, Cholera, Cholericus. Est enim Chole fel, & bilis. Cholos, ira. Schola, Scholasticus, Chorus, Choraules, Chorea, Choralistia, Choriambus pes' metricus. Chorda, Chora oppidum, Chorasmus nomen propriū, et Chorasmi Asiæ populi. Male qui aspirant Corymbus. Corylus, Corydon, Coryphas, Corybantes, Costum. Cous ab insula Co, Cora quod est proprium Rhetoris, quæ omnia aspiratione carent. Itemq; Collybus genus monetæ, & Collossus. Colus, Colurus, Colax nomen parasiti ab assentando. est enim κολακεύω adulor. Cholas tamen choladis aspirationem habet pro eo qđ significat uiscera, & intestina apud græcos.

Ch' ante V'.

ANTE V' dictiones nullas habemus in quibus C' aspiremus ad primas syllabas. nā Curetes non aspiramus.

Ch' ante A' in medijs, & ultimus syllabis.

MEDIAE quoq;, & ultimæ syllabæ in qbusdā dictionibus habēt C' aspiratum ante A' quæ sunt Michael, Achaia pars Peloponnesi Achaicus. Ichaira quæ fuit leucippi filia, hæc eiusq; soror phœbe ab Ida, et Lynces Apharei filius amatæ dicuntur, eas cū Leucippus pater Idæ, ac lynceo spopondisset nuptiarū die Castor, ac Pollux rapere conati sunt. Nā et hi uocati ad nuptias uenerāt. Et enī Aphareus, ac Tyndareus fratres erāt, quæ res pugnā inter illos concitauit. Machaon Aesculapij filius quē cū Podalirio fratre Agamēnona secutum Philoctetæ uulnus sanasse proditū est. de quo apud Propertium.

» Tarda Philoctetæ sanauit crura machaon.

Orchades insulæ Oceani, & oliuæ genus, Vnde apud Virgilium.

» Orchades & radij & amara pausia bacca. Sunt autem dictæ à testiculo cuius similitudinem habeant. Est enim ὄρχις testiculus. Is-

chagoras Panchaia. unde Panchaicus. Oechalia de qua Ouidius. Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris. Oechalius fluuius. Bacchanalia Archander proprium hominis fuit socer danai. Lachana numeri pluralis comprehendit omnes genus holeris. Orichalcum genus metalli. Bochanos turcarum dux temporibus Iustiniani. Leochares nomen sculptoris. Epicharmus poëtæ. Epicharida genus nauiculæ. Anacharsis nomen philosophi. Ancharius nomē proprium quod uetus testatur epigramma. D. M. MARCIAE MARCIANAE ANCHARII. Proculus, & proculianus matri sanctissimæ. Acharne maximum olim Atticæ oppidum. Ar' Acarnania aspirationem nō habet, quàm habent hæc Mechanicus. Zacharias, Cāchasmos risus solutus. Achatus proprium, cuius media breuis est. Achates æneæ comes, Pirricha genus ludi. Tetrarcha, Monarcha, Poliarcha, Patriarcha. Concha, Calchas, Apocha, Pascha, Dragma, quidam loco ch' G' scribunt. Mastica genus gummi. Mœcha adultera. Tabracha Africæ fluuius. Carucha uehiculū, Tycha Nympha. Proseucha domus mendicantium est, græce προσευχὴ obsecratio. Bomilchar nomen punicum. Rachab, & Achaz hebræa nomina.

Ch' ante E'.

VTIMVR etiā C' aspiratio ante E' in his Achæus in quo scribenda est diphthōgus æ. Spercheides à Sperchio flumine. Echecleus, Echecrates, Archedicus. Archedicæ filia Hippiæ Athenienſis tyranni quæ à nobis dicitur Carthago, græce dicitur καρχηδών Archegetus Apollo cuius templum celeberrimum fuisse ante Naxon Siciliæ oppidum memoriæ proditum est. eq; eius ara qui nauigaturi essent. oracula solitos petere. Archelaus. Achelous Epiri fluuius. Vnde Achelōius, et Acheloides. Enceladus unus è gigantibus aspiratione caret. Rhachel Iudæum nomen. Archemolus proprium uiri. & Archemorus in cuius honorem celebrabantur ludi nemeæi. Apud nemeam autem dicitur Hercules Leonem occidisse. Fit autē à nemee nemeæus sicuti à Tegee Tegeæus, quæ uoces habent geminū e' quod ideo notare hic uolui, quod multi dum putant habere unum tantum e' errāt in quantitate syllabæ. Fieri autē ab eo quod est Tegee, Tegeæus Propertius declarat cum ait.

» Ergo musarum, & Sileni patris imago fictilis.
» Et calami pan Tegeæe tui,

Qui uocatiuus cum habeat triplex è declarat nominatiuum habere duplex e'. Similiter apud Virgilium in primo georgicorum.

» Assis o' tegeæe fauens.

Vocatiuus ille triplex habet e'. In quo

grammatici quidam falluntur arbitrati uocatiuum illum non quatuor, sed trium esse syllabarum. Quinetiam in hoc peccant, qđ primam producunt syllabā, cum sit breuis. Nemeæ habet. primam breuem. ut apud Virgilium.

» Vastum nemeæ sub rupe Leonem. Et similiter apud alios poëtas, eius possessiuū primam quoq; corripit. ut apud Nasonem.

» Nempe sub his etiam pestis nemeæa lacertis. Si quis hoc possessiuum trisyllabum fecerit, errabit in quantitate primæ syllabæ. Echepolus nomen proprium. Echemmon unus ex Priami filijs. Machæra genus gladij à quo Macheriphori gens Thraciæ. habet etiam machæra diphthongum æ'. Epicherema syllogismus quo utuntur maxime oratores. Acheron fluuius infernus dictus à tristicia. ἀχέω enim doleo, & angor significat. Est & Acheron fluuius Thesprotidis. Acherusia palus. Acherras proprium hominis. Acherontia oppidum Apuliæ, unde Acherontinus. Echenes proprium uiri phæacis. Arcœsilas uero, & Arcœsilaus aspiratione carent. Archetypus, Archetimus, & omnia quæ sunt ab eo, quod est ἄρχων aspirationem exigunt. Ochesius cuius filius Periphas à Marte occisus dicitur. Onchestius auus Hippomanis. Carchesium poculi genus & pars mali naualis. Orchestra locus in theatro è quo spectabat nobiles, quod significat Iuuenalis cum ait.

» In tertia, orchestram & populum. Vitruuius quoq; de eadē ait.

» In orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata, & eius

» pulpita sit ne plus quinq; pedum. Græci ducunt hoc nomen à uerbo ὄρχομαι quod significat salto. Sunt tamen qui opinētur Orchestram dictam ab urgendo, ut orcus & urceus quod urgeat, idest capiat spectatores, quod si est, aspiratione carebit. mea sententia orchestram à græcis mutuati sumus. Onchestus locus in quo Neptuni templū fuisse Homerus refert. Euficheus nomen proprium. Extat epigramma his uerbis scriptum M. AVRELIVS EVFICHEVS. SERA VICELIA RVFEN. HANC SEDEM VIVI SIBI POSVERVNT VNO ANIMO LABORANTES SINE IVLIANO FILIOLO. Sicheus, qui sua lingua erat Sicharbas. Trochæus pes metricus, recipitq; diphthongum AE'. Similiter Manichæus, unde Manichæorum secta, et Mardocheus. Laches, Lachesis, Paches, Tarchetius nomina propria. Astyoche Nympha è qua dicunt poëtæ Herculem suscepisse Tlepolemum, qui fuit dux Rhodiorum, qui ad Troiam profecti sunt, ex eademq; Martem suscepisse Ascalaphum, & Ialmenum, Synecdoche,

Psyche. Andromache uxor Hectoris, Nam quae Persei uxor fuit, ea Andromede dicta est, Ferunt enim Cassiopeam eius matrē elatam formae raritate, praeposuisse se Nereidibus, quod aegre ferens Neptunus cetum immisit, qui oram omnem Aethiopiae uastaret. Quā tantam calamitatem, ut auerteret Cepheus & Neptuni iram leniret. Andromedam filiam catenis ad scopulum alligatam ceto deuorandam exposuit, quae aduentu Persei liberata est, & in matrimoniū ab illo ducta. Unde apud Propertium.

" Non hic Andromedae resonant pro matre catenae.

Filia enim pro matris crimine in piaculū expostulata oraculo fuerat, quae postea in caelum translata est, & in stellas uersa.

Ch' ante I'.

ANTE I' etiam aspiramus C' in his Anchialus nomen oppidi, & item uiri Bacchiadae qui è Corintho in Siciliam exules profecti sunt. Malachias uiri proprium, & Dicaearchia oppidum Campaniae dictum à cultu et principatu iustitiae. Posteriores Puteolos appellauerunt. Hyperiochides uiri proprium, & Eutychides, & Leotychides. Simichida nomen pastoris, brachium Dyrrhachium urbs, ante Epidamnus dicta. Dulichium Ulyssis insula, unde Dulichius. Hemistichium dimidius uersus. Stichius nomen propriū. Eustochiū. Antiochia, Antiochius, Archiater, Archidamus, Archimedes, Archiepiscopus, Archigenes, Archigallus, Anchilia nomen oppidi. Bacchylides nomen poëtae habet u'. Fuit autem Chius, ac de cognatione Symonidae Poëtae lyrici, & ipse quidem lyricus, Aeschines, Aeschylus habet u', & Conchylia ut multis placet. Archippus hoc nomen uetustissimi sine aspiratione protulerunt, ut dixi. Archimagirus Cocorū praefectus, seu coquinae magister, Archipolemus Auriga Hectoris. Oligarchia principatus paucorum. Monarchia unius. Polyarchia multorū. Tetrarchia, Archias. Fiunt enim ab eo, quod est ἀρχή. Echius, Echion, & Echionides. Pyrrichius pes metricus, Bacchius, et Palimbacchius Pedes metrici. Ambracia oppidum aspiratione caret, quam habet Entelechia Aristotelica definitio animae. Et Aristolochia herba, et Oetychius faber à quo Aiacis clypeus cōtextus dicitur, et Milichius Iupiter, idest mitis et suauis, cui Athenienses ante urbē faciebāt dialia. Sperchios Thessaliae fluuius. Trochilos auis quae dicitur pasti ī ore Crocodili deuorans. Achilles, Achilleides, Echinus, Echidna uipera quae uox habet D' in graeco, quā nōnulli uertant in N' Telchines populi, quos traditum est oculorum obtutu conuertisse uisa in quod

uellent. Pachynnus habet u' mons Siciliæ. Echinades insulæ contra hostia Acheloi, Machina, Machinor, Cachinnus, Cachinor, Cachinno uerba, et Cachinno Cachinonis nomen. Enchiridion. Anchises, Anchisiades. Pachisos Siciliæ fluuius Sexti Pompei clade nobilitatus. Architectus, Architectonica. Puteolis tamen in latere uetustissimi templi est scriptum nomen Aratectus absq; nota aspirationis, adeo quibusdam temporibus à latinis explosa fuit. Orchitis genus oliuæ, Orchis græce est testiculus. Prochyta insula maris Tyrrheni habet u'. Achiuus, Achiua, Achiuum. Inachis, & Inachides, Colchis, Colchidos. Parastichis, Parastichidos titulus, Bacchis, Bacchidis à Baccho, Nam Bacis nomen proprium caret aspiratione. Conchis uiridis faba, quam hodie Neapolitani C' in G' uertentes dicunt gongulam, quam condiunt nunc porro, nũc cæpa, addito pipere, aut cumino. Alij anethum miscent, alij Salsamenta tunni, pro cuiusq; gula. Cibus sane rusticanus est, difficilisq; materiæ. Colchi, Cholcorum. Vnde Colchicus. Achin Iudæum nomen. Ezecias uero, & Ezeciel, & Eliacim, & Ioacin aspiratione carent.

Ch' ante O'.

ASPIRAMVS etiã Ch' ante O' in uerbo Inchoo si uerum est quod dicatur à Chao quod dixerunt rerum initium. Diomedes tamen refert Verrium flaccum eruditum uirum uoluisse, eiq; tranquillum assensum esse ut hoc uerbum in ultima syllaba aspirationem haberet, quod esset à nomine Choum, quod apud priscos mundum significabat, habebatq; aspirationem ante V' ut mundus dictus esset. Cohum, à cohibendo idest quod omnia cohiberet intra se, hinc ẽt dixerunt Choum lorum, siue funiculum qui cohiberet hoc est colligaret temonem buris cum iugo. Vnde homines nostri temporis, alij aspirant huic uerbo post C' alij ante ultimum O' quod ego magis probo & propter hiatum, & propter opinionem eorum, quos supra retuli, Sed liberum sit cuiusq; arbitrium, utram uelit opinionem sequi. Veteres tamen, ut dixi, in hoc nomine non C' sed O' aspirabãt, quod inscriptio hæc declarat. IMP. CAESAR D. NERVAE F. NERVA TRAIANVS GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. II. CONS. IIII. P. P. INCOHATAM À D. NERVA PATRE SVAM PERFICIENDAM CVRAVIT. In hoc epigrammate habet hæc dictio incohatus aspirationem ante A', quæ res arguit ueteres illos aspirasse in uerbo incoho non literæ C', Sed uocali O'. Melancholia, Melãcholicus. Orchomenon oppidum, quod

ante Minyeum poſt Bœotium uocatum eſt. Archonides. Tracónſo inſula Nili. Oenochonon flumen Theſſaliæ. Philochorus. Anachorita monachus uiuẽs in ſolitudine. Steſichorus. Terpſicore muſa Bacchor, Stomachor, Mœchor, Colchos. Græci etiam aſpirant C' in hac uoce dichotomos, et dichomenos quæ ſignificat lunam ſemiplenam qua uoce aſtrologi noſtri utuntur. Echo nomen nymphæ. Eſt autem Echo uox reſultans dictam à uerbo ἠχῶ, ideſt ſono, & ſtrepo. Horatius cum eam per circuitum uerborum exprimeret inquit.

» Simul & iocoſa redderet laudes,
» Tibi uaticani montis imago. Et Virgilius.
» Vociſq́; offenſa reſultat imago.

Iechonias Iudæum nomen. & Nabuchodonaſor. Ancora aſpiratione caret quæ græce dicitur ἄγκυρα nos G' in N' uertimus ſicuti in hoc nomine Anchiſes, & angelus, & Concha, Himilcha nomen punicum.

Ch' ante V'.

SVBSEQVENTE autem V' aſpiramus C' in his uocibus Eunuchus quem latine & exſectum, & euiratum dicimus, quanquam & Spado alio nomine dicitur Stomachus quem latine uentriculũ dicimus. Stichus nomen proprium. Inachus Theſſaliæ fluuius. Vicat etiam uſus apud maiores noſtros, ut gracchus cum aſpiratione ſcriberetur. Nunc uero uix eſt qui aſpiret. Bacchus, Antimachus, Iamachus, Nicomachus, Telemachus, Amphimachus, Eumachus, Eutychus, Eurymachus, quem Homerus tradit ritu puellæ cultum, ornatumq́; inceſſiſſe, Learchus, Plutarchus, Pliſtarchus, Ariſtarchus, Clearchus, Demarchus, ideſt tribunus Dicæarchus. Nicharchus, Hipparchus, & quæ fiunt ab eo, quod eſt ἄρχων. Iacchus. Eſt autem Iacchus dictus à clamore, & ſonitu. nam Iaccho eſt clamo, canto, & reſono, & Iacche ſonitus, clamorq́;. Amphilochus, Antilochus, Archilochus, Antiochus, Huius nominis ſecundam ſyllabam græco more pronuntiamus. Nam non exſibilamus literam T' quemadmodum in latinis T' enim ſequente I' in nominibus noſtris exit, quaſi in ſibulum, ut cum dicimus antium, hoſpitium, latium, ſtatius. Horatius, & huiuſmodi nomina. An Antiochus ita à nobis profertur, ut in ſecunda ſyllaba non exibiletur uocalis I' more latino, ſed græco potius pronuntietur, quemadmodum et tiaras, quæ uox græco ſono à nobis profertur. Pſamnitichus qui fuit Aegyptiorum Rex. Munichus nomen proprium, & locus ante pireum Phrynichus. Hippolochus, qui fuit Bellorophontis filius. Eſt autem Bellorophontes apud græcos primæ declinationis, ut Anchiſes, Promachus, Orſilochus, q

ab alpheo flumine genus duxit. Trochus genus ludi cuius diminutiuum Trochiscus. Aristolochus. Axiochus, Deiochus, Ochus, Eniochus nomen proprium, & signum cæleste. Nos aurigam dicimus. græce ὄχος uehiculum dicitur. Monychus unus è centauris de quo apud Iuuenalem.

» Quantas iaculetur monichus ornos.

Hunc Nestor à Pirithoo uocatus ad nuptias, pugna iter conuiuas exorta superauit. Vnde est apud Valerium flaccum.

» Fert grauis inuito uictorem Nestora collo.

» Monychus. Homerus dat hoc epitheton equis quod non habeant fissas ungulas. Eurylochus, Moschus, Molorchus qui Herculē contra leonem profectum accepit hospitio. Vnde apud Tibullum.

» Grata molorcheis posuit uestigia terris.

Amphibrachus pes metricus. Orcus orca latinum esse nomen uolunt, ac per mutationem literarum duci à uerbo urgeo, ut sit orcus, quasi urgus, à quo uerbo & urceus dictus est. Sunt qui uolunt orcum dictum, ex eo quod Dij iurabant per stygem. Est enim orcos iusiurandum. Est orcus apud Homerum thessaliæ fluuius qui peneum olei instar supernatat, ut supra est dictum. Itaq; aspirationem nullo modo recipit. Batrachus, Merichus propria hominum. Muschus animalis. Mœchus adulter. Nauarchus. Stenachus proprium nomen, Elenchus probatio, refutatio, argumentum. Bruchus bestiola nocens frugibus. Sampuschum herba. Pocchus quod barbarum est, inuenies in antiquis codicibus aspirationem habere, & græci aspirant. Inueni etiam nomen proprium Eschus in quodam sepulchro, In alio nomen Brocchus aspirationem habere. Est autem inscriptio hæc quam uetustatis gratia inserui. P. LAERTIVS P. F. BROCCHVS LARTIA P. L. HORAEA. BONEIS PROBATA INVEISA SVM À NVLLA PROBA. FVI PARES DOMINEIS SENIB. HVIC AVTEM OBSEQVENS ITA LEIBERTATE ILLEI ME. HIC DECORAAT STOLA À PVPVLA ANNOS XX. OPTINVI DOMVM OMNEM. SVPREMVS FECIT IVDICIVM DIES. MORS ANIMAM ERIPVIT, NON VITAE ORNATVM ABSTVLIT L. EPRIVS CHILO VIAT. TR. PL. Hæc inscriptio declarat uetustissimos latinos frequentissime usos diphthongo ei quæ post obliterata est. non etiam præ se fert oscos. quoniam in oscis sepulchrum hoc, idest lapis pro sepulchro hodie quoq; exstat enuntiasse præteritum uerbi decoro in tertia persona nō decorauit, sed geminato à de-

coraat, & à pupa, Pula Pupulam, ideſt puellam dixiſſe.
DE C' in medijs uocabus aſpirato ante V' nihil dixi, quia nulla uox
ſuccurrit in qua à græcis accepta ex illorum inſtituto C' aſpiremus
niſi forte ſit conchula, quæ fit ab eo quod eſt concha, quæ græce dici=
tur κόγχη.

Ch' ante L' & R', & N' & th'.

ET NE aliq̄d omiſiſſe uidear, q̄d memoria ſuppetat, & præceptio
hæc exigat, aſpiramus C' etiã ante I' in q̄buſdam dictionibus, quæ
ſunt. Chloe, Chlamys, Clamydatus, Chlæna è qua uoce, ut dixi, ch
abiecimus. Cloris nympha. Et ante R' Chreſimus, Chryſippus, Chry
ſogonus, Chryſothemis Agamẽnonis filia, Chryſeis, Chryſis, Chry
ſomelon malũ aureum. Chryſolithos, Chryſopaſſus lapilli precioſi,
Chryſendetũ, Chryſoſtomus, Chryſocolla teræ genus quã è Macedo
nia apportari, et illic fodi author eſt Vitruuius, Chryſides, Chryſa
ciuitas Phrygiæ. Chryſa inſula Idiæ, quã aureũ ſolũ habere prodi=
tum eſt. Chryſa fluuius agri Syracuſani, Chryſomalon græci appel
lant arietem illum q̄, ut eſt in fabulis, Lanã auream habuit. De quo
etſi latini poëtæ dicunt, quod is phrixũ, et hellen geſtauerit, tñ græ
corũ q̄dam aliter retulere, Ferunt enim Neptunũ correptum amore
Theophanes althidis filiæ illã rapuiſſe, tralatamq́; in inſulã Chry-
miſſam in ouẽ conuertiſſe, et in arietis forma cognouiſſe, ex quo com
preſſu aries chryſomalus natus fuerit. Chriſtus, Chriſtianus, Chriſ-
ma, Chremes, Chreſimus q̄d in ueteri ſepulcro ſcriptum reperi. Chro
mius, Chronus, Chronius, Chreas Rhetores colores quoſdã orationis
uocant. In medijs quoq; & ultimus ſyllabis aſpiramus C' ante ali=
quot conſonantes ante I' Cochlea et Cochlear, dicebantur apud an=
tiquos cochlacæ lapides fluuiales rotundi, ut cochleæ. Cochlia no-
men uirginis Romanæ. Ante M' Menechmus nomen propriũ, et bra=
chamanes gens celebris propter ſolis menſam. et Pyræchmes propriũ
nomen q̄d habet Ae' diphthongum ante ch'. Ante N' techne, dicimus
autem technas artes, dolosq́;, qua uoce noſtri utũtur Comici. unde Ca
cotechnia mala ars, ſiue uitioſitas, doloſitasq́;, Græce nãq; τέχνη ars
eſt, et dolus. Lychus cereus, ſiue lucerna. lychnites genus lapides. Vi
di & prochne propriũ nomen aſpirationẽ habere poſt C' in quodã,
q̄d hodie exſtat epigrãmate apud oppidũ. Apuliæ labellũ cuius uer
ba ſunt hæc. OPPIA PROCHNE ACVTIANA SECVNDA
CREPERIA TIATICAE ISIDI. Græci tñ hodie p u hoc nomẽ
ſcribũt, q̄d nos in G' uertẽtes non procnẽ, ſed prognẽ magis dicimus.
Dicunt ẽt græci Arachnea, nos dẽpto C' & aſpiratiõe dicimus ara=
nea. In noie proprio Arachne uertunt multi C' aſpiratũ in G' et nõ

Arachnẽ sed Aragnẽ dicũt. Ante R' quoq; græci aspirãt C' in mediis syllabis, et ultimis ut Calæschrus proprium nomen, et Caleschra oppidum, quæ duo nomina habent Ae' diphthõgum ante S', et Aeschrion similiter. Hic cum esset poëticæ studiosus Alexandrum in eius expeditionibus secutus dicitur. & Ochra genus cretæ, qua pictores uti dicuntur ad ducendos colores. Catachresis abusus, & Cenchris genus serpentis. Ante T' græci aspirant huic nomini brachtea. Unde brachteare, prisci tamen more suo detraxerunt aspirationem. Ante θ' etiam græci aspirant C' in nomine Ichthys, quæ uox piscem significat, unde Ichthyophagi populi quidam dicti, quod uescerentur piscibus, est & Ichthyocolla genus piscis. Habet etiam Hicthys aspirationem ante I' in prima syllaba secundũ atticos, ut dixi. Ennosichthon, epitheton Neptuni. Erichthonius etiam habet C' aspiratum ante θ' ut initio dixi, hic, ut est in fabulis, è Vulcani semine, dũ ille Mineruam habere in complexibus contendit, nascitur, absconsus'q; in cista à glauro, & pandroso custodiendus à matre traditur. Adultus autem Panathenæa idest ludos in palladis athenæ matris honorem primus constituisse, arcem'q; & templum edificasse dicitur. Et, ut Virgilius inquit.

» Primus erichthonius currus & quattuor ausus.
» Iungere equos rapidis'q; rotis insistere uictor.

Apud barbaros desinunt etiam nomina in ch' ut Enoch', & Lamech, & Sadoch.

De' Ph'.

POST hæc de P' aspirando præcipiam quam literam græci φ' appellant, et si de usu eius pauca admodum præcipienda sunt. Huius literæ loco prisci latini F' libenter ponebant. ex qua consuetudine est ut hodie quoq; in aliquot uocibus quas à græcis mutuati sumus F' scribamus loco ph, ut fama, Fuga, Fagus. Consueuere etiam maiores nostri de quibusdam uocibus demere aspirationem & P' tantum scribere Contra I' quibusdã addere, ut in hac dictione trophæum, ex quo effectum est ut indifferenter dicamus phylemonem & pylemonem. thermophylas, & termopylas & alia quædam, eodem modo græci hypsipylen et Thermopylas, semper nos libentius thermophylas & hypsiphylen cum aspiratione, contra diphthongum magis quàm diphthongum. Illi quoq; ut nos indifferenter persephonẽ & phersephonem. At sphæram & sphinga nos nunquam dicimus, quod latino non conueniat ponere S' ante F' uel P' aspiratum, quanquam in uernaculis quibusdam uerbis quibus italici nunc utuntur S' ante F' sepe ponatur ut in hoc nomine Sfortia. E' quibusdam di

ctionibus

ctionibus latinæ pronuntiationi consulentes non modo aspirationem, sed ipsum etiam P' abiecimus, ut cum dicimus Apothegma, q̃d apud illos est Apophthema, quæ pronuntiatio habet asperum nescio quid, & quasi confragosum, quod lingua nostra uehementer horret, sed ad rem ueniamus.

ASPIRAMVS Igitur P' ante uocales in principijs dictionum, quas à græcis aut mutuamur, aut in quibus eos imitamur. Nam in multis quæ græca non sunt, græcum scribendi morem sequimur, ut in Hebraicis Ante A' ut in his Phaon, Phalerius Pharus, Phaneus, Pharsalia. Phanostrata. Phasis. Ante E', ut Phæacia, Phæax, Phædrus, phædimus in quibus Ae' diphthongus scribenda est, Itemq; phœnix, & Phœbus Phœbasq; In quibus diphthongus oe'. Pherecydes, et Phero nomina propria. et Pheræus à loco cũ diphthongo Ae' in secunda. ante I' philippus Philyra. phyneus. Philtrum poculũ amatorium, Phyrne. Ante O' phonascus, Pholoe, Phorcus. Phocæ uituli marini, phosphoros, lucifer. Ante V' quæ apud græcos simplex uocalis non est, sed diphthongus, nullã uocem habemus in qua Ph ponamus in principio dictionis. Multi tamen uolunt fucus fuci pro genere apis à græco dici.

Ante Y'.

ANTE Y' phyllis, phylaca custodia, & carcer, Phylacides, Physica, Physicus, Phyton. Similiter in medijs, & ultimis syllabis P' aspiratũ locatur ante omnes uocales, ut in his Aristophanes, Tiphernus, Amphiaraus, Theophilus, Symphonia, Periphas, Hyphe, Iphis, Seriphos, Sophos, Schyphus, Philosophus. Habent græci accusatiuos casus, non omnium tamen declinationum in us' diphthongum exeuntes, in quibus ubi natura nominis exigit phi ponunt, ut delphus. Ante L' quoq; & R' & T' & O' locatur P' aspiratum ut in his, paphlagonia phlebotomia, phlegetho, Phlexippus, Phrygia, Phryx. Cataphractus, idest equus loricatus, Phlegra regio, in qua dicũtur gigantes coniurasse, Est autem campaniæ pars in qua est Vesuuius mons, et ager Neapolitanus. Itemq; Puteolanus, Phthia urbs, seu regio à qua Achilles Phthius. quanquam multi aspirationem tollunt, et Pthius dicunt, Phthis, Ophthalmos, Ophthalmia oculi morbus, quibus pleriq; aspirationem detrahunt. Desinunt etiã barbaræ dictiones in ph', ut Ioseph, qui latine dicitur Iosephus. Multa, & apud Iudeos, & apud Syros cadunt in Ph', uti apud Germanos in F' ut Astulf, et Rodulf, pro quibus nos Astulphus, & Rodulfus. Et ut omnia, quæ de aspirando præcipi apud nos possunt una absoluã regula, id tibi generatim

præcipio in omnibus græcis dictionibus, & in quibus græcos imitari placuit, ut in Iudæis, & Syris P' aspirandũ esse, ubicunq; si uellemus latine scribere F' ponendum esset. De qua re satis sit hæc dixisse.

De Th.

CONSEQVENS Est, ut dicam de litera T' idest in qbus dictionibus aspirari ei oporteat, quæ, ut de C' et P' supra dixi, solũ aspirãda est in dictionibus græcis, & barbaris. Nam quæ latina uox sit nulla hoc exigit. Tametsi Ciceronis temporibus, ut supra retuli, placuerit Cethegum, & Mathonem aspiratione notare, quem usum hodie quoq; multi sequũtur, & græci aspirãt. Obseruatũ quoq; à me est nomen Posthumus in qbusdã uetustis Codicibus aspirationẽ habere. Est autem dictus Posthumus, qđ sit post humatum patrẽ editus, Humatus autem qđ sit ab humo aspirationem habet, quam multi uoluere, ut nomen Posthumus, qđ est eius compositum retineret, quod usus aspernatur, & ut dixi, latina uetat regula. Habet autem hæc litera cum aspirata est non paruam cum D' conuenientiam. Hinc est qđ ex eo, qđ est græce θεὸς Deũ fecerunt. q̃q̃ sunt qui putent Deum dictum, quod ei nihil desit, uel quod det mortalibus omnia, quæ commoda illis sint. De qua id primo tradam. Consueuisse græcos cum duæ uoces ita coeunt in unam dictionem, ut necesse sit è duabus se collidentibus uocalibus alteram eijci loco suo, remanente uocali aspirata T' in θ' conuertere. Nã καθολικὸς, quod nomẽ fit ex κατὰ, et ὅλον. accepit θ' Dasea enim quæ erat in simplici uoce holon, concessit in θ', et similiter Tethrippõ, idest quadriga habet theta. Dasea enim quæ erat in nomine Hippos è uocali cõcessit in consonantem T', et Θ' inde factum est.

Th' ante A'.

VTIMVR Autem T' aspirato ante A' in principijs quidem dictionũ in his, Thais, Thalamus, Thallus ramulus, siue germẽ. Vnde puto dici Thelleã arborũ, Thales, Thalassius, Thalia, Thalpius nomẽ propriũ, Thamyris, quem qđ cum musis concertasse ausus sit, et musica et humano sensu multa tũ Homerus refert. Thamor nomen hebræũ, Tarsos, unde Tarsensis aspiratione caret. Vetus Iudæorum lingua Tharsis mare appellat, Thamanæi Scythiæ populi. Thanatos mors. Thasus insula, unde Thasius. Tasiũ uinum si dicatur à Thaso insula seruat aspirationẽ, sin à nomine Tasis quæ est detentio caret ea. Thaumas, Thaumãtius, θαῦμα græci miraculum, et admirationem uocãt, Thaumacia Thessaliæ locus, habebãt Athenienses mẽsem θαργηλιῶνα.

Th' ante E'.

ANTE E' Theano uxor Antenoris, Theanum nomẽ oppidi, qđ ta

men in qbusdã monimentis marmoreis sine nota aspirationis scriptũ inspexi, ex uetere illa consuetudine non aspirandi consonantibus, Theagenes, Theagoras, Theate oppidum Marucinorum, Theologia, Theologus, Theogonia, Theophilus, Theophania, Theodorus, Theocritus, Theodectes, Theognis, Theodosius, Theopompus. Theophrastus, Theotimus, & quæ fiunt παρὰ θεῦ uel θεᾶς, Theon proprium pictoris, & Astrologi. item Theos mons, quem ferunt esse ultra campos Panum satyrorumq; perpetuis flagrantem ignibus, Theorema, Theoricæ. Græce enim θεωρῶ significat consydero, contemplor. Theatrum locus ubi spectabantur ludi, Thebe nomen urbis, Thebæus, Thebanus, Thebais. Thebæus nomen propriũ, quod habet diphthongum Ae' ante ultimam syllabã. Thebe nomen uirginis è cuius gremio geminæ columbæ, ut est in fabulis, cum euolassent altera ad Ammonis fontem tetendit, & ibidem responsa dedit, altera ad syluã Dodoneã ubi futura mortalibus præcinuit. unde à Tibullo dicitur.

" Quid referam ut uolitet crebras intacta per urbes.
" Alba palæstino sancta columba syro.

Licet hoc referri ad semiramidem possit, quam in columbam uersam syri credidere, aut sit propterea dictum, quod syri columbis abstinebant, cum uenerem religiosissime colerent. & à Silio.

" Nam cui dona iouis non diuulgata per orbem.
" In gremio thebas geminas sedisse columbas.
" Quarum chaonias pennis, quæ contigit oras.
" Implet fatidico dodonida murmure quercum.
" At quæ carpathium super æquor uecta per auras.
" In libyen niueis tranauit concolor alis.
" Hanc sedem templo cithereia condidit ales.
" Hic ubi nunc arua, lucosq; uidetis opacos,
" Ductore electo gregis admirabile dictu.
" Lanigeri capitis media inter cornua perstans.
" Marmarias ales populis responsa canebat.

Herodotus tamen non albam, ut Tibullus, & Silius, sed nigram fuisse refert. Theca unde Apotheca, Thecla nomen proprium mulieris. Thectamenes uiri, & Thelgon, Thema, Themis, Themion, Themistocles, Themisus, Themison, Thensa genus uehiculi, Theranne locus in agro Lacedæmonio. Thermæ balneæ aquarum calidarum, Thermus nomen propriũ, Thermocrates, Thermopyle sunt loca angusta in Oeta monte, in quibus fontes calidi, Thermodona Mazodonum fluuius. Latini ultimum o' quod est græce ω' idest magnum se

rē semper soluunt & Thermodoon dicunt. Aliter enim ea uox bene loqui non posset in uersu heroico. Ouidius tamen dixit.
» Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ.
Therma quæ postea uocata est Thessalonica, Thermantia, Theramenes, Theron qui uicit in olympia Pindari carminibus celebratus, Therodamas, Therses, Thersilochus, Thersites, Thersander, Thericlion poculi genus dictum ab artifice. Theseus, Thesides, Thescis, Thessalia, Thessalicus, Thessalonica, Thesis, Thesaurus, Thesmophora sacra cereris dicta quod ceres mortalibus leges tulerit. Thesportus, Thespis, unde Thespiades, quod nomen fuit & Poëtæ, & urbis, & fontis cuiusdam. Thestor Enopi filius, à quo ducitur patronymicum Thestorides. Thestylis, Thesiphone, Theta, Thetis, non cum Tethios, sed cum Thetidis genitiuum facit.

Th' ante I'.

ANTE I' Thias Thiadis Bacchi sacerdos, & quæ furore agitetur. quidam malunt per y' scribere quod probabilius Thiasus similiter. Thinacria à Thinacro Rege, sine R' post th'. Nā cum dicitur Trinacria caret aspiratione. Veteres latini triquetram dixerunt. ut Lucretius.
» Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. Thisbe nomen proprium, de quo apud Homerū, & ante y'. Thyamus Epiri mons, & nomen proprium hominis. Et Thyamus Epiri fluuius secundum Thesprotidem, Thyestes, Thyestæus, Thyella nomen Harpyiæ. Thymiama aroma, quod incēdebatur in sacrificijs, appellabantq; græci θυμιατήρια uasa odorum quibus utuntur in sacrificijs, quæ maiores nostri acerras dixerunt. Thymum herba, Thymbra herba. Thymbræus Apollo à loco agri Troiani ubi colebatur, Thymele, Thymelus, Thynnus piscis, quem hodie Thunnum dicimus. Thynus, Thyna, Thynum à loco, ut apud Horatium.
» Thyna merce beatum.
Chyoneus bacchus. Thysbe nomen puellæ. Thyreæ ager, siue oppidum Peloponnensi, de quo pugnatum est inter Spartiatas, et arguos. Thyrea insula Peloponnesi, Thyrsus, Thyrsiculus, Thyrsis pastor. Thyssagete populi Scythiæ. Thiodamas pater hyle.

Th' ante O'.

ANTE O' quoq; aspiramus T' in his Thoas, Thoantius, Thoastes, Thoon, Thous. Græce autem θοὸς, est uelox. Thootes nomen præconis apud Homerum. Thoota mater polyphemi. Tholus pars templi, et testudo. Thorax, Thomās, Thon proprium. Errant qui in eo quod est

Torus aspirant T'. Est enim uox latina, & à torquendo dicta. nam Torus erat ex tortis herbis.

Th' ante V'.

PAVCA Etiam quædam nomina habent T' aspiratum ante V' quæ sunt Thucydides historicus. Thules Aegypti Rex. Thuria oppidum quondam Calabriæ, unde Thurius, & Thurinus. In quodam ueteri epitaphio inueni nomen, Turia pro nomine mulieris scriptum sine aspirationis nota. De ture, & Tuscia post dicetur.

Th' ante A'.

IN MEDIIS autem & ultimis dictionum syllabis utimur T' aspirato in iis, quæ sunt. Ithaca Vlyssis patria, unde Ithacus, et Ithacensis. Ithacus quoq; nomen proprium. Declarat hoc etiam lapis q hodie quoq; Capuæ exstat, in quo uerba hæc leguntur. INFERRI HOC NON LICET NISI QVORVM NOMINA SCRIPTA SVNT ET QVIB. CAVERO M. POMPEIO ITHACO POMPEIAE VRBANAE ITHACI LIBERTAE. Carthago aspirationem non exigit, præterquam si usum quorundã probaueris. Fuit tamen Cartha urbs haud procul Tyro, unde fortasse & Carthago habet th' aspiratum sicut habet Cartha urbs. Ereuthalion, quem Nestor uicit singulari certamine. Athamas, Athamantius. Epithalamium carmen nuptiale. Bethania quæ fuit in Iudæa. Athanatos immortalis. Biothanatus uiolenter mortuus. Bathani populi Galliæ Rheno cincti. Amythaon, unde Amythaonius. Spintharus nomen poëtæ. Pythacusa insula, Pythagoras, Pythagoricus. Agatharchidas. Cithara. Citharœdus. Citharistius. Titaresius aspiratione caret. Est autem Thessaliæ fluuius, qui Peneon intrat, &, ut poëta inquit,

» Nec aquis confunditur illis,

Sed olei instar innatans excurrit, quem etiam ferunt à styge manare. Cantharus uas, & Cantharus qui fuit Comicus Atheniēsis. Cantharides species Scarabæi, siue uermiculi. Lethargus. Lithargyriũ argenti spuma dicetur. Scythia. Agatha. Cymætha nomen capræ. Egestha, quæ Acestem genuit ex Crimniso fluuio. Iugurtha punicum nomen. Spatha ensis. Cerintha herba. Menta græce habet aspirationem, quam latine non retinuit, quod diminutum ostendit. Oetha mons thessaliæ clarus rogo Herculis, Et quæ Iudæa sunt nomina, Martha, Golgotha, Nathan, Ioathan. Matthan.

Th' ante E'.

EXIGVNT etiam T' aspiratum ante E', Althæa. quæ habe

diphthongon ae', Leuchothea Cadmi filia. Nabathea regio ad orientem sita. Amalthea nympha Cretensis, quæ Iouem caprino lacte nutrisse dicta est. Pasithea, Pithea, Pitheus. Critheis mater Homeri. Pantheon, idest templum omnium deorum. Pentheus, Pytheas nomen Rhetoris, habet υ', Entheus, Enthea, Entheum, idest diuinus, & furore afflatus. quo uerbo frequenter usum inuenies Statium in libris syluarum. Ethea Cibele à monte Etheo, unde Martialis.

Quem sectas matris hululat Etheæ gallus.

Anthedon oppidum Bœotiæ. Cercopithecus animal. Cathedra, Lethecus Cretæ fluuius apud quem harmonia Veneris filia Cadmum dicitur fuisse oblita. Apothegma, Anathema, Anathematizo, idest deuoueo. Chrysothemis Agamemnonis filia. Anthemus urbs. Ethemon uiri proprium. Athenæ, Athenæus, Atheniensis, Panathenaica siue panathenæa, ludi qui Athenis celebrabantur in honorem palladis Atheniense. Athenagoras, Parthenius Archadiæ mons, & Paphlagoniæ fluuius. Parthenias, Parthenopæus, Parthenope, Prothenor, Althænos nomen, fluuius habet ae' diphthongum. Timosthenes. Plisthenes, fuit autem hic uerus Agamemnonis & Menelai pater, quo mortuo cum paruuli infantes ab Atreo qui illius frater erat summo cum studio educati essent, ætas posterior arbitrata est, non Plisthenis, sed atrei filios eos fuisse. Ouidius hoc sentiens inquit.

Illam Plisthenio gaudia ferre uiro.

Fuit & Plistenes ut impudicus à poëtis infamatus, quemadmodum Nereus ut imbellis. Eratosthenes, Borysthenes flumen à quo Boristhenidæ gens Scythiæ, Sunt qui uelint aspirationem non habere. Barabosthenes mons Peloponnesi. Cythera Veneris insula, & urbs Cypri. Cythera, & Cytheriacus, Citheron mons Bœotiæ. Pantherus nomen proprium. Panthera animal. Statera à nonnullis græca esse dictio creditur & aspirationem exigere. Eleutherius, Mathesis, unde mathematicis Epenthesis. Synthesis, Hypothesis, Parenthesis, Metathesis, Antithesis, & quæ cum eo quod est Thesis compositionem ineunt. Demosthenes, Alasthenes, Antisthenes, Calisthenes. Clisthenes, Epitheon, Athesis Galliæ Cisalpinæ fluuius qui hodie quoque nomen seruat, Græci huic nomini aspirant, Vetustissimos latinos puto non aspirasse, quippe qui solis uocalibus aspirabant. Penthesilea Regina Amazonum. Antitheton, Scyntheton, Logotheta magistratus Regni Neapolitani, & Imperatorum Byzantinorum. Prometheus, Menetheus, hoc nomen cum habet oe diphthongon in penultima caret aspiratione, & est græce quatuor syllabarum. Eurysteus, Mnesteus Pe-

tei filius, & Menestheus Pelei nepos ex Polydora filia, quam Sperchion fluuium amasse, & compressisse ferunt. Gytheus uiri propriũ. Matthæus, & Orthæus habent post O' diphthongum ae. Antitheus. Pytheus habet υ' & Pythermus. Epimetheus Iapeti filius, Epitherses, Aether, Alethes, Scythes, Cacoëthes uitiũ. Polyãthes, Euanthes, Cleanthes, Ariapithes nomina propria. Lethe fluuius infernus. Vnde Lethæus, Ante Alcyonis gigantis filia. Lapithæ populi, unde Lapithcius. Seuthes Thraciæ Rex, et Ianthe nympha T' aspiratum exigunt.

Th' ante I'.

QVAE AVTEM exigunt T' aspiratum ante I' sunt Aethiopa, Aethiops, Aethiopicus, Anthia nomen urbis, in argolide. Ethica Ethicorum plurari numero, Alethia, Parthia, unde Parthicus. Scythia, unde Scythicus. Pythia, unde Pythicus, et Pythius, Pythia quæ dabat responsa. Aemathia, Aemathius, Aemathion, Melanthia Deucalionis filia. Matthias, Salathiel Iudæum nomen, Cynthius, Cynthia, Tirynthius, Hercules. Tirynthia urbs. Zacynthius à Zacyntho insula. Corinthius. Melanthius. Struthion auis. Mythicus, Mythica, Mythicum, idest fabulosum. Est enim græce μῦθος fabula. Anthylla habet y' urbs Aegypti, quæ peculiaris dabatur in calciamenta uxori eius, qui in Aegypto regnabat. Erythinos mons paphlagoniæ. Tethippobatæ populi Africæ. Damasythinus propriũ hominis. Xanthippus. & Xanthippa. Anthissa quæ ex insula continens facta dicitur. Amethystus lapis pretiosus dictus quod ebrietatẽ prohibeat. Patigites nomen Persicum aspiratione caret. Crathis flumen aureos reddens capillos à quo flumine ut arbitror Scylla Cratheis dicta est. Psithium genus passi. Ariathis proprium uiri. Absinthium herba. Eustathius uiri proprium. Parnes nomen cuiusdam montis græciæ, emittit genitiuum Parnethis cum O'.

Th' ante y'.

ANTE Y' habent etiã T' aspiratum Ilithya Lucina. Orithya. Talthybius qui fuit præco Agamẽnonis. Bathycleus, qui fuit Chalconis filius. Catabathynos Aegypti latitudo deserta, ac decliuis. Euthymedon uiri propriũ, et Euthymedes. Euthymedus, Euthyedes, Bathyllus, Ichthyophagus, Methymna, Methymnæus. Enthymema Syllogismus Rhetoricus. Dithyrambus quẽ græci ferunt Arionem primum & fecisse, & docuisse. Ithyreus unde Ithyreos arcus dixit

Virgilius. Acanthys auicula quae latine est carduelis. Bethys Hispaniae fluuius, unde regio Bethyca. Athyr proprium hominis. Agathyrsi gens Scythiae, de quibus Virgilius.
" Dryopesq; fremunt pictiq; Agathyrsi.
" Pomponij melae de Agathyrsis uerba sunt haec. Ora artusq; pingunt, ut quisque maioribus praestat, ita magis uel minus. Caeterum hisdem omnes notis, & sic ut ablui nequeant. Quo magis admiror Virgilij interpretem Sergium dixisse intellegendum esse picti, non stigmata habentes, sed pulchri hoc est coma placentes. Tethys Tethyos Oceani coniux. Nam Thetis mater Achillis habet aspirationem in priori T' neq; scribitur per υ'. Vxor uero Oceani in priori T' non recipit aspirationem, sed in posteriori tantum & habet υ'.

Th' ante O'.

HIS SVBIVNGAM uoces illas, in quibus ante O' aspiramus T'. Sunt autem Leucothoë, Alcathoë, Cymothoë, Amphithoë, Acathous Thraciae oppidum, Alcathous Esij filius, cui ob uirtutem Anchises Hippodamiam filiã, quae inter alias forma praestabat uxorem dedisse dicitur. Prothous, Prothoon. Arethous, Phaëthon, unde Phaëthontius. Hippothous, Panthous, unde Pãthoides, Pirithous, Methodus doctrina uia, & ratio. Bartholomaeus hebraicum nomen. Catorthoma rectum officium, & facinus, Ithome oppidum. Catholicus uniuersalis. Tithonus, unde Tithonius. Orthographia. Orthoepia sine diphthongo recta, & suauis uocum expressio, Orthogonius angulus rectus. Arganthonius. Lithotomiae lapicidinae ab eo, quod est λίθος idest lapis. Lithostraton. Methone oppidum. Citorus paphlagoniae mons buxo abundans, de quo apud Catullum, caret aspiratione. Diphthongus. Python oppidum. Phocidis. Bethorium proprium loca. Anthores uiri, python serpens. Aethon unus equorum Hectoris, Crethon Orsilochi frater, eodem partu editus. Amthon philoctetae patria, habet penultimam productam. Sithonia pars macedoniae ad Athon montem. Athochari Scythiae populi. Orithos urbs macedoniae, Marathon & mons, & portus, & locus Atticae, unde marathonius. Pathos qui latine affectus dicitur, à recentioribus etiam passio. Phlegethon, unde phlegethontaeus. Mythos fabula. Athos mons. Clothoparca, significat graece clotho uerbum id, quod neo, torqueo, & circunuoluo. Otho, Othonis, Sethon nomen proprium Rex idem, & Vulcani sacerdos. Melantho nomen proprium. Carithos una ex Cycladibus insulis, Agathocles & alia quae fiunt ab Agathos. Co-

thon proprium, unde patronymicum cothonides, est & Cothon poculi genus, græci arbores quasdam uocant Cothonisteria. Menestho, & Pitho nomina puellarum, & item filiarum Oceani, Antho filia Amulij Regis Albanorum. Gnatho nomen parasiti. Sed ut sæpe dictum est, uetus consuetudo multis è uocibus aspirationem detraxit.

Th' ante V'.

VLTIMVS Locus est illarum dictionum quæ habent T' aspiratum ante V' hæ sunt. Arethusa fons. Phaetusa solis filia ex Neæra suscepta. Cothurnus, Cothurnatus. Nothus qui alio nomine dicitur Spurius. Nam pro uento caret aspiratione. Chrysolithus. Corinthus, unde corinthius. Olynthus oppidum, unde Olynthius. Marathus. Hyacinthus. unde Hyacinthinus. Erymanthus mons, unde Erimanthius, & Erimantheus. Carpatus insula, unde Carpathius, Melanthus, Vithus. Zetus Amphionis frater. Nã pro filio Boreæ caret aspiratione. Cynthus unde cynthius. Tirynthus. Berecinthus, unde Berecinthus, Sunt tamen qui uelint habere aspirationem pro monte deli pro monte uero Phrygæ minime. Cyathus parthus, Xanthus equus Hectoris. Xanthus Lyciæ fluuius de cuius nomine, & urbs quondam dicta Panthus. Aegisthus. Xuthus propria nomina, & Cloanthus. Labyrinthus à quo labyrinthæus. Fuisse ante dicitur Labyrinthus cõmune opus duodecim Aegypti Regum, quẽ Dædalus postea imitatus est. In hoc nomine sequitur v' post B' non O'. Amathus urbs Cypri, unde Venus Amathusia. græce hoc nomẽ Amathus habet diphthõgum ou, unde Virgilius longam protulit ultimam syllabam.

» Est Amathus, est celsa mihi paphos, atq; cithera.

Nam si græce fuisset Amathos, in us' correptum uteretur. Ratio igitur diphthongi producit eam syllabam. Qui aspirant Cetegus secuntur abusum Ciceroniani temporis. Calathus à quo, & Calathiscus, ut apud Catullum.

» Vellera uirgati custodibant Calathisci.

Rhadamanthus. Calamenthus herba, quam latine Nepetam dici puto. Tementhus genus stirpis. Terebinthus arbor. Cerinthus nomen proprium hominis, & oppidi. Nycithus proprium hominis. Bumasthus genus uuæ. Lapathum herba, & Anethum. Acanthus oppidum Thraciæ, & nomen spinæ, atque herbæ, de qua apud Virgilium.

» Et molli circummest ansas amplexus acantho.

Atq; ut aliquantulum uager repetam historiam nõ iniucundã, Tradunt uirginem quandam Corinthi decessisse, nutricem uero eius po-

cula quibus illa delectata admodum fuerat, collegisse in calatho de lataq; ad tumulum illic collocasse, & ut diutius sub dio permanerēt tegula etiam texisse. Eum calathum forte super acanthi radicem fuisse collocatum, radicem uero pressam calathi pondere folia cauliculosq; profudisse, eosq; secundum calathi latera crescentes, ab angulis tegulæ pressos circunflexisse sese, ac delectabilem speciem uisentibus præbuisse. Tum Callimachum architectum nobilissimum delectatū genere, & formæ nouitate ad id exemplar columnas fecisse, quas posteriores Corinthias appellarint. Quamobrem arbitror Virgilium huius historiæ memorem dixisse Alcimedontem illum suum ansas poculorum flexibili acantho fuisse complexum, græce acanthias est cicadæ epitheton, unde propertius. Lænam illam acanthidem nominauit, a` sermonis tedio, & loquacitate, & aurium offensione. Sed ad nostra redeamus. Tus ut multi uolunt latina uox est a` tundendo dicta, quod si est, aspiratione carebit, maior tamen & probabilior est illorum opinio, qui a` græco dici uolunt, quod est θύω idest sacrifico, unde thysia sacrificium, eius arbor est libanotus sine aspiratione. In his uocibus Tuscia & tuscus quidam nunc aspirant primæ literæ, quod a` thure, idest sacrificio, ritu tuscia dicta sit, non aspirasse autem ueteres, & codices uetusti & monumentorum inscriptiones indicant, quod ego sequendum arbitror, Cum tusciam non a` ture, licet ea gens dedita religioni fuerit, sed a` Tusco Rege dictam magis censeam, quod & ueteres probant grammatici. Similiter etiam Tusculū nomen oppidi, & Tusculanus aspirationem non exigunt apud nos secundum ueterem consuetudinem, et regulam, q̄q̄ sunt qui nunc aspirent quos sequendos esse non censeo. Luthum, unde lutheus est color purpureus, secundū græcam deductionem aspirationem exigit, quod si latinum putaueris ea carebit. scias tamen a` priscis illis etiam e` græcis dictionibus fuisse aspirationem eiectam, ut sæpius dixi.

Th' ante L' uel M' uel N' uel R' uel S'.

QVID Quod Θ' in multis dictionibus inuenitur positum ante l' ut in his Athleta. Athleticus. Mesthles nomen proprium. Pentathlum genus exercitationis, quod alij quinquertium, alij quinquatrium dixere. Trulla ferramentum Cementariū, quo utuntur ad parietes calce illiniendos, qđ thrullisare appellat Vitruuius. est autem græcum uerbum θρυλλίζω cui tamen non omnes græci aspirant. Trulla uas aspiratione caret, fitq; a` trua per diminutionē. ANTE M' in his. Isthmos mons inter duo positus maria. Isthmincus. Istmoneus. Isthmica ludi a` Theseo in honorem Neptuni instituti. Rhythmus Rhyth-

micus. Arithmetica, Arithmeticus. Tmolus Lydiæ mons aspiratione caret, cui ad primam syllabam poëtæ aliquando adijciunt literam I' ut Ouidius.

» Deseruere sui nymphæ uineta Timoli,

Habet etiam T' aspiratum ante M' Eurythmia, qui est motus corporis aptus, et decens. Itemq; porthmeus in qua uoce semiuocalis R' præcedit Θ', quam semiuocalem multi abijciunt leniendæ uocis gratia. Est autem porthmeus qui aliquem mercede ad alterum litus nauicula trāsuehit. Nam porthmos est mare angustius, idest fretum quod inter duas terras immissum illas dirimit, ut hellespontus, unde Iuuenalis eum quem Maro latine portitorem uocauit, ut

» Potitor ille Charon. Ipse porthmea græce appellauit.

» Tetrumq; nouitius horret porthmea,

Est etiam πορθμεύω traijcio, ANTE N' Ethnicus, Sunt autem Ethnici gentiles quos Paulus insectatur dicti, ab Ethnos idest gens. ANTE R' thryos nomen oppidi habet υ', est item fluuius Elidis. Thriœssa habet oe diphthōgū. Erythreæ Bœotiæ locus. Erithrea urbs, Erythræus. Erythrabolus urbs in quam omnes mulieres coniectas concremauit pheron Rex, qui accepto oraculo lauandi oculos urina mulieris uirum suum tantum expertæ, cum uxorem plurimasq; fuisset expertus nihilo magis cernebat, quibus ob hanc causam concrematis unius de inceps expertus urinam cernendi sibi uim restitutam sensit, eamq; in uxorem duxit. Theuthramdes proprium uiri. Aethra mater Thesei & Helenæ ministra, uxor Atlantis, & pro eo quod ait uirgilius.

» Nec lucidus æthra siderea polus.

Atreus, et Atrides aspiratione carent, q̄ habet Mithridates Othryoneus qui Cassandram cum sibi etiam indotatam peteret, eaq; spe egregiam in bello operam nauaret, ab Idomeneo occisus dicitur. Et anthropophagi inde dicti, quod humanis carnibus uescerentur, Erythron mare rubrum, et Othryades hic cum inter Spartiatas, et Arguos conuenisset, ut triceni utrinq; delecti de agro quodam inter se decernerent, et utri superiores exstitissent eorum regio foret, unus hic è Spartiatis superfuit, spoliatisq; arguorum cadaueribus, eorum arma ad suorū castra contulit, seq; in suo ordine tenuit. Cum hi duo, qui ex arguis reliqui erant, agros abijssent, castris suorum relictis, aiunt tamen Othryadem cū puderet Spartā reuerti ob socios interfectos, illic apud Thyreas (id enim loco nomen erat) mortem sibi cōsciuisse, de quo Ouidius in libris fastorum.

» Nec foret Otryades coniectis mersus in armis.
» Heu quantum patriæ sanguinis ille dedit.

Thracia Thrax, Thracius. Triumphus quem græci θρίαμβον, & triumpho uerbum quamuis triumphus, & triumphator in antiquis epitaphijs sine aspiratione legantur. & Cicero affirmet maiores non aspirasse, quod prisci consonantibus non aspirarent. placet tamen Prisciano aspirationem fuisse detractam literæ T' & additam literæ P'. Nam qui græce est θρίαμβος latine factus est triumphus. Thraso, Thrasonicus, Thrasimenus lacus. Thrasyllus qui fuit astrologus suo tempore nobilis, huius à Iuuenale fit mentio. ait enim.

» Numeris reuocata Thrasilli,

Thraseas, Thrasybulus, Thrasymedes Nestoris filius. Multa etiam alia componuntur cum eo, quod est Thrasos. Exstat etiam monumentum in quo nomen Trasidius est sine aspiratione scriptum, D. M. TRASIDIO AMARANTHO VLPIA. M. FILIA FELICISS. CONIVGI SANCTISS. Trasia nomen oppidi caret etiam aspiratione. Trepius nomen proprium quod inueni in uetere sepulchro, & » da threpio, pone ad threpiũ, apud Iuuenalem. Thronus solium. Thranum nomen oppidi, Barathrũ, Antrax. Inueni tamen in ueteri epitaphio nomen proprium antrax quod fiat ab antro, aut quod sit detracta aspiratio priscorum more aspirationem non habere, sed prius nomen à medicis nostris receptum est, habetq; aspirationem, significat autem tuberculum, quod sæpe fit in locis corporis magis periculosis id nomen græce carbonem significat, unde & medici Anthraces carbunculos appellant, Anabathra, sunt autem Anabathra gradus ad sedendum dispositi, idest subsellia, è quibus spectatur in ludis. Quem nos articularem morbum, Græci uero ἀρθριτικὴν νόσον uocant, ἄρθρον enim articulũ dicunt. Teuthras nomen proprium. Ante S' ponitur Θ' in hoc nomine Bethsaida quod est Iudæum. In quibusdam Θ' habet ante se C' aspiratum ut in his Erichtho, Erychthonius, Erychtheus, Erychthides, damas Ichthone, Erisichthone. Ichthyocolla piscis. In quibusdã Θ' habet S' sibi præpositum ut in his Sthenelus, qui fuit Capanei filius. Stenelaidas. Stenobœa Proeti uxor. In quibusdam etiam habet P' aspiratum ut in his, Phthia pars Thessaliæ, Phthius. unde Horatius ait, » Phthius Achilles, Phthongus uox, & sonus, & ab eo diphthongus aspiratione de litera P' dempta, similiter phthiriasis morbus à pediculis dictus, et Pthisis quæ græce scribũtur per ει. Nã græ

ce φθεὶρ

ce φθεὶρ est pediculus, & φθείρω corrumpo, at Ptysis quando scribitur per ypsilon caret aspiratione, & fit à uerbo quod significat spuo, πτύω græce habent duo priora Ph' ante Th', uerum à nostris dempta est aspiratio literæ P' Similiter E' nomine Nepthalim, quod scribitur per T' aspiratum, est Iudæũ nomen. Desinunt Rhuth, & Seth in T' aspiratum.


DE R'.

EX LITERIS semiuocalibus sola R' apud græcos aspirationem recipit quæ propter rationes, quas dixi propriam apud illos figuram non habet, ut O' & X' sed dasea notatur. In dictione autem latina nunquam utimur R' aspirato, sed in græcis solum dictionibus, & in barbaris quibusdam ubi græcos imitari placuerit, ut in nomine Rhoboam quod hebræum est. Huic literæ græci familiarissime aspirant etiam, ubi geminatur, ut Tyrrhenus. Maiores tamen nostri, quoniã superuacua uisa esset eius literæ aspiratio (Quippe qui initio, ut Cicero tradit, ea solum in uocalibus uterentur,) illam de græcis dictionibus aut detraxerunt, aut retinuerunt in paucis. Roma enim græca uox est, & robur, ualentiamq; significat, cui licet græci aspirent, latini tamen in hoc eos imitati non sunt. Raphanus quoq; græca uox est, radiculamq; significat, habetq; R' aspiratum apud illos. Similiter Regium urbis nomen, unde Reginus. quis unquam e' nostris aspirauit his uocibus, hodie tamen in plerisq; græcis, ac barbaris græcum scribendi morẽ sequimur. Aspiramus quoq; R' ante uocales tam in primis quàm in medijs, & ultimis syllabis, ut Rhadamanthus iudex inferorum, Rhamnusius à loco, unde & Rhamnusia fortuna. rhea Saturni uxor. Rhenus fluuius qui Gallos à Germanis diuidit, siue græcum nomen id sit, siue barbarum. Et Rhæda, quæ habet diphthongum ae'. Rhemus frater Romuli, quanquam huic nomini pauci nunc aspirant. Et Rheminius proprium hominis, & Rhesus, & Rhetheius à loco. Fuit enim Rhetum oppidum agri Troiani. Rhetor, Rhetorica, Rhœtus proprium Centauri, et Rhœbus equi. de quo apud Virgilium. habent hæc duo nomina diphthongum oe. ῥέω græce significat id, quod apud nos fluo. ab hoc uerbo Reuma, idest capitis fluxus, ducitur. Cui uoci licet ea nuper recepta fuerit à medicis nostris, nemo tamen est qui aspiret. Rhinoceros animal ῥὶς græce nasus dicitur, unde id animal nomẽ duxit. Rhindacus proprium hominis. Rhythmus habet hæc uox υ'. Rhodus insula, Rhodius, Rhodope thraciæ mons, unde Rhodopeius. Rhodanus Galliæ fluuius. Rhombus piscis. Throsolani populi, Pyrrhus, Pyrrha Deuca

lionis uxor, a' quibus humanum genus post diluuionem illam iactu lapidum instauratum Poëtæ fingunt. Rhabbi, Rhaca, Rhama, Iudeæ dictiones habent apud græcos δασεῖαν Apud quos etiã sunt qui hoc seruent post geminum R' daseam habent, Dyrrhachium urbs, quæ prius dicta est Epidamnus, & Cherronesus. Ac de aspiratione aspirandisq; dictionibus satis dictum sit.

HABES Marine de aspiratione librum quem tibi cum compatre nostro communem esse cupio, at tametsi alio in tempore, tuæ libentius paruissem uoluntati, tibi tamen hæc multis etiam grammaticæ studiosis profutura petenti, negare qui nam aut potui, aut debui? Cũ & magni uiri in scriptitandis his studiosissime uersati fuerint, & grammatica ipsa non solum sit necessaria pueris, sed senes quoq; delectet, ac longe plura præstet, quàm primo fuerit aspectu pollicita. Admirari autem nemo debet si præcipiendis ijs, quæ ad hanc literaturæ partem pertinent, librum & eum quidem grandem impleuerim. Cum & Messala disertissimus orator de litera S' scribens, librum integrum occupauerit. Et tamen multa tradendis his omissa esse satis scio, nõ tam neglegentia, quàm rerum occupatione plurimarum. Quamobrem uosipsos cæterosq; omnes, qui hæc legerint iterũ, atq; iterum rogo, ea ut addere cura sit, etsi qua minus probabuntur, illa aut delere, aut mutare, In quo uterq; uestrum utetur iudicio, & amicorum, & suo, quo liber emendatior prodeat. Nam quanquam detractores ipse fugio, emendatores non fugio.

FINIS.



IOANNIS IOVIANI PONTANI CHARON DIALOGVS.

MINOS. AEACVS INTERLOCVTORES.

q VI MAGISTRATVM AEACE gerunt, ijs nunquam sine negotio otium esse debet. AEA. Prudenter, atq; è re dictum à te est Minos, Nam & in otio cogitare oportet de negotio, & ubi liberior aliquanto factus est curis animus, quia tum longe maxime, quid uerum sit cernit, exercendus hic est, à sene præsertim, cui non ut ineunti ætati pila, & trochulus, sed rerum optimarum cognitio, atq; scientia curæ esse debeat. MI. Scilicet non dies, noctesq; aut dormienti tibi, aut potanti optatum illud à Dijs obtigit, nati ut sint myrmidones, sed animum colenti, & prudenter, ac pari iure moderanti populos. AEA. Sunt hæc Minos, ut dicis, quæ Dijs immortalibus tribuere solebam, quorum erat muneris, ut boni prudentesq; haberemur, Eorum ergo beneuolentiam non ture, & extis magis, quàm recte agendo, prudenter consulendo, iuste imperando conciliare studebam mihi. MI. Deorum profectò, Deorum est, ut dicis, ista benignitas, quos non hedorum sanguis, aut frugum primitiæ placatos faciunt, Sed innocentia, ueritas, castitas, fides, continentia, quæ sunt illorum munera, quibus qui utantur, ijs consilia ipsi sua aperiunt, seq; inspiciendos præbent. Quin qđ Deorum est proprium, non abstinenteis modo, & moderatos quos nouerint, in cœlum ad se, ut scimus euocant, uerum incontinentius qui uixerunt dum peniteat, dum in uiam redeant, in eos quoq; clementes sunt, atq; benefici. Etenim Deus ille OPT. MAX. non tam peccata ulciscitur, quam miseratur, & parcit. Amat hominum genus, & dum aut pestem illis, aut tempestates immissurus est in iram eorum sceleribus prouocatus, nunc monstris præmonet, nunc per ostenta declarat, & cum maxime iratus est per crinitas stellas, ut procurationem adhibeant, qua placatus ipse sententiam mutet. Et certe maximas fore in teris discordias, et calamitates auguror. Meministi enĩ ut excussa est nuper tera, ut mouit ab imis usq; sedibus, et quàm sæpe. Pessima quædam uidentur portendi mortalibus, & animus scire auet. Quamobrem si uidetur (ferias enim agimus & collega Rhada

manthus hodierno satis est muneri) concedamus ad ripam & sub amœna cupressorum umbra consideamus tantisper, dum è teris aliquis ad nos eat, ad quod uel inuitare lenis aquarum decursus potest, uel quod nostra scire interest, quid agant homines, ut ad illorũ actiones iudicia comparemus. AEA. Recte Minos & commode, nam & mens ipsa præsagit triste nescio quid, ac periculosum imminere mortalibus, & ipse meministi, Nuper dum in sacerdotes illos sententiam diceres, queri eos & ægre ferre laborare Italiam seditionibus, magnosq; in ea legi exercitus. Quamobrẽ in pratum hoc descendamus si placet. MI. Descendamus, & si tibi uidetur Charontem ad nos uocemus. Nam & ipse otiosus est. AEA. Et otiũ agit, & oratio eius erudita, & grauis est.

CHARON. MINOS. AEACVS.

QVIDEM Vel ex hoc conditionem hominum infelicem iudico, quod sperato omnes uictitant, q̃d enim eorum est spe inanius? MI. Quænam sunt ista Charõ? CHA. Cuia ea est oratio? quos ego procul uideo? O' æquissimi animarum iudices saluete multum, & per stygem unde uobis tantum est otij à foro, ac iudicijs? MI. Eadem nostri huius otij causa est, quæ & tui. Scis enim quàm hoc triduum nihil ad nos animarum traieceris. CHA. Istud ipsum mecum admirabar, atq; adeo indignabar, ita spe deceptum me mea, ut in Plutonis ærarium, ne collybum quidem, triduo hoc toto contulerim. Itaq; quæ uita esse potest mortalibus, inter tot, ac tam uarias necessitudines? quos spes tã assidue frustretur, ac ludat, eorumq; uel maximum hunc errorẽ esse duco, quod inter deas spem numerant, quæ humanæ fortunæ ancilla est, uaria, inconstans, fallax, pellacissimaq;, & bonorum & malorũ omnium, quod modo tyrannus declarauit, qui dum regnum animo concipit, spe sua lusus, uix tandem ad ripam huc peruenit, nudus plorabundus, claudus, senili gressu, fallentibus uestigijs ex tot tantisq; male partis diuitijs uix annulum secum ferens. AEA. Doctiorem te factum portitor gaudemus, & per herebũ egregie philosopharis. CHA. Quid ni philosopher? qui tot annos doctissimos homines qui trans ripam inhumati erant, differentes audiam? eorum ego disputationibus mirifice delector, et ubi uacat etiam auditor fio, magnamq; ex eorum dictis uoluptatem, uberemq; fructum capio, quosdam tamen ut ridiculos ægræ fero, & stomachor, sunt enim par

tim nimis captiosi, & fallaces, partim inanes & lubrici, qualis Parisius sophistes, qui nuper congressus est mecum, et per Plutonem quàm audacissime, Morieris Charon uociferabatur. Ego me qui de mortaliũ non essem numero, moriturum negabam. at ille morieris inclamabat. Quinam hoc fiet in quam? Tum ille distortis supercilijs. Charo. inquit, es, Omnis autem Charo morti est obnoxia. morieris igitur. Et cum diutius uixeris, breui morieris. Tum ego, ut qui eius amentiam non ferrem uix continui quin eum in fluuium deturbarim. Quid alter, quàm penè risu me confecit? Remus, inquit, Romuli frater fuit, plureis istic Remos habes, plures ergo fratres tecũ sunt Romuli. Hoc audito Aeace ita sum risu commotus, ut dirumpi timuerim. Sed & tertius cum me soluentem uideret audi, inquit, Charon, & disce, Recte, inquam hospes admones, nunquam enim satis quisquam didicit. Disce, inquit, ille. Nouum est hoc. Palus inquam est quam nauigas, Palus autem lignum est, Lignũ ergo non aquã nauigas. Vix hic finierat, Cum quartus quoq; ægreferens priorem illum argumentatum, et me, inquit, audi. Tribus portitor manibus uteris. Etenim palma manus cum sit, & tribus ipse palmis remiges, tribus profectò manibus uteris. Atq; ferenda hæc fortasse uideantur in pueris, dum ingenium acuunt. Senes uero tam insigniter delirantes, & eos præsertim qui de natura, ac Deo disserunt, quis ferat? Nuper superstitiosulus quidam, cum ex eo quererem, nunquid è teris noui afferret, plures qui diem obierant reuixisse, quocirca scire è uobis uehementer cupio, qui animarum omnium tenetis numerum. an earum aliquæ aut ipsæ aufugerint, aut furto subreptæ uobis fuerint, ego certe scio neminem unam retro à me reuectam.

AEA. Et priora illa Charon omnino contemnenda non sunt, pertinent enim ad querendam ueritatem. Et posteriora hæc nequaquam improbanda, quippe cum religionem augeant. Quædam etiam suapte natura nobis sunt incognita. CHA. Sint ista, ut dicis, quando nihil ad nos attinent, quamobrem missa nũc faciamus. Sed quod nunc mihi in mentem uenit, & admirari nunquam ipse satis possum, si per leges uestras licet nosse, id ex te uelim, cur postq̃ de tyranni capite sententiam tulistis, non inter sontes eũ et scelerosos, uerũ trans ripã illam, ubi solus agit, relegastis? AEA. Honestum sanè est scire qđ postulas, æquius tamen erit id te ex Minoe quærere cuius illud fuit iudicium. CHA. Nimirũ, ut alia Minois omnia, sic et hoc est cognitu dignissimũ. Quãobrẽ optime Minos ut cuius iudiciũ admiramur, eius quoq; teneamus consilium, ne grauere palàm illud

nobis facere. MI. Et facile est docere, quod postulas, & ego libenter hoc fecero, pertinet enim ad sapientiam, cuius te studiosum esse factum magnopere lætor, ac laudo, Quamobrem ut consilium illud de relegando tyranno iuxta mecum teneas, sic habeto, præterquam quod uarius, perfidus, immanis, & supra quàm dici possit rapax fuerit, seditiosissimus omnium mortalium, & fuit, & ipse confessus est nullis adhibitis tormentis. Itaq; dies, noctesq; nihil unquã aut cogitauit aliud, aut egit, quàm quomodo lites serere, tumultus excitare, bella mouere, aut augere mota posset, pacis, ac quietis inimicus. Eum ego cui aliena documento essent pericula, ne inter manes seditionem aliquando faceret, è Republica esse duxi eiectum urbe nostra, omniq; quod lethe cingitur solo, trans ripam illam inter errantes umbras exterminare, Quin & legem statuere placuit, ne cui adire illum, ne'ue inspectare liceret à centesimo lapide.

CHA. Et iuste, & prudenter factum Minos. Sed quid quod septimo quoq; die in rubetam uersus, ubi diem totum concrepuit, uesperi ab hydro depastus interit, maneq; in umbram reuiuiscit? MI. Quod fecit patitur, uorare alios suetus, ipse nunc deuoratur. CHA. Quam iure, quam merito. Atque utinam mortalibus nota supplicia hæc essent, moderantiores illos sperarem fore, minusq; ambitiosos, nec tam alieni appetentes. MI. An obsecro Pythagoræ oblitus es? & meminisse certe debes, uenit enim ad nos torrida facie, ustilato capillo, adesis naribus. Nam dum inter mortales hæc prædicat, dum suppliciorum eos horum admonet, igne ab nefarijs adolescentibus ædibus iniecto occiditur CHA. O' bone Pluton, quænam hæc est tanta ingratitudo, atq; immanitas? hoccine docendi, atq; instituendi præmium? MI. Ingratissimum est genus hominum, atq; incontinentissimum. Omitto poëtas, qui primi de inferis uera prodiderunt, quàm nunc omnes contemnunt, Socratem ueneno perierunt, uirum sanè optimum, ac sapientissimum, & profecto quæ in Christum egerint, nosti, Nam & lateris, & pedum eius uulnera attrectauimus, uix credentes tantum homines facinus admittere ausos. CHA. Et quidem ille ueritatem docebat. MI. O' Charon. Charon, ignorare uideris ueritatem semper odio fuisse mortalibus. Eam ex hominum cœtu eiectam, atque in exsilio agentem, dum restituere Christus nititur, quæ passus est, nosti. CHA. Vnde hæc hominibus improbitas Minos? Nam & homo ipse fuisti, & diu Cretensibus imperasti, res eorum moderatus? MI. Quã mox istud. nunc illud inspice, & consydera, quod unum tibi cum primis



eorum declarare possit improbitatem. CHA. Exspecto quod nã hoc sit. MI. Audi & detestare. Nam et ipsis nunc mortalibus detestabilissimum uideri satis scio, quod Christus ab ijs hominibus, quos docuisset, quibus cum tot annos innocentissime conflictatus esset, crudelissime occisus sit, à nobis uero et turbis his, quibus esset incognitus, ubi primum uisus, statim cultusq;, & adoratus fuerit. CHA. Quod quidem facinus in primis abominor, et causam nunquam admirari satis possum. MI. Admirari desinas si mentem ad philophiam reuocaueris, etenim oportet memorem esse philosophantem, et profecto dies ille memorabilis apud manes fuit, quo uocatus est in iudiciũ Stagirites ille qui se Peripateticum agnominabat, qđ de præceptore suo partim perperam sensisset, partim ingratus in eũ fuisset. Hunc itaq; die dicta, cum rerum à se comentarũ rationem redderet, quasi ab initio dictionis disserere ita memini, Duplicem esse hominis naturam, alteram rationalem, Alteram carentem ratione. atq; hoc ipsum quod ratione careret, duplex esse dicebat. alterum prorsus semotum à ratione, alterum uero solere ad rationem sese adiungere, eiq; obtemperare. Cupiditates igitur appetitionesq; uehementeis, atq; incompositas nullis adhibitis frenis solere partem illã, quæ rationis esset audiens, ita deijcere de statu suo, ut nullum ea ad medium illud retinendum adiumentum afferre posset, hinc ortum ducere uitia, seditionesq; cieri, & bella, cæteraq; oriri mortalium mala. Hinc ueritatem molestam illis esse, ob eamq; causam nec audire, nec pati eos uelle, qui iusta honestaq; præcipiant. Hoc itaq; planè in ignem Pythagoram conieciт. hoc Socratem ueneno extinxit. hoc ipsum item Christum cruci affixit. Cæca igitur mortalitas suisq; uicta libidinibus, atque in furorem acta, quem occidit, nosse nec potuit, nec uoluit, nec si qui bene illum norant, tutari potuere, quippe qui admodum essent pauci, Rara est enim omnis bonitas. At manes quod corporibus non impedirentur, cognouerunt illum, & qui corporis contagione mundi atq; expurgati omnino erant, secuti etiam sunt. CHA. Et quãta cum frequentia, & plausu. à corpore igitur omnis illa malorum origo, & causa, quàm ab animo? MI. Origo quidem tota est à corpore, uerum & animus accusandus est, qui uinci se, cum imperare debeat, sinit. Felicem te igitur Charon q corporis uinculis solutus, ac liber semper fuisti, nec te aut titillantes illæ uoluptates corporum dominæ commouerunt unquam, aut cupiditates egerunt præcipitem, quæ in hominibus infinitæ quidem sunt, atq; insatiabiles. Sed nos fortasse longiores sumus, munerig; isti tuo quod uacationem uix ul-

lam patitur, impedimentum dicendo attulimus. CHA. An quod esse potest molestũ tempus, quod philosophiæ impẽditur? Atq; utinam successiua hæc tempora sæpius darentur. Sed tamen quantum munus hoc meum cui deesse ne minimum, ut scitis, possum patitur, id omne ad philosophiam confero, ea laborum meorum solatrix est, & comes, ea solum esse me non sinit, atq; à multitudine, quæ me assidue circunsistit, longius etiam segregat. AEA. Aciem intende Minos, nam cum Charonte sermonem istum dum habes, sub occidentem ipsum, quasi nubem quandam eamq; perquam tenuem uidere uisus sum, quæ ni me oculus fallit cogi paulatim incipit. CHA. Quanam è cœli regione? AEA. Ab occidente, paulum ab leua tamen. CHA. An tenuissimus quidam fulgor eam præcedit? AEA. præcedit. MI. bene habet. Mercurij agnosco talaria, quamobrem portitor, illud in ulteriorã Cymbã adige. Nos hic potius Mercuriũ maneamus.

MINOS. AEACVS.

e N AEACE Consyderas quanta sit uis institutionis? quem nunc philosophum uidemus, qui principio remex erat. quid otiosus ageret? quid si à primis annis audisset philosophos? AEA. Nec animo uolenti quicquam potest esse difficile, nec ætas ad discendum tarda est ulla. Nam quanquam adolescentiæ flores magnam præseferunt speciem, omnis tamen fructus est in grauescentis ætatis. MI. Verissimum hoc quidem. Sed tamen nescio quomodo, quod nobis pueris contingebat, uehementior quidam instinctus adolescentes impellit ad uirtutem, & laudem, In senibus tarda, ac remissa sunt omnia. AEA. Maior est in illis impetus, ratio imperfectior. In his autem quia ratio perfecta, uita etiã perfectior est. Adolescentulorum quoq; studiũ omne, cum sit propter laudem, Senum gratuita uirtus est. MI. Ita natura comparatum est, quæ ab initio curam hominis, ac rationem habens, uti è floribus fruges, sic ex adolescentulorum teneritate, atq; inscitia, senum uoluit prouenire sapientiam. Meministi quod pueris nobis studium esset, dum nisi inuiti in ludum, atque ad grammaticum non ibamus, animus omnis erat in nucibus. Delitiæ nostræ catellus, Coturnix, Monedula, Ex his tamen initijs uide quos uterq; progressus fecerimus. Nam & tunc ferocissimis gentibus bene uiuendi leges tulimus, & nunc Deũm uoluntate animis præsumus iudicandis. Itaq; cum ætate simul crescit sapiẽtia, cuius puer studiosus esse non potest,

in quo maturum nihil sit. Et cum ætas omnis ad sapientiam properet, lõgissime ab ea distat pueritia, quæ tenerrima cum sit, paulatim est assuefacienda. AEA. Prudentissima in hoc quoq; artifex natura fuit, & fabricam suam admirabili artificio composuit, nimis tamen arctos illi terminos statuisse uisa est, satisq; breuem uitam dedisse homini, quem ad tam multa, ac magna genuisset. Ipsi scimus quosdam, dum rerum nobis suarum rationem reddunt, quantopere admirati fuerimus, quibus ad perfectam sapientiam præter tempus nihil aliud uisum sit defuisse. MI. Vide quæ loquaris Aeace, & altius rem intuere. Quæcunq; natura fabricata est intra certos terminos compescuit. Haberent cupressus hæ quo cacumen extenderent, sed & his suus est crescendi modus. Habent teræ, habent maria fines suos, hominum quoq; uti corporibus, ita & cognitioni quidam fixus est limes, quin etiam naturæ ipsius finita uis est. Atq; ut octingentorum annorum hominis uita esset, nihilo tamen plus quàm nunc saperet, cum octogesimum agit annum. quod non dierum spatia, sed humani qualitas corporis efficit. Etenim octingenario illi in tanto longiore adolescentia, non maior contigisset rerum cognitio quàm octogenario huic in longe breuiore. Nam & stirpes & animalia quæ diutius uiuunt, tardius fructus ac fœtus proferunt, citius qbus breuior data est uiuendi meta, quodq; ipsi sæpe uidimus, qui pueri nimis cito sapiunt, aut non multo post diem obeunt, aut ubi uiri euasere multum de illo amittunt acumine, & studio. Sed cum sit genus hominum superbissimum, sua parum sorte contenti, uitæ breuitatem accusant, nec intellegunt qui plureis ætates uixisse memorantur, eos nec Solonem, nec Catonem superasse uirtute ac sapiẽtia, quos ipsi causas suas dicentes cum audissemus, ægre tulimus, tale illud collegarum par nobis à Plutone non dari. Quod autem defuisse illis tempus putes, cognoscendo uero, qui etiam cœlum dimensi sunt stadijs, quiq; parilis'ne, an impar esset stellarum numerus, scire tam laborarunt? His & otium, & uita superabundasse mihi uisa est. Nam quid de ijs dicendum ducas, qui fucis, rerumq; plurimarum temperamentis adhibitis, & in unum coaceruatis, multoq; igne conflatis, faciendo auro, dies, noctesq; ac uitam totam conterunt? quod quidẽ abuti est, et natura, et tempore. Quid qui commenti sunt Deos inter se bellum gerere, quorum cum uulnera, tum casus alios describunt? Non'ne qui nugis ijs occupati fuere, iure uidentur de leuitate sua, quàm de uitæ breuitate debuisse queri? AEA. Rerum si-

mul naturam & hominum expressisti uanitatem, ut uere, ut aperte. Et profecto ita res habet, ut qui nimio plus sapere studeant. Ii demum præter cæteros desipere inueniantur. Sed cohibenda est oratio, consyderandumq; quid est, quod Mercurius è tanta multitudine uix sese queat eximere. MI. Recte mones, & quidem ille frequenti circunseptus est turba. An quod ex omni sint hominum colluuione, secernere umbras nititur, & earum frontes inurere? quo & genus illarũ, et artes, et disciplinæ facilius cognosci à nobis ualeãt.

MERCVRIVS. PYRICHALCVS.

ECEDE Istinc tu cum uenali hac plebecula. Pyrichalce inure hos nota illa iudaica. PY. Genus agnosco, artem scire cupio. MER Fœneratores hi omnes. At uos sinistram in ripam concedite. Sequimini hunc. Lænones properate, nosti q̃ sint, & notis q̃bus inurendi. PYR. Artem noui, sed ut uideo, gens non una est. Flandrius hic est, germanus ille, manus ista partim illyrica est, partim italica. Hui quãtus Hispanorũ numerus, quãtus Græcorũ, et profecto è cuiusq; nationis populis plurimos cum hic lænones uideam, rarissimas necesse est in teris pudicas inueniri mulieres. Heus ministri candentem illam laminam deproperate. MER. Et hos statim ustilato. Pyratæ sunt Sardi, Siculi, celtiberi. PY. Videlicet his omnibus urendæ frontes, naresq; mutilandæ? MER. Ferrum expedi. dextrorsum huc uos. Hi Galli sunt, fartores, caupones, coci, tibicines, aleones, ebriosi omnes, ac stolidi. PY. Si recte memini guttur his compungendum. clauus cerebro figendus est. MER. Atqui nullum est Gallis cerebrum, quo circa uentres potius figito. Cæteram illam multitudinem è cuiusq; modi hominum genere secerni iubeto Faber, dum ego insignioris notæ quosdam tanto in populo seligo. Ecquis hic est audacia tam perdita? Vultum agnosco. Et quidem scœleratissimus hic fuit Petrus Bisuldunius celtiber. At duo illi post hunc, q̃ latitant uelati puniceo galericulo, & hi perditissimi fuere sacerdotum omniũ. Alter Ludouicus Aquileiensis Patriarcha, Samorẽsis Cardinalis alter. Pyrichalce, æreum his galerum capiti imprimito, Idq; in primis uideto ut sit candens. Bisuldunio illi auriculas detondeto. Hæc agito. Charon enim ut uideo, hic me in portu manet manibusq; et ca

pite iam pridem innuit. Accedam ad eum ut cur accessar ex eo co-
gnitum habeam.

CHARON. MERCVRIVS.

Luum te ac sospitem uenisse Mercuri gaudeo. MER.
a Vbi'nam est Charon philosophia, quam profiteris?
Deum sospitem uenisse gaudes, ac sincere quippiam
possit Deo. CHA. Et deus male habitus ab hominibus
fuit, dum inter eos ageret, & cœlum uereor ut securum sit, tot tam
inter se dissentientibus dijs, quorum alius sacrũ immittere ignẽ di
citur. promittere sanitatem alius. Hic bellis gaudet, pacem ille procu
rat, est qui cæcitatem inferat. Est qui lumen restituat. Multi feri-
unt, nonnulli medentur. Quid hoc diuersius? Iure igitur periculo=
sam mihi deorum uitam arbitror, in tanta uarietate, ac discrepan
tia, præsertim cum è supremis cœli regionibus deiectus, & quidem
non unus, sed magnus etiam deorum numerus aliquando fuisse di
catur. Quamobrem non est quare salutationem hanc meam accu-
ses, nam cum alia te pericula euasisse gaudeo, Tum, uel cum primis
magnam mihi uoluptatem affert, quod mulierum euaseris uenefi-
cia, quæ & manes assidue uexant. MER. Nihil horum timen-
dum nunc dijs est. postquam desierunt puellas rapere. CHA. Cô
senuerunt ne cœlestes, an spadones lex aliqua fieri eos iussit? MER.
Fuerunt illa prioribus seculis. dum Lacedæmonij nudas uirgines
luctari ad Eurotam unà cum adolescentulis uolebant, eorum ludo
rum cœlites & ipsi spectatores cum adessent, ac nonnunquam ad
cœnas uocati, merito exarsere in libidinem. Nunc uero mulieres,
quod aut clausæ tenentur, aut multis circunseptæ tunicis incedunt,
deos non commouent. Lex quoq; lata est, cui & Dij omnes subscri
psere, qua cautum est, ne quam mortalem, cuiquam liceat immortali
cognoscere. CHA. Quæ'nam causa ferendæ legis? MER. For
te Iupiter in Tarentinam uirginem commotus cum esset, uersus ipse
in adolescentulum, dum illius os nimis efflictim suauiatur, quod e=
rat quam fucatissimum, labem inde contrahit, dentis'q; haud mul-
to post de contactu illo amisit. Tum dij ægreferentes Regem suum
esse edentulum promulgandæ legis authores fuere. CHA. An quæ-
so Iupiter nunc est sine dentibus? MER. Minime. Nam cum re-
nasci negrent Deo tam annoso, elephantinos sibi faciũdos curauit.
Multa uero hæc statuta est mulieribus, ut uenire amplius in Deo-

rum complexus non liceat, permissum tamen est sacerdotibus quod eorum sint ministri, ut in eum succedant locum. CHA. Hoc est credo quare delectat diu uiuere. quod noua quotidie discantur. Verum ne congressus hi nostri utriusq; simul munus impediant, Etenim inter nauigandum multa satis commode transigemus, Scias & quid est, quod ego te uelim, & quid tibi facto sit opus. Ambo te iudices, Minos dico, et Aeacus, illic in ripa exspectant, mirifice cupientes tecum colloqui, quando triduum iam è teris aduenit nemo, multa enim uerentur. Itaq; æquum censeo ut illorum præuertens imperijs quamprimum nauiculam ascendas. Quod faciens rem tum illis gratissimam, tum te ipso dignam feceris, & compungendis his tempus Pyrichalco dederis, qđ te primum curare oportet. quis enim tantos greges nouerit, ni notis quisq; suis signati uenerint? MER. Recte suades. mos eis gerendus est. Tu si tibi uidetur uelum explica, nam à tergo lenis exortus est flatus. CHA. Perquam libenter. Hac enim ratione citius prouehemur in portum, & remigandi mihi diminuetur labor. MER. Quam pleno uelo ferimur? CHA. Auras sol citauit, æstiuis diebus suscitari hac eadē hora quæ solent. MER. Qui'nam uenti diebus his uobis flauere? Nam in teris magnam uitibus, maiorem oleis, citrijsq; Boreas uastitatem intulit. CHA. Nobis Acherontius, ac solito clementior. MER. Charon. Charon. quid, quod uideo crudo pisce hominem uesci? CHA. Ne mirare. Cynicus hic Diogenes est. MER. Quid quæso. Viuit ne in flumine? CHA. Viuit. Nam ripæ ut uides altissimæ cum sint, nec ipse quicquam omnino habeat, quo haurire aquam possit, maluit hic ubi et pisces habeat, & aquam paratissimam quàm in alijs herebi locis uitam agere. MER. Valentissimo utitur stomacho. Quis, quæso fluuidus ille quē subinde uidemus, perinde, ac si mergus esset, nunc mergere, nūc emergere, quod alias uidi nunquam? CHA. Nihil minus ignoras. Thebanus Crates est. Aurū quæritat, quod olim proiecerat. MER. Recte teneo, Equidem memini cum Athenis aliquando Panathenæorū die essem, irrisum eum uehementer à Peripateticis, primum quod is rerum fines ignoraret, nec quarū rerum usus esset bonus, easdē quoq; posse fieri bonas intellegeret. Etenim pecunias usus comparari gratia, quæ ut nec bonæ per se sint, nec malæ, prudentem tamen, atq; honestum possessorem usu ipso bonas efficere. Deinde quod male sensisset de philosophia. Quem enim melius, honestius, sanctius, quàm philosophum pecunia uti posse? Deniq; si honeri haberet diuitias, cur non alijs potius ferendas, atq; utendas dedisset, quas ipse impruden

tissime in mare abiecisset, ubi nec hominibus, nec piscibus usui esse pos sent. CHA. Et quidem iure irrisus. Sed quæso Mercuri, quando in Athenarum mentionem incidimus, dicas cur non Atheniensis popu lus, quas Plato tulisset leges, acceperit? cuius & eloquentiam & do ctrinam (pluresq enim diem mecum habui differentem) magnopere sum admiratus. MER. Magna illos mouit ratio. Nam cum de illius legibus Cal. græcis cũ populo esset actum, ita plebs sciuit. Quando Respublica, quã Plato instituerit apud germanos esset, accederet Pla to ad barbaros, esse apud illos Vbiorũ ciuitatem, quæ leges eas serua ret, populum Atheniensem sineret his legibus uiuere, quas à maio- ribus sapientissimis uiris latas accepisset. Senatus quoq; consultum in

» hæc scriptum est uerba. Quando græci pro recipienda Helena ui-
» roq; restituenda uniuersi coniurassent, bellum Troianis intulissent,
» sumptus tantos fecissent, Græciã omni pene nobilitate exhausissent,
» tot clades passi essent, Non licere Platonis leges accipi quæ mulieres
» communes, uxorem nemini certam esse, pudicitiamq; quæ una aut
» certe maxima mulierum uirtus esset nullam in ciuitate esse uellet.

Hoc ego senatus consultum & Athenis & in plerisq; alijs græciæ conuentibus recitatum memini. Discipulus quoq; eius Aristoteles mul tum de illius authoritate detraxit. Fuit enim magistro argutior, nec tam recessit à ciuili consuetudine. CHA. Et magnæ & honestæ causæ fuerunt. Eius igitur libri à multis condemnantur, discipuli uero leguntur? MER. Quid ni, & magno in honore habentur, etiã apud barbaros. CHA. Eram ipse fortasse, ut quidem eram de la- bore fessus, & mens alijs occupata, Sed tamen uisus est Aristoteles ni mis obscurus & cautus, cum hac eadem in cymba quædam ex eo quærerem. Quinetiam licet mecum dum loqueretur corporis uincu lis solutus uiueret, nihil tamen certi adhuc de immortalitate animæ respondebat. Post tot igitur secula scriptor tam argutus & subtilis non usqueadeo est ut arbitror intellectu facilis. MER. Vix risum teneas Charon, si tibi ipse retulero, quam facete rhetor argutulum quendam philosophum nuper irriserit. Nam cum ille nimis intor- quere Aristotelis sensa uellet, Auditores rhetor inquit scitote, non cũ philosopho mihi, uerum cum sutore contentionem esse, quod enim su toris est propriũ, dentibus alutam producere, hoc noster hic in Aristo telis dilatandis dictis facit. Quo'circa uidendũ est tibi philosophe ne genuinos relinquas in corio. Hinc factum est Charon tritum illud iam, bene dentatum esse theologum oportere. CHA. Festiuissime rhetor is, Sed obscuritas utrũq; fortasse et philosophũ excusauerit, et

theologum. MER. Nequaquam in obscuritate omnia, uerum ut mihi uidetur duplex rei huius est causa. Altera quod qui nunc philosophantur ignorant bonas literas, quarum Aristoteles grauis etiam author fuit, Altera quod dialectica corrupta fuerit à Germanis primum & Gallis, deinde & à nostris, In eaq; maximam nunc quoq; ruinam faciunt. CHA. His nuper artibus me adortus est Sophistes. MER. Videlicet ex horum erat numero, & fortassis ex illorum ordine, qui fratres dicuntur. CHA. Recte, Nam praenomen ei frater erat. MER. Cautissimum itaq; oportet esse te, ac uersutissimum, quoties in eorum aliquem inaderis, Nihil est enim quod argumentando non consequantur, Immo quod non extorqueant. et Scin quomodo, ut uelis nolis assentiendum sit eorum dictis, facileq; hoc pacto efficiare è Charonte asinus. CHA. Nimis ridiculus es qui id arbitrere, in asinum me ne illos captiúculis suis uersuros quasi Appuleium amatorio poculo? quem ego uix agnoui cum hac iter faceret, Nam auriculas ac superalia adhuc retinebat asini. Egregie tamen philosophabatur, et iucundus in disserendo erat. Eum ego cum in alijs multis ridebam, tum in hoc quod ordeaceum panem siligneo praeferret, Etenim uestigia quaedam in eo reliqua erant asinini gustus, & penè subrudebat. Verum ut ad Sophistas redeam, non est cur illos magnopere timeam. Quippe qui cognitis recte principijs, dum bene partiar, dum uere definiam, capi ab illis nullo modo possim. Sed dic Mecurij obsecro, quod nunc genus hominum in terris laetius ac liberius uiuit? MER. Sacerdotes laetius, quos etiam in funeribus cantanteis audias, Liberius medici, ut quibus permissum sit hominem impune occidere. CHA. An non capitale apud illos est parricidium? MER. Etiam. medicos tamen lex non modo absoluit, uerum mercedem quoq; eis statuit. CHA. Quam inique comparatum. MER. Quinimmo iure eos lex absoluit, Siquidē medicus non occidit, uerum qui medici utitur consilio & opera, Quam quidem uel magno conducunt pretio. CHA. Igitur ciuiles hoc leges consyderant? MER. Consyderant. prudentissimi enim mortalium fuere, qui primi eas tulere, maximamq; habuere rationē ciuiliū actionū omnium et publicarū, & priuatarū, quippe qui nullam nec uitae, nec artis, nec facultatis cuiuspiā partem contēpsere, nulliusq; unquā patrisfamilias tam exacta fuit domesticae rei diligentia et cura, quā horum ipsorum humanae societatis. Verum qui eas nunc interpretantur, prudentiam in malitiam uertentes iura uenditant, leges contaminant, fas, nefasq; solo discernunt pretio, ut nulla homini in uita

maior sit

Maior ſit peſtis, quàm ubi eorum indiget patrocinio. Quo'circa fa=ctum prouerbium eſt, litis comitem miſeriam eſſe. CHA. Hoc illud eſt quod nuper præco dum eos ad prætores citaret, forenſeis Harpyias increpitabat. Sed iam Mercúri colligendorum rudentum tempus nos admonet. horáq; deſcenſionis appetit. Itaq; quanquam orationis nunquam me ſatietas capere poteſt tuæ, quippe cum idem ipſe ſis & eloquentiſſimus, et humanarum diuinarumq; rerum prudentiſſimus, Videndum tamen eſt ne noſtrum hoc quærendi ſtudiũ, ab agendis nos rebus auocet, ne'ue ſummum magiſtratum qui de ad=uentu tam ſolicitus eſt tuo, ſpe ducamus longiore. MER. Hoc eſt qđ mecum adeo ipſe lætor, tam ſecundo flatu curſum nos hunc confeciſſe. Et uero meipſum expedio, ac ſi tibi uidetur, illic ubi minime cœnoſum eſt uadum deſcendamus. Inde pedibus ad prætores iter faciemus per amœniſſima illa prata, & ſecundum riuulum illum qui tã leniter immurmurat, atq; hoc non tam mea cauſa (ipſe enim talaribus ubi opus eſt utor, & in quotidianis ferè ſum tum itineribus, tum deambulationibus) quam tua, Cui quando nam toto anno contingit cymbam ſemel egredi. & breui ſaltem deambulatiuncula uti?
CHA. Vt recte dicis, ut rem mihi gratam facis, illam ipſam igitur maxime uirentem ripam teneamus, & per Plutonem quàm fons ille limpidum ſcaturit. Ramum illum Mercuri quàm raptim comprehende. MER. Comprehendi. bene habet, continens iam noſtra eſt.
CHA. Licet igitur deſcendas, tantiſper me in herba manens, dũ paxillo illi nauiculam illigo.

CHARON. MERCVRIVS AMBVLANTES.

[E]T INTER graueis occupationes ceſſatio grata eſt omnis? Et ſiqua interim uoluptas offertur, ea quàm eſt ſuauis? Equidem ego ita ſemper duxi, uoluptatem raram eſſe debere, ac tum maxime delectare cum ſit quàm honeſtiſſima. Otium uero nunquam ipſe probaui, niſi quod cum reficiendis corporibus, tum leuandis animis concedatur. Ne biẽnio toto maiorem hac cœpi uoluptatem. ut blande riuus hic ſuſſilit? Vide quàm perſpicuus eſt, quàm etiam nitido fluit alueo? MER. Talis Clitunnus per Vmbros fertur, & quanquam multarum ille eſt aquarum diues, hic tamen quod gurgites nullos efficit, Sed continuo et leni currit tractu, ripas habet amœniores, & magis delectat. Sed

qualia tibi prata uidentur hæc Charon? CHA. Quam grata florum amœnitas? & quanta copia? ut halatiles Hæ sunt ferugineæ. MER. Violas eas mortales uocant, ex his sibi coronas faciunt, multoq; miscent ligustro. CHA. Quod est obsecro ligustrum? MER. Quod in margine illo tam candido, & frequenti flore nitet. CHA. Albicantium nostri uocant. Quam me limes ille delectat? MER. Et quanto in pretio flos is habetur apud superos. rosam uocant. CHA. Videlicet roratilem dicis. MER. Eam ipsam roratilem. Verū age, illuc respice, An quicquam totis his pratis illo tibi uideatur hiacyntho pulchrius? CHA. Atqui ut scias Mercuri, flos ille lacrimulas mane mittit. hinc mœrentiolum holitores nominant. MER. Et apud mortales quasdam habere notas doloris dicitur. CHA. Itineris laborem non sensimus in tanta hac florum uarietate, cuius quod paulum admodum nescio quod reliquum uidetur, eo magis properandum censeo. MER. Hoc ipsum considerantis est uiri, in ipsa quoq; uoluptate tempus non labi frustra sinere. CHA. Atqui labor in uoluptate non sentitur, & actio etiam omnis in ipso agendi cursu est periucunda. Sed pratis iam præteritis umbras subimus, ac, ni me oculus falli, t sub procera illa, et annosa cupresso iudices præsto lantur. Quo circa in nemore ne oberremus, defixa in cupressum acie ad eos contendamus.

MINOS. AEACVS.

QVAM IVVIT Vtrunq; nostrum facilis ista deambulatio? & sessio hæc quàm postea suauis fuit, procul à iudicijs, procul à forensi soliciatudine? ut dies hic (qui Cretensium, ac meus maxime mos fuit) albo sit lapillo numerandus, & tamen cessatio ipsa nec deses fuit, nec languida. AEA. In primis me silentium beauit, & concentus ille auium tam diuersarum, qui cæteris ab rebus omnibus sic auertit animum, ut nulla interim de re alia aut soliciti fuerimus, aut locuti. Quid umbræ amœnitas? quid arbuscularum tam ordinata dispositio? riuuliq; interlabentes tam læto, tam florido, ac frondenti margine? Accessit Mercurij aduentus qui omnem expectationis nostræ solicitudinem leuauit, ac nauigatio tam secunda, & ni me fallunt aures, utriusq; pedum Charontis, atq; Mercurij strepitum subaudire inter uirgulta uisus sum, & per Plutonem eccos. Humilior eos excepit Iuniper. Iam apparent. MI. Vt libenter eos uideo, ut Mercurij

aduentum gaudeo, atq; adeo nihil noſtræ huic uoluptati defuiſſe uidetur, quin omni è parte numeros impleuerit ſuos. Sed quid quod Mercurius ſolito incedit lentior. AEA. Ne uereare exſpectandi Charontis it tardior gratia, Is enim tardiuſculus eſt, quando qui exercentur in naui brachijs quàm pedibus magis ualent.

MINOS. AEACVS. MERCVRIVS. CHARON.

e XPECTATVS uenis, atq; adeo deſideratus, mihiq; et collegæ huic, Deus ſapientiſſimus, nuntius diligentiſſimus. CHA. Solidiſſimam nobis affers adueniens uoluptatem, facturus eam oratione tua longe ſolidiorem. MER. Quod aduentus uobis uoluptatem attulerit meus gaudeo, Id'q; eſt mihi quàm iucundiſſimum, & ſi quid eſt quod ego ipſe uel dicendo, uel reſpondendo delectare poſſim amplius, id in uoluntate ſitum eſt ueſtra. Dicam ubi iuſſeritis, aut ſi interrogare malueritis, reſpondebo, Imperia enim ueſtra utpote æquiſſimorum præſidũ fore quàm æquiſſima ſatis ſcio. Quid enim uterq; ueſtrum niſi honeſtiſſimum exigere, præſertim à Mercurio poteſt. Etenim Iudices quod dicere hic liceat nimis quàm male de me eſt meritum humanum genus. Furtis me præficiunt, ac præſtigijs, qui ſim uel acerrimus furũ ultor, præſtigias'q; uſq; adeo oderim, ut quotidie inſecter magis. Sed cum in pleriſq; alijs, tum in hoc maxime peccant homines, quod ſcelerum ſuorũ Deos tum authores faciunt, tũ magiſtros. Mihi & Dijs cæteris nulla moior eſt, quàm honeſti cura. Atq; adeo turpitudinem omnem deteſtatam habemus, ut precibus hominum quanquam honeſtis, tamen ſi turpem aliquem finem reſpectent, aures præbeamus occluſas. Quod autem Minos Deũ me appellas, ac ſapientiſſimum dicas, facis pro tua illa ueteri in me, dũ inter homines ageres, obſeruãtia, et cultu, tñ ſic habeto, Deũ eſſe me, et è cœleſtiũ numero, ubi in cœlis, aut teris uagor. Hic uero apud inferos tũ apparitoris, tum lictoris fungi nõ Dei officio. Sapientiſſimũ uero nec me, nec Deorũ quenquam dixeris, neq; enim tali Dij indigent nomine, quippe qui labi, errare, decipi, ignorare nequeant. At apud mortales qui tanta offuſi ſint caligine, & nube, nomen ipſum ſapientis inuentum eſt, ut ab ignorãte, et ſtulto is, qui ſaperet, diſcerneretur, quanquam uere ſapiens apud illos adhuc inuentus eſt nemo. Lictor igitur, atq; apparitor ad uos uenio, ueſtris imperijs pariturus. MI. Et Deum te Mercuri, ut par eſt

ueneramur, & sapientissimum apppellamus, quando quo te honestio ri exornemus nomine, non habemus, ac tametsi lictoris fungare muneribus, non'ne ipse scis etiam inter mortales maximorum Regum lictores in maximis quibus'q; magistratibus ius, dictionem'q; exercere? Quamobrem & nobis ut imperes ius'q;, fas'q; est. Nostra uero interest tibi ut obediamus, studeamus'q; doctiores à te fieri, quando & doctrinæ inuentor fuisti, et rerum occultissimarum interpres. AEA. Quod pace tua Minos dixerim, neq; cum Mercurio contendendum est tibi, qui primus & prudentiæ, & eloquentiæ præcepta tradiderit, Neq; exspectatio nostra longiorem fert cunctationem, æquius igitur magis'q; ex usu fuerit, quamprimum ei causas explicare, cur hic eum iam dudũ præstolemur. MER. Et Dei est, cui cogitationes quoq; hominum notæ sunt, id non exspectare, dum explicetis, et Charon certiorem me solicitudinis fecit uestræ. Principio Italia unde ipse nunc uenio, magnis quassata est terrarum motibus, permulta'q; oppida prostrata solo iacent. Fontes plurimi partim mutarunt iter, partim exaruere. Videas editissimos montes illic subsedisse, Hic iuga maiore quadam ui suis auulsa radicibus, longius perlata, magnos'q; hiatus factos, maiores paludes. MI. Patiare quæso Mercuri (auidiores enim sumus), inter explicandum sciscitari quædam nos, & causas ex te quærere. MER. Oppido quàm libenter. MI. Dicas igitur, Num quod saltem remedium, ne cunctæ domus corruant, inuentum, atq; adhibitum in tanta hac calamitate sit ab hominibus. MER. Non usq; quaq; firmum, sed tamen salubre pro tempore. Tignis procerioribus parietes uinciunt, eaq; concatenant, cum quibus quanto salubrius actum esset si affectus suos uincirent ratione, Nec cogitationes tam euagari sinerent. quod singulis uix seculis semel accidit, in eo auertendo mognopere occupati sunt omnes, quæ uero pericula, ac mala singulis penè momentis suæ ipsorum nefariæ cupiditates afferunt, ad ea uolentes, læti'q; feruntur. Nocte una post aliquot etiam secula, quod ad uiginti hominum millia sub tectis oppressa sunt, omnes hoc horrent, incusant'q;, ac damnant naturam, quæ uix scio quamobrem amplius illos ferat. At bella quæ unius horæ momento, & ferè quot annis, multa hominum millia exhauriunt. Interdum regna tota, populosissimas'q; extinguunt nationes, qua non arte quærunt? in his sese exercent. Hic illis ludus. hæ delitiæ sunt, Summum habetur decus, caput hostis affixum hastæ referre. AEA. Nihil profecto uideo eos mutasse in melius, Ex quo ipsi homines esse desiimus. MER. Vix unum. AEA. Quod nam illud? MER.

Imperitantibus uobis, uiri uxores adulteras repudiabant. At nũc ferro enecant. MI. Quid Mercurium ea quærendo fatigas, quæ tute probe noueris? An non compertum satis habemus deteriores illos quotidie, atq; indies fieri. MER. Exsequamur igitur alia. Exortus est cometes qui cum grauissima bella, tum Regnorum portendere euersiones soleat, omnium mentes, atq; animos concussit, etiam futurorum metu malorum, æquissimeq; cum illis agit Deorum omnium maximus, qui non præsentibus solum malis eos cruciat, sed futurorum metu solicitat, atq; hanc præcipue pœnam illis statuit, qui quæ futura sint, scire nimis quàm laborant. MI. Cur oro Mercuri, rerum euẽta nescire hominem Deus uoluit? quorũ cognoscendorum tam sunt studiosi omnes? MER. Quod inutilem sciret futurorum scientiã mortalium generi. MI. Quonam pacto inutile esse potest, quod euenturum sit nosse? Siquidem mala uel euitari penitus, uel ex parte saltem aliqua minui cognita possent, bona uero ante q̃ euenirent ipsa etiam spe, atq; exspectatione mirum immodum delectarent animum. MER. Omnis quæstio, quæ de consilijs habetur, ac decretis magni Dei, profana est, minimeq; nobis Dijs pmissum est, ea in uulgum depromere. Tamen sic habetote. Quæcunq; eueniunt ea aut fortuito contingere, aut fato euenire, idest diuino consilio, & ordine. Si fortuito, stultum est uelle homines id assequi ratione cuius ratio nulla sit. Sin fato, quanquam insita est homini scientiæ cupiditas, parum tamen capacem eum natura feci cognoscendi futuri, cuius cognitio captum hominis excedat. Etenim ut eius diuinus sit animus, moles tamen corporis, cuius quasi uinculis, & carcere tenetur compeditus, minus illum habilem, aq; idoneum reddit, cui ipsa sese diuinitas pandat. Cumq; euenta ipsa aut bona sint, aut mala, Mala prius intellecta miseram afferunt solicitudinem nonnunquam, & desperationem. Deus autem non eo consilio hominem genuit, ut miserabiliorem quàm suapte natura sit, efficere illum uelit futurorum cognitione malorum, quæ sciat euitare illum minime posse. Bona uero tametsi uitam iucundiorem exspectando facerent, tamen qui scierit ea sibi necessario euentura, is deses, ignauusq; efficietur, quippe cum certum habeat euentura etiam dormienti. At Deus hominem ad agendum comparandamq; agendo uirtutem creauit, ægre patiens illum quiescere, nisi tantum quantum animorum leuationi, aut reficiendis corporibus necessario detur, qui ne desidiosus efficeretur, atq; ignaus, egestatem illi rerum omnium, comitem

dedit laborareq; in incerto eum uoluit, dum semper eius certus labor esset. Sed his parum ipsi fortasse contenti, media quaedam esse dixeritis, quae suapte natura, ac simpliciter, nec bona sint, nec mala. Media quoq; haec siue ea casu ferantur, siue fati contineantur necessitate, quod dubia appareant, satis fuerit cum eueniunt prouidere homines, ut in suam quisq; utilitatem, quoad possit, uel conuertat ea, uel si minus id assequi ualet, saltem hoc assequatur, ne rebus damno sint familiaribus, & si ne hoc quidem, ut quàm fieri possit minimũ incõmodent. Igitur casus, atq; fortuna, ut dixi, cum ab omni procul ratione seiuncta incerta, inconstansq; feratur, quonam modo quod natura sua incertum sit, certum id efficere, et qđ inconstans firmũ reddere ratio poterit? & cuius certitudo nulla est, qua id ratione futurum mortalis quispiã possit assequi? Quae si nec sciri, nec comprehendi ratione ante quàm eueniunt possunt, euitari quonam pacto poterunt? ubi igitur ista utilitas futurorũ cognitionis erit hominũ generi? Fatum uero uitari multominus poterit, qppe cũ nõ secus necessariũ sit qđ fato euẽturum est ut eueniat, ac illud idem postq̃ euenit, necessariũ est euenisse. At liberae sunt hominum uoluntates. sint, dum uolendi libertas ista uel cum primis efficiat, nihil esse utile mortalibus futuras res nosse. Quarum cognitio quid habere potest utile, si ubi quid euenerit, uelint nec'ne id homines, aut praehendere, aut labi sinere, in sua ipsorum uoluntate sit positum? Et profectò quae tam certa futuris de rebus longe prius secernendi uoluntas esse potest homini? quem sat scimus in praesentibus haesitare adeo, ut momento eodem nũc hãc, nunc illam, & quidem contrariam itentidem probet, damnetq; sententiam? persaepeq; ante quàm quid constituat certum habeat, occasio ipsa praetereat. Verum de fato atq; fortuna Minos hactenus. Vtinam ne in scholas qui philosophi uocãtur haec ipsa introduxissent, magisq; sese institutos uellent, ad ea ubi euenissent ferenda, quàm quaerendo illa tempus frustra terere, supraq; uires intendere. Quid enim aut stultius, quàm hominem officium hominis nolle curare, aut magis temerarium quàm hunc eundem hominem suis neglectis muneribus uelle futurorum scientiam (quae unius est Dei possessio) inuadere? Quamobrem redeamus ac crinitam. Hanc opstupefacti mortales, utinam tam noscerent, quàm admirãtur, quàm cum omnes me tuant, omnes tamen male ominantur regibus, quasi non priuata quoq; regum mala in publicam cedant pernitiem. Equidem olim ludis megalensibus Romae cum essem, recitarenturq; in theatro Graecorum ac

Troianorum res, exclamare inter recitandum è doctioribus quendam memini, nobileq; hoc fudisse exametrum.

Quicquid delirant reges, plectuntur achiui.

Et uero ita comparatum est, ut regũ peccata, populi plerunq; luant. AEA. Ipsi hæc olim magis experti sumus, quàm nunc audita referimus, Et causam requirentes inueniebamus, Reges idem in populis ius habere, quod in corpore animus. Atq; ut animorum perturbationes corpus inficerent, ita & regum uitia subiectos populos. Quoniam autem in regum mentionem incidimus dicas uelim prudentissime Mercúri, quæ nunc eorum qui ciuitates moderantur uita est, qui mores, quæ studia, quale imperium, quàm quietus eorum status? Nam quos paucis ante diebus pro tribunali causam dicenteis audiuimus, non satis dignam nobis spem dedere successorum suorum. MER. Prætereunda nunc hæc arbitror, nam & illic apud mortales de iis loqui satis tutum non est, Et hic apud uos parum nunc quidem necessarium esse duco. Satq; hoc sit nosse, quod eorum alij partim male habent populos suos, partim ipsi male habentur à populis. Tertium quoq; portentum nimis grauiter eos uexat. Complures enim dies Sol radios nullos misit, aerq; omnis cœruleus uisus est, quæ res omnium animos ad superstitionem uertit. CHA. Obsecro æquissimi iudices, æquis animis patiamini quædam & me è Mercurio quærere. MI. Iusq;, fasq; est. atq; (ut pro collega etiam pol liceat) operæpretium fuerit te tantum philosophum audire quærentem. CHA. Et habetur nunc à me uobis, & referetur olim gratia. Quamobrem Mercuri si placet, quando & his gratissimum fore iam ipse nosti, explices oro quàm uobis dijs grata sit ista superstitio. MER. Nihil ea molestius. CHA. Qui quæso? MER. Quia ridicula cum sit superstitio, qui ea in Deos utitur illos quoq; ridiculos facit. CHA. Mirum quod superstitionem ridiculam dicas? MER. Atqui ne dum ridicula, infelix etiam est, quæ cuius animum occupauit, nihil est eo homine miserius, cuius quæ nam uita esse potest dum omnia pauet, cuncta formidat, quodq; infelicissimum est dies, ac noctes terit, Deos obtundendo, quos non multus sermo, trepidæq; mussitationes, aut excitæ frigidissimis persæpe causis lacrimæ, Sed honestæ grauesq; actiones, ac rectæ uoluntates moueant. An Charon eos esse Deos iudicas, qui hominum gaudeant lacrimis? & bonos, & iustos, & continentes non lacrimosos Deus diligit. Etenim quid inde aut utilitatis Deo, aut honoris ubi nudis quis pedibus templa adit? Medicis utile fortasse. At Deus cur gaudeat hominum mor-

bis, qui tot herbarũ genera quæ salubres illis essent genuerit? Atq; ut
uerum noscatis, nullum grauius malum homines inuasit superstitio
ne, & studio, ac metu isto in Deos tam inani, & frigido, nec tam ue
ra religio Dijs est grata q̃ molesta superstitio, quæ q̃ sit detestabilis,
hinc tute iudicato, quod tanquã cæde saginemur, ac sanguine homi-
nem homo nobis mactat, Quin et propriũ fundit sanguinẽ. CHA.
Facinus quàm nefandissimum. An obsecro sceleribus his sacerdotes,
ac Pontifices non eunt ipsi obuiam? quanquam ex omni hominum nu
mero, atq; ordine, quos ipse quotidie transueho, fedioribus compun-
ctum notis uideo neminem. MER. Nulli de uera religione sunt
minus soliciti, quippe quorum studium est ampliare rem familiarem,
congerere pecuniam, atq; in saginandis corporibus occupari, & cum
nimis improbe auari sint omnes, nemo cœnat lautius, nemo uestit ele
gantius. Dudum sacerdos Cardinalis obsonatorem suum quod in
emendo lupo pisce pecuniæ pepercisset (Erat autem pretiũ aurei sexa
ginta) q̃bus non maledictis est insectatus? parum'q; abfuit, quin illi
domo interdixerit, ut uitæ suæ parum studioso. Ac'ne erres Charon
uitam nunc quæ olim gula dicebatur uocant. Alter quoq; sacerdos
eiusdem collegij moriens exoleto legauit aureûm triginta millia.
CHA. Vtinam quibus hæc audio carerem auribus. tantum ne faci
nus impunitum abire, cæteri mortales sustinent? MER. Supersti
tione tenentur. CHA. Iam assentior, nihil esse infelicius supersti
tione. MER. Quantula sunt hæc, Sacrum quoq; sanguinem uene
no tingunt. CHA. Vtinam nescirem philosophiam. Dispudeat'q;
talibus nunc Deum ministris uti. Quamobrem sapientissime Mer-
curi relictis sacerdotibus perge de superstitione dicere, quæ morta-
les omnes tam infeliciter uinctos, atq; oppressos teneat. MER.
Primum ea in mulierculis inuenitur quàm maxima. Illæ ut pictu
ram nactæ sunt aliquam ibi eam consulunt, & ut cæteras res ta-
ceam, Si anserculum, uel gallinulam pituita occuparit, quibus tum
precibus, ac lacrimis illam obsecrant, pueros, puellas'q; uix septen-
nes nugis his imbuunt. Sed quid de aniculis, et puellis loquor, qui
sciam Deos solicitari quotidie à principibus uiris, ubi falco longi-
us euolauerit, ubi equus pedem contorsit, quasi aucupes Dij sint qui
accipitrũ curam habeant, aut tanquã fabri ferrarij equorũ contusa, et
morbos curent, atq; ex hoc quæstu rem familiarem augeant. Vide-
as in templis affixos accipitres ẽt argenteos, et equos, & aues loqua
culas. CHA. Iã ut prædicas nihil est hoie inanius. MER. Inaniora

his audies. non pedes modo & manus è cæra aut metallo suspendunt tholis, Sed & obscœnas corporis partes, & quod medico erubescunt ostendere, id ante Deorum effigies collocare non pudet. Atq; ut uana illorum ingenia magis ac magis rideas, rem si praquam dici possit inanem, ac despicabilem accipe. Martinum Galli, Hispani, Germani, Itali sic colunt, ut turpe sit eius festo die ebrium, ac madentem non esse. Itaq; nihil est in teris eo die uinosius, nihil petulantius. In quodam Germaniæ oppido, ubi Martini dies illuxit, statuam eius per publica oppidani loca efferunt, qui si clarus, serenusq; fuerit, operæpretium est quis suauiori possit uino Martinum inspergere. omnes uiæ plenæ sunt uasculis, nullus est qui non Martinum comitetur lagenatus, atq; ac ratione p uias, porticus, templa uino ille madens fertur. At si pluerit, nihil est Martino contemptius. Luto totus conspergitur, uiæq;, & cloacæ in eum eluuntur. Neapoli Campanorum urbe celebri, Maio mense sacerdotes per urbem coronati incedunt, quasi amantes adolescentuli. Sed hoc quidem leuius fuerit. Rem nosce, dignam tamen, quæ à sapientibus uiris clausis auribus audiatur. Vbi omnis populus in templo conuenit, de trabibus summi tecti, Resti deligata porcella demittitur, ac multo sapone circunlita. Adsunt agrestes ad ludum uocati. Ibi oritur magna contentio, agrestibus ut ea potiantur annitentibus, qui uero appensam illam tenent agrestium manus arte ludentibus, ac nunc subtrahentibus funem, nunc in diuersa laxantibus. Dum hæc geruntur, turba ludo intenta, & nunc his, nunc illis plaudente, ibi quasi imber magna uis aquarum maior iuris, atq; urinæ è tecto compluribus simul locis diffunditur. Agitur etiam humanis excrementis, nec prius cessatur, quàm agrestes porcella ui potiti sint. Quid igitur tibi uidetur Charon? CHA. Quod pace dixerim tua Mercuri, non uideo cur hæc sint condemnanda. MER. Iocaris fortasse. CHA. Immo serio dico. Nam & illi officium suum aduersus Martinum faciunt, utpote qui ebrij cum sint à uini, ac gentis natura minime recedunt. Et ij qui porcellam lusitant, palàm faciunt æq; ac sues luto, humanum omne genus superstitionis cœno, sordibusq; uolutari. MER. Fateor me rationibus istis uictum. CHA. Hoc est philosophari. sed nescis Mercurij paulo ante quàm mihi animum pupugeris, Vbi Campanos nominasti. Nimis enim sum ueritus ne de Campanis dicturus esses aliquid, Quarum non modo sonitum, uerum etiam nomen ipsum odi. Nam qui pati eas homines possint sane quàm miror, cum me interdum hic obtundant, qua

rum fragor, ad arborem illam usq;, quæ ad septemmillia passuum à nobis hinc abest perueniat. Noscis quam dicam arborem, timonis ficum. Timon enim quod iudices hi recordantur, cum in se dicta esset sententia, petijt dari sibi ficum eam, & restim in loco illo solitario, Habere enim odio frequentiam hominum, ac uelle ibi quæstum facere carnificinũ, daturam eam ficum quot annis magnum Plutoni portorium, lege dicta, ne cui ante cognitam causam, nisi ex ea se arbore liceret suspendere. MER. Noli obsecro irridere homines quod campanas tam sæpe pulsitent. CHA. Desipere me uis. MER. Immo sapere magis, quàm sapis, quanquam multum ipse sapis. omnes homines Charon quanquam uentris multum, capitis certe minimum habent, atq; hoc quantuluncumq; est habere nollent. Quo'circa diu quæritantes, quá nam ratione facilius illud perderent, campanas adinuenerunt. CHA. Bellissime. par pari retulisti. Verum ego dũ quærendi sum studiosior, uereor ne prætoribus prudentissimis uiris quibus nullum frustra tempus præterit oratio mea, si non molestior, certe longior uisa fuerit. Quamobrem dicendi finem faciam, si hoc à uobis impetrauero iudices, ut quod unum scire uehementer cupio, id ex Mercurio intellegam, non quod mea intersit aliquid (quid enim Charonti cum hominum leuitate (nisi quod sapientiores illos uellem. MI. Tuum hoc studium, Sapientia nostra est. & per stygem sermo hic, qui de superstitione est à Deo habitus, rerum naturæ maxime conuenit. Sed tamen nescio quomodo dum homines ipsi essemus, gentibusq́; imperaremus, gubernandis populis, ea necessaria uisa est adeo uidetur male agi cum ijs ciuitatibus, in quibus superstitio nulla est, Vnde nanq; tantum boni in hominum uita, ut multitudini nota esse possit uera religio? Sed perge Charon, nihil te impedimus. CHA. Vtar permisso, breui tamen dicendi uobis possessionem restituturus. Ne te igitur pigeat Deus, & mihi, & his declarare inter tot hominum genera, si te sors aliqua hominem fieri et inter mortales uersari ut mortalem cogeret, quem te esse hominem malles? MER. Absit à Deo quæcunq; necessitas. Ex hoc enim ipso quod Deorum sum nuntius, et hominum res disquiro, satis, superq́; detestari possum humanam conditionem. Noui hominum labores, noui miserias. quibus quid esse potest erumnosius? Iure igitur ne dum recusem hominis subire uelle affectus, perturbationes, ægritudines nec animi minus quàm corporis, humanam uitam miseror, ut quam omni è parte infelicissimam iudicem. Sicq́; habeto Charon, quæ bona huic generi natura tribuerit, ea omnino esse quampaucissima, atque ea quantulacunq; sunt (sunt

autem minutiſſima) dum uincuntur homines cupiditatibus, dum per peram agunt, atque eligunt, ita ſanè corrumpunt ut quæ natura ſunt bona, nequiter illis utentes in pernitiem ſuam uertant. Verum inter tot ac tam uarias hominum ſpeties, quoſdam nimis quàm odi atq; exſecror. CHA. Qui'nam ſunt iſti? MER. Iudæorum nomen quàm infenſiſſime inſector. CHA. Scilicet recutiri times, ac fœnerare. MER. Nequaquam, ſiquidem commune eſt illud Turcis, Mauris, Syris. hoc omnibus. Verum ne ſuperſtitio prorſus me miſerrimum faceret. CHA. Nihil habent ergo Iudæi, quod ipſe probes? MER. Vix unum. CHA. Quod'nam eſt illud? MER. quod nihil de ſepultura curant. in pratis, ac ſub dio humantur. At Chriſtianus de ſepulchro, quàm de domo ſolicitus magis eſt, quid quod perinde, ac ſi cum mortuis bellũ gerant qui nunc uiuunt, quæ mortui aut ipſi ſibi dũ uiuerẽt ſepulcra poſuerunt, aut teſtamento faciũda curauerunt, eiectis inde cadaueribus, ea ſibi per uim occupãt, ut nec uiuis, nec mortuis chriſtianis ulla ſit requies, aut locus ullus ſuus. CHA. Satis cognitum habeo, nihil nec chriſtianis, nec cæteris hominibus diu ſuum eſſe. Itaq; recte planè facere eos iudico, qui mortuis inuideant. Sed iam tempus eſt me hinc abire, tu uero his reddare. Vtinam & me ſermonibus adeſſe his liceret. Verum muneri concedendum eſt, plurimos enim exſpectare in portu uideo. nec committendum ut dum ſciendi uoluptate capimur, ab agendis rebus quæ quidem neceſſitas eſt, auocemur.

CHARON. DIOGENES. CRATES.

SALVE Diogenes. ut recte? DI. Heroice, ac magis etiam quàm Heroice. Heroes enim quanquam male aſſa, bubula tamen ueſcebantur, ego uero piſce, & quidem crudo. quæ res effecit, ut magna me è parte in piſcis naturam induerim. Nam quod hominis proprium eſt ambulare, id omnino dedidici, tantum natito. CHA. Rem igitur mihi gratiſſimam feceris, ſi dum illuc in portum reuehor, natitans mecum ſerio aliquid loquere, quo laborem hunc meum dicendo leues. DI. Dum ne me canem appelles. CHA. Quid ſi piſcicãnem. DI. Perplacet. CHA. Dicas igitur obſecro Piſcicãnis, an eorum quæ in uita egeris, alicuius te nunc delectet memoria? DI. Multorum, atq; unius maxime. CHA. Nam cuius obſecro? DI. Dicam. cũ aliquando & eſurirẽ, et algerem unà, nec haberẽ unde cõmodius, è Deo quodã ligneo igniculũ mihi paraui, et co

nullam eo coxi. CHA. Num non Deus ille telum in te aliquod torsit, seq; est ultus? DI. Fumulum statim in oculos immisit, quem ego buccis pilleoloq; confestim pepuli. CHA. Gladiatoris hoc fuit, magis quàm philosophi. DI. Quid mirum? Gladiatoriam didiceram. Nam cum Athenis olim agerem, Platoniq; in schola docenti bipedem pennatam obtulissem, tum ille amice Diogenes, inquit, qui tam robustos lacertos habeas, Noli obsecro ante à nobis discedere, quàm te gladiatorio in ludo dies aliquot exercueris. Tum ego didici gladium agere, ac cæsim ferire, & punctim. CHA. Qui aduersus Deum arte hac pugnaueris, leges quam statuunt pœnam in eos qui sacras res uiolant, arte qua declinasti? DI. Facile id quidem fuit. Nam cum frequenti populo contra me ageretur, Tum ego, Prætor, inquam, tu te scis me canem esse, quod & ipse confiteor. Leges autem hominem, non canem puniunt. Lege igitur mecum agere, nihil tibi omnino licet. Quo dicto cum qui aderant assensissent, illico me prætor absoluit. CHA. quambellissime. Cuius nam alterius secundo tibi loco iucunda est recordatio? DI. Huius quæ me beat. Cum uenisset ad me Alexander, egoq; in dolio intus conquiescerem, uererérq; ne discedente illo, milites quos secum comites adduxerat (Erant autem quàm importunissimi) per cliuum me illum deuoluerent, Consilium cœpi hoc, quod euentus ipse comprobauit optimum. Vesperi cœnitaueram polentulam, cauliculosq; cum cœpa, & rapum tostulum. Vires igitur omnes uentris coegi, & crepitum quátum potui ieci maximum, quo pculsi occlusis naribus statim uersi sunt in fugam. CHA. Igitur qui uires orientis fregere, eos tu commento isto uicisti tam facile? DI. Ne mirare, siquidem ex meo hoc inuento commenti nunc sunt bombardas, quibus muros urbium, & quod maius est arces diruant. CHA. Igitur qui Regem liberalissimum contempsisti, pauper credo decesseris. DI. Nemo philosophorum omnium amplius legauit testamento, ut qui aliquot ante quàm morerer diebus arcessierim maximum ad me canum omnis generis numerum, eisq; legauerim domos nobilitatis, ac principum omnium, caueritmq; ut ne per otium uoluptatibus fruerentur, die illos uenatibus exercerent, noctu ne quietos somnos agerent latrando, ululandoq; interturbarent eos. Sed obsecro philosophe Charon, nolis mihi impedimento esse, Mullum uideo quem expiscatum uolo in cœnam, & iam aduesperascit. Vale igitur. CHA. Homo hic & uiuus et mortuus contemptui omnes habet. Sed bene habet. Craten uideo, cũ congrediar. & bene ualeas Crates, et fortuna meliore utare. CRA.

Nec ualere recte potest cui quotidie stultitia lugenda, ac luenda sit sua, nec fortuna secunda uti, qui per temeritatem illã sibi aduersam facit. CHA. Ecquæ inueniendæ pecuniæ relicta est spes? CRA. Nihil hucusq; indicij habeo. CHA. Cessa paulum a' labore & mecum hos inuise, qui mesti lamentantesq; in portu manent. CRA. Satis habeo de meo quod lugeam, ne quærã aliũde. Sed parce obsecro Charon. Loculos quosdam procul uideo super aquas ferri, magnũ hoc indicium est. CHA. Infelix hic, miseria sua facile & alios miseros faceret. Quo'circa et huius et infelicium oium fugienda est consuetudo, atq; familiaritas, qui cum ipsi nec leuationem ullam, nec rationem accipiant, nescio quomodo aliorum infixam animis doloris notam quandam relinquunt. Abeat igitur sua cum miseria, Me satius erit remo incumbere quando uentus nihil iam uelum promouet.

MINOS. MERCVRIVS. AEACVS.

QVID Autem portenta sibi ista uolunt? MER. Pestem significant & bellum. MI. Bellum ne? a' quibus? MER. A' sacerdotibus. MI. Ab ijs igitur inferetur bellum, quos maxime deceret pacis authores esse? MER. Verbis pacem. cæterum rebus bellum petunt. MI. Inferendi belli quæ'nam causa? MER. Ampliandi Regni cupiditas. MI. Horum igitur malorum causa est auaritia? MER. Ea ipsa quæ in hoc hominum genere quanta sit dici uix potest. MI. Videlicet obliti sunt iustitiæ? MER. Quæ obsecro haberi potest iustitiæ ratio, ubi regnat auaritia? MI. Quid quæ in Italia urbes florent, eæ non'ne pro tuenda libertate conspirant? MER. Earũ nomine quidem libertas est, re autem tyrannis mera, quod'q; alius alio magis rapere de publico studet, Ciues quotidie proscribuntur, nec ratione in illis uiuitur, nec consilio, uerum cupiditate, ac partiũ studio. MI. O' libertatem cito perituram. Quid Reguli? MER. Mirifice dissentiũt. et qđ præsentibus solũ uoluptatibus intenti sunt, nihil sunt de futuro soliciti, nec uident haud multo post seq;, suas'q; urbes in aliorũ potestate futuras. Vana sunt eorũ ingenia, corrupti mores, animiq; q̃ nihil principibus, nihil Italicis hominibus dignũ cõcipiant. MI. Interijt Romana uirtus. Enimuero Mercuri, quamuis græcus ipse fui, dũ considero nullos populos, gentem nullã, nec fortiores habuisse, nec iustiores ciues, qui etiam bene uiuẽdi formulas natio-

nibus tradiderit, mirũ immodũ cõmoueor, tãtopere nõ Romã modo, uerũ Italiã omnẽ ĩgenijs destitutã esse, ac uiris. MER. Caret plerũq; successoribus uirtus, et cũ bonis alijs caueri testamẽto possit, uirtus ĩ hæreditatis appellationem minime concedit. Regnorum ut principium, sic etiam finis est, perinde enim ut dies, ortus, atque occasus habent. Multum in hominum ingenijs tempus ualet, plurimum institutio. Cæterum cœlestis ordo, mundiq; conuersiones mouentq;, & agunt cuncta. Quas Aeace græcia illa tua olim tam clara, & nobilis, quas inquam passa est calamitates, & urbium & ingeniorum? quid dixi passam, quæ nulla iam est. Conuersus sum ad te Aeace, quem uideo iandudum ingemiscere, ac uix tenere posse lacrimas. Vbi genus illud tuum? ubi successio tam illustris? Sed uetera sint ista nimis. Vbi musæ illæ atticæ? Quid musas requiro, cum Athenæ ipsæ uix ullum teneant nunc uestigium, ut pene cum omni græcia in somnos abierint. Victor barbarus omnia possidet, atque utinam possideret tantum. Verum excisæ urbes sunt, deleta nobilitas, artes, disciplinæq; extinctæ, et illa ipsa libertas, triste nunc, atq; infelix est seruitium. Quæ causa est ut arbitror, cur paulo ante Minos ferret tam grauiter Italiam quassari bello, ne græcarum disciplinarum memoria quæ illic, quasi reliquiæ quædam seruatur, funditus sublata intereat. AEA. Et internitione generis, & patriæ excidio si non mouear inique fecerim, Moueor certe. Nam quanquam nihil illa post mortem ad nos attinent, tamen nescio quo modo sicut recte actorum conscientia, ita naturalis illius amoris uis quædam remanet generoso cuiq; post mortem quæ de rebus eorum, quos amauimus, q uiui sunt, habeat nos solicitos. Sed consolatur me, uel qđ nihil cœpit unq̃, qđ non idẽ finiat, Nec ortũ prorsus quicquam est, qđ nõ idẽ occidat. Oĩa enim sub hac necessitate, quæ naturæ qdẽ lex, dei uero uolũtas est, laborant, uel qđ haud multis post seculis futurũ auguror, ut Italia cuius intestina te odia male habent Minos in unius redacta ditionem resumat imperij maiestatem. MI. Hæc ipsa me spes uehementer delectaret, ni deterrent ea quæ Deus hic paulo ante de rebus Italicis nobis retulit. MER. Et alia quoq; multa deterrere te iure possunt. parum etenim consyderare uideris, quàm breuis sit è Macedonia, Epiroq; in Apuliam, Calabriamq; traiectus, quàm etiam facilis in Venetiam è Dalmatia transitus, cum paucis ante diebus magnam in Liburniæ finibus Turcæ impressionem fecerint. AEA. Quanquam timenda hæc sunt, tamen si uetera respiciamus, non ab Asia aut Græcia, uerum à Gallis,

Germanis'q; timendum Italiæ semper fuit. MER. Multa fert dies, ac tametsi ubiq; sibi fatum constet, eius tamen explicatio decipere hominum mentes consueuit, dum rerum conuersiones easdem censent. AEA. Nos o' Minos & Græciæ calamitates, & Italiæ casum satis diu fleuimus, ac temperandum est nobis, consyderandum'q; quid est quod magistratum deceat, & cum sciamus Dei prudentia mundum regi omnem, quid opus est de rebus humanis tam esse solicitos, quas Deus ipse moderetur? MI. Sapientissime dicis, quamobrem si tibi uidetur, quando Charon iam e' portu soluit ad collegã properemus, cui ut scimus solitudo semper fuit molestissima. AEA. Est & alia causa quæ properandum esse multo magis cogat. Nam si ut Deus iam docuit pestis Italiæ portenditur, nostra interest prouidere, ne imparati offendamur, in tanta ac tam diuersa morientium multitudine. MER. Equidem & ego id uobis censeo faciendum, quando quæ cupiebatis ex me iam intellexistis. Atq; adeo ut hæc certius sciatis, maximam hominum internitionem cum cœli inerrantium'q; stellarum cursus futuram significant. Tum multa partim ex aquis, partim e' terra, atque aëre signa portendunt, quæ hoc ipsum significare consueuere. MI. Nos igitur præimus, te ipsum cum multitudine pro tribunali præstolaturi. MER. Vos precedite. Ego hic interim Charontem moror.

MERCVRIVS. PEDANVS. ET THEANVS. ET MENICELLVS GRAMMATICI.

PHASELVS ille nimis grauis est uectoribus, Remo'q; uix agi potest, hoc est quod mortales usurpant. q nimis properet, sero eũ peruenire. Sed quæ'nam hæc est umbra quæ tam sola uolitat? heus tu, cuius istud est simulacrum? PE. Pedani grammatici. MER. Quid tibi uis tam solus? PE. Teipsum quærebam maiagenite. MER. Qua'nam gratia? PE. Oratum uenio quædam meo nomine ut discipulis referas. qđ te uehementer confido facturum, cum literarum author, atq; excultor fueris. MER. facile hoc fuerit. Quamobrem explica quid est qđ referam uelis. PE. Virgilium nuper a' me conuentum dicito, quærẽtiq; ex eo mihi quot uini cados decedenti e' Sicilia Aeneæ Acestes dedisset, Errasse se respondisse, neq; enim cados fuisse, sed amphoras, Ea enim tẽpestate cadorũ usum in Sicilia nullũ fuisse, partitum autẽ amphoras septem in singulas triremes, accessisse'q; aceti Sextariolum,

idq; se compertum habere ex Oenosio Aeneæ uinario. ex Hipparcho autem mathematico intellexisse Acestem ipsum uixisse annos centum uigintiquatuor, menses undecim, dies unde triginta, horas treis, momenta duo, ac semiatomum. MER. Idem ego me mini me ex Aceste ipso audire. PE. Errasse item se, quod Caietam Aeneæ nutricem dixisset, quæ fuisset tubicinis Miseni mater, nec dedisse illam loco nomen, quod ibi fuisset sepulta, sed quod cum in terram descendisset legendorum holerum gratia, fuisset illic à Syluano uim passa. Anchisæ quoq; nutricem fuisse à Palamede raptam, cum is agrum Troianum popularetur, excedereq; tum illam annos centum & uiginti, fuisseq; ei nomen Psi. Quæ quod notam haberet quandam in fronte, hinc palamedem literam ψ & formasse, & nominasse. MER. Magna sunt hæc literator, cognituq; dignissima. PE. Maiora, ac multo digniora his audies. MER. Solis uidelicet literatoribus tantum sciendi studium est post mortem? PE. His nimirum solis. Equidem & illud percuntari uolui, dextrone an sinistro priore pede è naui descendens Aeneas terram Italiam attigisset, ad quod Poeta ipse respondit, satis se compertum habere, neutro priore pede terram attigisse, sed sublatum humeris à remige cui nomen esset Naucis, atq; in litore expositum, iunctis simul pedibus in harenas insiluisse, idq; ex ipso remige habere se cognitum. MER. O diligentiam singularem. PE. Illud quoq; Atlantiade, quod cum gratia fiat tua, uel cumprimis auditores meos, qui sunt in Cápania doctos facito, Horatium fuisse Abstemium, quod ex eo sum sciscitatus. Vinum autem tantopere ab illo laudatum in præconijs patris honorem, qui cum uoce non posset, potando certe uino omnes sui temporis præcones superasset. Vnum uero me, ne ex ipso quidem Cæsare scire potuisse cum Galliam describeret in treis ne an tres partes diuisam scriptum reliquisset. MER. Demiror cum tam ipse accuratus, atq; humanus fuerit. PE. Iram id effecisse arbitror in quam ob accusationem exarserat Theani literatoris qui eum reprehendere esset ausus, quod carros non currus dixerit. At à Tibullo Albio comiter fuisse exceptum, Cumq; pedanum me uocari dicerem, gaudio eum exiluisse, arbitratum pedo, in cuius agro rus habuisset oriundum esse, atq; huius rei gratia docuisse me nomen senex, apud uetustissimos latinos cõmunis fuisse generis, proptereaq; dixisse se cum de anicula loqueretur, merito tot mala ferre senem. MER. O rem nobili dignam grammatico. PE. Lucretium quoq; nimis mihi familiariter deblanditum, quod diceret grammaticos debere

à se amari

à se amari propter morbi similitudinem, omnes enim dementia quadam agi, propterea docuisse me nomen illud potis, Apud maiores suos etiam neutri generis ui habuisse, quorū exemplo dixisset,

» Nec potis est cerni quod cassum lumine fertur.

At Iuuenalem nimis me grauiter obiurgasse, quod dicerem oleagina uirga pueros à me uerberari solitos, oportuisse enim ferula illos percuti. Quócirca Arcàs Deus monitos facias uerbis meis grammaticos omnes, ferula ut utantur. MER. Faciam libenter, ó Arcadicæ magister. Sed quis est qui tam te irridet à tergo? illum respice. THE. Ego sum Theanus grammatista. PE. Errasti. grāmaticum te, non grammatistam debuisti dicere. Addisce igitur. THE. Peccasti. Addisce enim nondum quisquam dixit. Itaq; disce, non addisce dixisse opportuit. PE. Rursum peccasti, dicere enim non dixisse oportebat dici. THE. Et tu rursum item peccasti, nam non oportebat, sed oportuit dicendum erat. PE. Prisciano caput fregisti, neq; enim erat, sed fuit dicere debueras. THE. Prisciano pedes fregisti. Debuisti enim non debueras. PE. Immo debueras, non debuisti. THE. Immo debuisti non debueras, PE. Immo hoc. THE. Immo illud. PE. Immo ego. THE. Immo tu. PE. Immo bene. THE. Immo male. PE. Hei mihi. THE. Hei tibi. MER. Reuerentius grammatici. uerbis enim non manibus contendendum uobis est, Deo præsertim arbitro. Quamobrem bonis, & honestis posthac uerbis de literatura contēdite. Sed bene habet. Tertius ut uideo adest siue iudex, siue litigator. MEN. Ego diutius grammaticunculi ineptiolas ferre uestras nequeo. THE. At ego insolentiam tuam laturus hodie nullo sum modo. Quamobrem qui tibi tantum tribuas Menicelle dicas uelim, cur lapidem hunc, petram uero hanc dicimus. MEN. Videlicet quod lapis agendi uim habeat, lædit enim pedem. At petra, quod pede teratur, ad patiendi genus transit. MER. Nihil est grammatico insulsius, uide quàm hi desipiant. Cum petra græca sit dictio, lapis uero fuerit à labando dictus tertia immutata litera, quod labent ex eo ambulantium uestigia. THE. Qui de lapide, petráq; hoc sentias, de manu quid mihi respondes?. MEN. An non manus faciendo operi occupata aliquid semper patitur. THE. At nunc agit cum te uerbero. Hem tibi. MEN. Heu me miserum. THE. Quid te miserum? rationem afferas oportet, cur manus cum in pugnum coit, cum uerberat, dici hic non debuerit. MEN. Nihil mihi tecum erit amplius. Quamobrem oratum

te Mercuri uolo, ut cumprimum Neapolim in Opicos perueneris, in eo conuentu qui otiosis fieri diebus ad Arcum solet, Iouianum Pontanum conuenias, uerbisq; commonefacias meis, posthac ut sit cautior, atque ut curso à uerbo quod est curro deducat, non cursito. Panhormitam quoq; Antonium acriter increpitato, quod epistolutiā in diminutione protulerit. MER. At ego Menicelle pro Antonio hoc tibi respondeo. Italicam linguam non modo nouas diminutiones fecisse, uerum etiam augentium uocum formas quasdā inuenisse detractionis, ac ignominiæ gratia. Quo'circa Antonij nomine te tantum grammaticonem ualere iubeo. Tu uero Pedane, an quid habes præter cætera eruditione dignum tua? PE. Vnum hoc. Boetium non à Boëotia in qua ipse natus non fuerit, dictum, sed agnomentum hoc illi fuisse à uescenda Boum carne, quod ipsius me Boetij cocus docuit. MER. Per Iouem mira agnominatio. tu q̃d ad hæc Theane? THE. Eijciendos hæreditate Pedani liberos, eius bona publice uendenda, redibendamq; auditoribus, quam Pedanus ab illis acceperit pecuniam. MER. Atqui ego tuis uel maxime liberis cauendum præiudicium hoc censeo.

CHARON. VMBRAE DIVERSAE.

a Scendite infelices umbræ. Quid misere ante diem fletis? quasi parum sit, tum dolere, cum malum uenerit. Tu uero tam culta, & procax umbra, quæ'nam es? VM. Cypria meretrix. CHA. Vbi gentium quæstum fecisti? VM. Romæ. CHA. Quis iste comes? VM. Sacerdos Cardinalis qui me amauit. CHA. Miror quomodo senem puella, Meretriculam sacerdos in delitijs habuerit. VM. Mea illum forma, illius me aurum cœpit. CHA. Plus igitur apud eum forma, quàm religio, apud te pretium quàm aut senectus, aut illius os ualuit. VM. Aurum mihi suauissimum fuit, quo ille & oris deformitatem, et senectutem sæpissime redemit suā. Ad hæc q̃quā senex, salacissimus tñ fuit utinamq; sola illi fuissem satis. CHA. Mirum homo tam senex quod tam esset libidinosus? VM. Ego ubi primū ad eum sum arcessita, putaui me cum adolescentulo coituram. At ubi ætatem uidi, & os distortum cœpi quæri, meq; deceptam esse ab lenone inclamitare. Tum ille. Ne, inquit, querare animula, nam cuius nunc tortum os fugis, haud multo post rectum neruum experiere, quod fuit. Nihil enim illo tentius passa sum unquam.

CHA. Ite infelices in ignem coiturae, aeuumq; illic miserrimum acturae. Quis tu cucullatus? VM. Frater. CHA. Ordo qui? VM. Non semel ex ordine in ordinem transiÿ. CHA. Quae causa? VM. Facilius ut deciperem. Die mulieres audiebã peccata confitentes. noctu graecabar in ganeis. CHA. Vnde tibi suppetebat ad id pecunia? VM. E' fraude, & furto. decipiebam mulierculas, surripiebam sacra. CHA. Et fraudem, & sacrilegium flammis lues. At tu tam nitida cute, atq; Anatino gressu, quemnam profiteris? VM. Episcopum. CHA. Mirum qui tam sis uentricosus? VM. Minime mirum, quippe cum huic soli studuerim, in eumq; congesserim omnem ecclesiae censum meae. Quinetiam foeneraui. CHA. Satis igitur tibi non erat, quod ex ecclesia quot annis rediret? VM. Illud uentri satis erat, at foenus seruiebat peni, complures enim concubinas alebam, & corrũpebam libenter auro maritas mulieres. CHA. Infelix cui tantus sit uenter ferendus pedibus adeo imbecillis, Infelicior cui animus honeri, at uenter penisq; Dÿ fuerint, Infelicissimus qui te ipsum cum minime noueris, Deum cui ministrabas multominus cognoscere potueris. Abi igitur infelicissime, Sera enim poenitentia est tua. Tu uero quae'nam demissa facie, atq; ore tam pudenti? VM. Infelix puella. CHA. Quae tam acerbi luctus est causa? VM. Vtinam carerem memoria. CHA. Noli amabo spem ponere, Nam si coacta quippiam peccasti, leuiore poena afficiere. VM. Miseram me, decepta fui. CHA. Quid'nam per fraudem amisisti? VM. Virginitatem infelix. CHA. Quis te decepit? VM. Senex sacerdos. CHA. Arte qua? VM. Adibam saepe templa Deũ orans ut nuptiae faciles, uir mihi foret è sententia. Ibi tum Antistes me collaudare, spem bonam polliceri, seq; mihi facilẽ offerre. Igitur ubi saepius me confitentem audit, & simplicitatem agnoscit meam, Desine, inquit, filiola uirum à Deo petere, qui te innuptam esse iubeat. Tum ego quia & tu id pater mones, & uelle Deum dicis, Deo uirginitatem meã do, dedicoq;. Tum ille me collaudata quod Deo dedisti filia, id alicui necesse est ecclesiae ut dices. Tum ego cui'nam pater ecclesiae prius eam dicem quàm tuae? Atqui, inquit, ille quoniam oblatiunculae istius, ecclesiae meae nomine capi à me possessionem oportet, quo Deo sit acceptior, abi filiola mane ad me reditura. Etenim nocte hac Deum orabo, ut ratam istam, rectamq; uelit esse dicationem. Tu postquam laueris nouo induta supparo ad me redi. Nihil enim nisi mundum fas est nos attrectare. hocq; in primis effice, sola, ac sine teste ut uenias, In ÿs enim quae Deus manu capit, nulli adhi-

bendi sunt testes. Mane itaq; ad eum ubi ueni, tum ille me in cellam induxit, in qua summi Dei posita esset statua, quam circa magna cereorum uis erat accensa. Vbi ambo orauimus, filiola, inquit, & tunicam & supparum exsue, Deus enim & cœlestes omnes nudi cum sint, nuda sibi offerri uolunt. Vbi ego nuda astitissem, tum ille papillas has pertractans, hæ inquit ecclesiæ meæ sunt. Tum mentum manu demulcens, & hoc ecclesiæ est meæ. Hinc genas summus delibans digitis, filia, inquit, oris possessio, non nisi ore capiūda est, meq; ter osculatus cum fuisset, & labia hæc meæ sunt ecclesiæ, sic pectus, sic uentrem ecclesiæ suæ esse cum dixisset, ut iacerem iussit. Iacui infelix, tum ille genu innixus, fœmoraq; contrectans, Deus ait, qui tumidula hæc fœmora, castigatulumq; uentrem, cum brachiolis his tereti bus tam uenuste moliterq; formasti, aspice uirgunculam tuam, & ista possessione lætare. Ter hæc cecinit, ibi ut omnia transigeret, id respexit quo mulieres sumus, & illud, inquit, filia manu capiendum est. Verum ut oris capta est ore possessio, sic tui quoq; illius, meo hoc est capienda. utinamq; tunc expirassem misera. CHA. Quomodo decæptam te postea sensisti? VM. Dum ille studiosius fundum colit suū, grauida facta sum, tandemq; è partu mortua. CHA. Nunquid non ille te absoluit morientem? VM. Absoluit. CHA. Læta esto, Nam iudices & ipsi absoluent. Sed heus tu, quid miser rides? crede mihi non est nunc ridendi locus. VM. Nulla mihi est, quam tibi credam pecunia. CHA. Talis'ne tu es, q ludere Charontem uelis? VM. Atqui nec talis ipse unquam lusi nec tesseris. CHA. Hic homo cauillatur, & in mœrore etiam iocari cupit. Dico ego tibi. alium paulo post sermonem feres, ubi ad forum ueneris. VM. Vendi in foro halium non feri solet. CHA. Suauissimus hic est ut uideo. Dic quæso quam artem exercuisti? VM. Martem ipse nō exercui, sed male me Mars habuit. CHA. Tu me facetissime homo tuis istis dictis uel in risum rapis. VM. Ego amice, rapis nunquam sum usus, magis me delectauit cœpa, & porrum. CHA. Videlicet suæ cuiq; sunt uoluptates. VM. Nullam ego è sue uoluptatem cœpi unquam. Ego ne bestiolam tam immundam in delitijs haberem? parce oro Charon delicatior ego fui, quàm reris. principes uiros in iocis habui, non bestiolas. illos mihi ludos faciebam. CHA. Tum tu histrio fuisti? VM. Hetruria mihi patria fuit non histria, cui nihil aliud curæ fuit unquam, q̄ ut nunquam dolerē, nunquam irascerer. Vt quis uxorem ducebat, ridebam, efferebat quis filium, ridebam, insanibat amore alius, ridebam. Ridebam ubi quis nimis

sumptuose

sumptuose uestiret, nimis magnifice aedificaret, ubi praedia nimis am-
pla emeret. Ridebam demum omnia. Semel autem in omni me flere ui
ta memini, quod matre mortua, ubi illam sepelirem tera mihi emen-
da in sancto fuit, tum nimis grauiter hominum conditionem fleui,
ac de religione sum quaestus. Sed tamen haud multo post dolorem
hunc compressi, atq; ad naturam redij, meq; ipsum ridere coepi, qui
non & id quoq; risissem. CHA. Sub huius risu latet sapientia.
VM. Quid tu te tecum loqueris? audacter dic quod uelis, non te
ludo amplius. CHA. Rem mihi gratissimam feceris, si uitae tuae
genus ordine explicaueris. VM. Quod ipsum uehementer iuuat,
Quid enim iuuare magis aut potest, aut debet, q̃ ubi uitae suae cur-
sum quis repetens, nihil inuenit, cuius poenitere iure debeat? Princi-
pio cum uiderem nostram Rempu. ab improbis, ac seditiosis ciuibus
administrari, publicis muneribus abstinui, meq; ad priuatam uitam
contuli. Nulli rei praeterquam agro colendo intentus, Siquidem exer
cere mercaturam nolui, ne aut foenerandum esset, aut fortuna conti-
nue timenda. Nec seruilem quaestum probaui aliquem. In suburba-
no mihi uita fuit. Raro in urbem accedebam, atq; eo cum ue-
nissem, decretum erat mihi, nemini molestiae esse, nocere nulli, nihilq;
molesti ex aliorum aut dictis, aut factis capere. Ridens ingrediebar
urbem. Ridens exibam. ubi quem amicum aut notum uidebam, salu
tabam illum, curabamq; congressus nostri ut essent quam iucundis
simi. Si quam uel de nostra, uel de Italiae Repu. facere mentionem
coepisset, statim ualere eum iubebam. Templa castus mane adibam
neq; cum sacerdotibus arctiorem habere familiaritatem uolui. ubi
rem diuinam fecissent, abibam illico. Doctos quosdam amabam, qui
non tam acuto essent ingenio, quam recto iudicio, eorum disputatio
nes libenter audiebam. Si quis e notis aut familiaribus, quos habere
haudquaquam multos uolui, aduersi aliquid accepisset, consolabar il
lum, meiq; ut similis esset rogabam. Nam & fortunae ludos ridendos
esse, & naturae necessitatem nullo pacto dolendam. His actis refere-
bam me in suburbanum. ibi partim legendo, partim deambulando,
aut aliquid in agro agendo, dies conficiebam. noctu nisi quantum
quieti dandum esset, caeterum tempus, lucubrando transigebam. exi-
bam interdum in quadriuia, atq; ubi festi essent dies, ibi uillicos de
prognosticis temporum, de natura terae, de insitione, de seminibus, de
irrigatione, deq; alijs rusticae rei ministerijs disserentes audiebam, fie
riq; studebam eorum sermone prudentior. Et quoniam cognoscere
res hominum tam diuersis, ac uarijs periculis esse expositas, Si q̄d uel

in agro, uel in domo aduersi accidisset, ubi conditionem risissem humanam, curabam arte id, industriaq; corrigere. ab litibus semper abhorrui, & foro, conuiuia fugiebam, tenuissimus mihi uictus erat, nō ut naturam defraudarem, sed ne multum indigerem medico, ac ne te multis morer, ita me semper gessi, ut qui non humanis me rebus, sed illas mihi subiectas uellem. CHA. Igitur qui omnia ridebas, de morte solicitus nunquam fuisti? VM. Semel in omni uita de morte cogitaui, licet eam quotidie ante oculos haberem, reputansq; & quid illa uellet sibi, et quod ego aduersus eam comparare possem praesidium, Vnum tandem hoc mihi in animo sedit, ut honeste tranquilleq; aetatem ducendo uiuerem. CHA. Quod aduersus paupertatem inuenisti remedium? VM. Vt iudicarem pauperem esse nequaquam posse, qui secundum naturam uiueret. CHA. Quod aduersus honores, atq; ambitionem? VM. quod grauissimi casus non nisi ex alto essent loco. CHA. Quod aduersus falsos rumores? VM. Rectam conscientiam. CHA. Vnquam ne te mouit superstitio? VM. Deum ubi perspexissem, sacerdotum mendacijs aures occludebam. CHA. Quomodo cum inuidia? VM. Qui doluerim nunquam, riderem omnia, quo pacto inuiderem? CHA. Ecquando'ne iratus fuisti? VM. Semel in omni uita, neq; mea causa, sed quod uiderem innocentem hominem iniuste plecti, male dixi ciuibus, quod non de iniusto iudicio prouocarent, quos ubi uidi mussitare, ac tyrannorum uim timere statim me repressi, atq; ad risum redij. CHA. In militiam ne aliquando profectus? VM. Semel lituum audij. CHA. Quid? reges ne, aut regulum quempiam secutus? VM. Minime, mihi enim ipsi me, non regulis natum esse uolui. CHA. Liberos ne suscepisti? VM. Quos statim extuli, & quod bene actum cum illis iudicarem, Deo gratias egi. CHA. Igitur & uxorem duxisti? VM. Non tam mea, quàm parentum gratia. ea cum triennium mecum exegisset morte diem obijt, ex eo caelebs uixi. CHA. Cur non alteram duxisti? VM. Quia scirem temeritatem non semper felicem esse, & quod bene in illa successisset ueritus sum in secunda periculum facere, meq; asserere in libertatem uolui. CHA. Quā saepe cum illa litigabas? VM. Nunq̄. nam et illa uirguncula, ac suauis erat, & ego ridere assueram domi, non minus quàm foris. CHA. Quid de hominum rebus sentiebas? VM. Vanitatem, ac stultitiā esse omnia. CHA. Felicem te, qui ista noueris. VM. Nec felicem quenquam nec sapientem dixeris, nulli enim tot affuere unquam bona, ut non ei plura defuerint, nec quisquam tam

sapiens habitus est usquam, ut non & illi ad ueram, perfectamq; sapientiam desuerit multum. Nam cum humanæ res imperfectæ sint omnes, quid earum possit esse perfectum? Cumq; nihil sit in eis constans, Felix qui'nam esse potest, cui momento interdum aduersa plurima succedant. CHA. Non dixi te felicem hospes, sed felicem qui ista noueris. VM. Non ex bonorum cognitione humana exsistit felicitas, uerum ex eorum possessione, & usu. CHA. At ego te, & felicem ex hoc iudicauerim, quod cum intellegeres neminem esse posse felicem, ita tamen ipse uixeris, & sapientem, quod in tanta hominum uanitate, atq; ignorantia sapientem te non minus uideri nolueris, quàm posse esse iudicaueris. Sed quis hic est, tam molestus & impudens? VM. Noli quæso ei irasci, Amicissimus hic mihi fuit. CHA. Miror qui inter duos tam dissimilibus moribus ulla potuerit esse familiaritas. VM. Si amici proprium est prodesse amico, hic quàm in amicum, plura in me contulit, Nam tribulis meus cum esset, & quotidie litigaret cum uxore, primum docuit cauendas esse secundas nuptias, deinde cum nulla non in re, & mihi & uicinis cæteris esset molestus, patientissimum me reddidit mortalium omnium. An quod maius in amicum conferri ab amico beneficium potest, quàm ut recte ab illo instituatur? Iure igitur hunc amaui, & mihi amicum esse duxi. CHA. Ex omni parte sapientia se ostendit tua. Tu uero molestissime homo, quid tibi uolebas istis moribus? VM. Quod ipse sum consecutus. CHA. Quod nam illud? VM. Quod ut eram musca, sic habebar ab omnibus. CHA. Vnum illud puto tibi uehementer doluit, aculeis quod careres. VM. At uerba, mihi erant aculei, quibus ego, uel uincebam culices. CHA. Digna tibi pro factis istis, & à culicibus & à crabronibus infligetur pœna. uerum age hospes Hetrusce, quando percuntari singulos agendo remo nimis magno est impedimento, & iudices iam abisse è ripa uideo, edoce in tanta multitudine si quos ipse noueris. VM. Geretur tibi mos. hic qui se primum offert, mendacissimus fuit omnium, quos unquam uiderim. Illud autem maximum iudicat mendaciorum quibus usus est unquam, quod cum uxore (ut ex eo aliquando audiui) nunquam se litigasse asseuerauerit. Is qui eum sequitur, adolescens in maximis uixit diuitijs, senex in summam inopiam redactus est, quippe cuius studium fuerit ex ære fumum, è fumo metallum facere, Nam dum aurum ex fornace quærit, sua omnia in ignem coniecit. Tertius ille non modo libidinosissimus, uerum etiã immanis fuit, qui nec brutis abstinuerit. Duo illi, alter perniciosissi-

mus assentator fuit, læno alter pellacissimus, quibus artibus primos sibi & ad Cæsares, & ad Pontifices aditus fecere. At ille alius accu sando maximas comparauit diuitias, cui cum præter insimulationem ac maledicentiam nihil dulce esset, Arte hac primum apud princi- pes locum tenuit, Quæ ego magis scio, quod mihi relata essent à tri bulibus, quam quod nosse ea studerem, At illum tam seuera, & tri sti fronte, & noui, & suspexi utpote omnium quos ipse uiderim in tegerrimum, & certe natum ad recte informandos animos, qui cum & uerbis philosopharetur, et moribus, quæ ipse dissereret ea re, atq; exemplo comprobabat. Cuius operæpretium fuerit audire orationē. CHA. Nihil est quod magis cupiam. Sed quæ'nam illi patria? VM. Ab umbris ducebat originem. CHA. Hospes umber aduen tum ad manes tuum gratulor, Tum quod liberatus sis omnino cu- ris ijs, quæ mortales habeant tam male, tum quod audire te uehemē ter cupio. Noui enim quantus sis philosophus. Quamobrem unde ti bi maxime uidetur exordiens, perge de uirtute dicere, dū illuc in por tum deferimur. VM. Nec ingratum est quod postulas, nec difficile, Et quoniam de uirtute ut dicam exigis, Nescio quid audire ipse ma lis, quàm quæ uis sit eius, & qui capiantur inde fructus, Etenim cum inter Deos, atq; homines tantum intersit, quātum norunt omnes, nec solum spatio sed natura, non'ne admirabilis uirtutis uis hæc est, quod & Deos hominibus conciliat in uita; & post mortem, illorum cœtui eos adiungit? Nam cum uirtus medium quoddam sit, extrema quæ uideantur in agendo fugiens, quæ maxima illius laus est, hæc certe summa est uis eius, quod eadem hæc ipsa uirtus inter Deum, atq; hominem medium tenet, quo quidem dempto medio, nullus est ad Deum accessus, nulla quæ ad illum perducat uia, quæ & ipsa principio Deum cognouerit, & qui secundum se uixissent inter di uos retulerit. Cætera cum fluxa, & fragilia sint auferri temporis momento possunt. At uirtus firmum, & stabile bonum est. Quæ cū nullius sit externæ rei indigens, alia tamen omnia absq; illa man- ca sunt, huc'q; atq; illuc incerta feruntur. Felicem igitur q bene agen do, recte'q; intellegendo perfectam fuerit uirtutem assecutus, qui cupi- ditates compescens, & quasi extra pericula positus, liber, ac securus uixerit, Cum'q; sibi ipse lex esset, leges nequaquam timuerit, & tan quam omnia sub pedibus subiecta haberet, tutus incesserit contra po puli rumores, contra tyrannorum libidines, atq; aduersus fortunam ita steterit, ut ingruentem eam à se repulerit. Neq; manum porre- xerit blandienti. CHA. Quam uere, & supraquam dici potest

magnifice de uirtute locutus es? Ac per Plutonem oratio ista hominum expressit felicitatem, quam parum tamen animo cernentes, cæcitate sua in perniciem magis uolentes eunt, quàm coacti trahuntur. Quotus enim ex ijs, quos innumerabiles quotidie transueho, non seipsum incusat? non stultitiam, quanquã sero queritur suam? Quo magis optimi hospites uestrum utriq; gratulor, qui & in agendo, & in perspiciendo, ueritatem sic secuti, atq; adepti fueritis, ut q̃ à uulgi ignorantia longissime recessistis, tam ad felicitatem proxime accessisse uideamini. Sed iam ut uidetis cursum hunc confecimus, et me traijciendis alijs opus est regredi, uos ut descendatis. Ite igitur felices, & quo animo uitam traduxistis, mortem etiam feratis, per quam iam estis immortalitatis uiã ingressi. Tu uero sapientissime Mercuri gregem hunc coge, & ubi uidebitur ad iudices propera. MER. Ego uero propero, uos sequimini.

GREX VMBRARVM NOCENTIVM.

Pergimus miseros uisere manes.
Flendo in lucis prodimus auras.
Flendo transigimus tempora uitæ.
Tristem flendo nauimus amnem.
Et quod restat iter, hoc quoq; flendo
Infelices conficiamus.
Minois miseris ora ferenda,
Et formidata Aeacus umbra,
Spectandus'q; truci cum Rhadamanto.
Nos latranti Cerberus ore,
Nos & multiplici gutture serpens,
Pascet'q; atro trux leo rictu.

GREX VMBRARVM INNOCENTIVM.

Nos fauoni lenis aura,
Et uirenti prata flore,
Nos beatis rura campis,
Perpetui'q; manent tempora ueris.
Mella nobis sponte manent.
Vina largo fonte sudent,
Ac liquenti lacte riui,
Grata'q; decutiant balsama rami.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI ANTONIVS. DIALOGVS. HOSPES SICVLVS. COMPATER NEAPOLITANVS.

Vae'nam quaeso bone ciuis Antoniana est porticus? COM. Antonium'ne hospes requiris, an eam quae ab illo porticus Antoniana dicatur? HO. Et porticum ipsam nosse, & Antonium uidere cupio, audio enim pomeridianis horis illic conuentum haberi literatorum hominum, Ipsum autem Antonium quanquam multa dicat, plura tamen sciscitari quàm docere solitum, nec tam probare quae dicantur, quàm Socratico quodam more irridere differentes. Auditores uero ipsos magis uoluptatis cuiusdam eorum quae à se dicantur plenos domum dimittere, quàm certos rerum earum quae in quaestione uersentur. COM. Haec illa est porticus, sane` dignus tali conuentu locus, in qua desyderare nunc quidem Antonium possumus, uidere amplius non possumus. Etenim solitudo ipsa meus'q; hic ornatus plane` tibi declarare possunt, amisisse nos Antonium. neq; enim unquam dicam mortuum, quem putem uiuere, quod & ipsum paucos ante quàm decederet dies acerrime differentem audiuimus, neq; eius me mors angit, quae uita est bonis, sed quod iucundissima eius consuetudine, sapientissimus'q; colloquijs est carendum. Quid enim erat laetis in rebus Antonio iucundius? quid rursus in turbatis, atq; asperis gratius? Incredibilis quaedam in eius oratione uis inerat res humanas contemnendi, ferendi'q; fortuitos casus equo animo, quippe cum omnia referret ad Deum, diceret'q; latere nos & bonorum, & malorum causas, Plera'q; autem uideri quae non essent mala, ut quae obiecta nobis essent à Deo, quo humana in ijs constantia fortitudo'q; enitesceret. Quotum enim fortem inueniri, si quieta & secura omnia nobis forent? natos esse homines ad comparandam uirtutem ad excolendos animos, neminem autem sine laboribus plurimis posse hoc assequi, sed decipi opinione, nimis'q; demisse, ac molliter nobiscũ nos ipsos agere, quae fluãt aquas salubriores esse, magis'q; probari, quae uero restagnent noxias, ac pestilentes esse. Nullum fortem Agricolã cui nõ incalluerint manus, nec medicum bonum qui non plurimis, ac maxime grauibus morbis curãdis uersatus sit ipse diutius, Milites

ab assuetudine perpetiēdorū laborū exanclatisq; periculis laudari. nullos deniq; artifices claros euadere, præterquam quos assiduus labor, longaq; exercitatio docuisset. Optimo itaq; & fortissimo cuiq; labores, ac molestias offerri à Deo, eamq; ueluti materiam præberi in qua sese exerceat, cum excellentia hominum cæterorū, Tum Imperatores ipsi quos præcipue ament, & quorum uirtus est prospectior, ijs grauissima & periculosissima quæq; demandent. Atque hanc quidem ipsam, non quæ prædam quæritaret maxime illustrem militiam esse. Et uero ignaui esse, imbecilli, desidis, odisse labores, fugitare molestias, uelleq; in otio, ac sub umbra marcescere. Sed cum Antonio optime iam actum fuerit. ad te hospes potius reuertar. Hæc, inquam, illa est porticus in qua sedere solebat ille senum omnium festiuissimus. Conueniebant autem docti uiri, nobilesq;, item homines sanè multi. Ipse quod in proximo habitaret, primus hic conspici, interim dum Senatus ut ipse usurpabat cogeretur, aut iocans cum prætereuntibus, aut secum aliquid succinens, quo animum oblectaret. Vt nuper paucos ante quàm morbo aggrauaretur dies recitare eum memini, cum ego adessem unà, & Herricus iste Pudericus quem hic uides. Est autem carmen quo uti oppidatim dicebat Apulos ad sanādum rabidæ canis morsum, in somnes enim nouies sabbato lustrare oppidum Vithum nescio quē è Diuorum numero implorantes, idq; tribus sabbatis noctu cum peregissent, tolli rabiē omnem, uenenūq; extingui. quod carmen quia memoria teneo, referam illud si placet.

» HO. Atqui pergratum mihi feceris. COM. Alme Vithe pellicane,
» oram qui tenes apulam, litusq; polignanicum, qui morsus rabidos
» leuas, irasq; canum mitigas, tu sancte rabiem asperam, rictusq; ca-
» nis luridos, tu sæuam prohibe luem.
» I procul hinc rabies, procul hinc furor omnis abesto.

HO. Sanè luculentum carmen, & per quam facilem Apulis ipsis Deum. COM. Felicissimos omniū eos mortaliū dictitare solebat Antonius. HO. Qui regionē incolerent tam intemperatā? COM. Etenī cæteros quidem homines cum nulli non stulti essent, uix stultitiæ suæ ullam satis honestam afferre causam posse, Apulos uero solos, paratissimam habere insaniæ excusandæ rationem. Araneum illum scilicet, quā Tarantulam nominant, è cuius ammorsu insaniāt hoīes, idq; esse q̄ felicissimum, quod ubi qs uellet, insaniæ quem suæ fructū caperet, etiā honeste caperet. Esse autem multiplicis ueneni araneos, atq; in ijs etiam q ad libidinem cōmouerent, eosq; concubitarios uocari, ab hoc araneo ammorderi quamsæpissime solere mulieres, lic

req; tum illas, fasq; esse libere, atque impune uiros petere, quod id ue
nenum alia extingui ratione nequeat. Vt quod alijs flagitium, mu-
lieribus id apulis remedium esset. An non summa hæc tibi quædā fe
licitas uideatur? HO. Per Priapum summa. COM. Parce hospes
obscœnis obsecro. HO. Atq putabā mihi in Osca regione uti obscœnis
licere, cū populariter audiā iurari per Deorū uentres, perq; iecinora
atq; per eā partem cuius ipsos ēt Cynicos perpuderet. COM. An igno
ras pessimū morum authorē populū esse? quid enim habet, quod ma-
ximo etiā iure non improbes? atq; hanc quidem iurandi impurita
tem mare attulit, utinamq; hoc solū à Catalanis didicisset noster po
pulus. Sicā ab ijs accepimus, nec est, quod Neapoli, q̄ hominis uita mi-
noris uēdatur. quod nisi uester Blācas Esculapius alter curator acces
sisset maiorē ciuiū partem excisis auribus, labijs, aut naso mutilo uide
res, Scortari quoq; sine pudore didicimus, atq; in propatulo habere pu
dicitiā. Iuuentus nostra lustris dedita, quod locandis noctibus à me
retricula quæritur, ipsa die ligurit. Ideoq; innocentissimus olim po
pulus dum à Catalonia reliquaq; Hispania comportandis gaudet
mercibus, dum gentis eius mores admiratur, ac probat, factus est in
quinatissimus. Sed quando accusari hæc possunt magis quàm corrigi,
nec satis est tutum, dicere de populi moribus desinamus. Quod autē
ad iusiurandum attinet, Scythas maxime laudare solebat Antonius,
quibus non per Deorum capita, aut corda ut his ipsis Hispanis, non
per corpora, ut nostris, sed per conuictum iurare mos esset. At pœnos
maxime irridere, qui per triplex iurarent uxoris repudium, Quip
pe quam ubi ter quis repudiasset, reuocare amplius in domum fas nō
esset. Sed qui præterit percunctandus est, ut Antonium iam agamus.

COMPATER NEAPOLITANVS. PERE-
GRINVS. HOSPES SICVLVS
COLLOCVTORES.

h
EVS Viator. PER. Sessores saluete. COM. Tu
ut uideo de sole æstuas. PER. At uos ut sentio de
umbra frigetis. COM. Hic homo sit ni fallor. PER.
Hi madescunt q̄d satis scio. COM. Heus hospes dic
quæso. PER. Heus ciues tacete obsecro. COM. At nos scire ex te quæ
dam uolumus. PER. At ego sciscitari pauca. COM. Sciscitator.
uacat. atq; etiam si placet sedeto. PER. Ad Regem propero, ad

Regiam utra ducit uia? COM. Vtraq;. Sed quaénam salutandi Regis causa? hoc enim ipsum scire cupimus, itaq; uicem redde. PER. Nimis quàm timeo nostræ Reipublicæ, ne paucis post annis occidione occidant populi. COM. Ab gladio ne an à pestilẽtia, an à diluuione timendum est nobis? Equidem et te syderum progressiones obseruasse reor, quando astrologorum est has clades prædicere. PER. Certiora affero. Maxima in singulis non modo oppidis, sed penè domibus uis est Gallorum septennium. eos satis compertum est anno septimo parere, enasciq; basiliscos serpentes, quorum obtutu homines infecti pereant. Quod nisi à Rege probe prospectum fuerit, actum est de Regni Neapolitani populis. Opus autem esse ut singulis in oppidis, singuli deligantur cauti, & solertes uiri, qui hæc mala Gallorum cæde procurent, uideantq; ne quid Respublica detrimenti capiat, Ego hac de causa, atq; ut Reipublicæ prosim meæ, ad Regẽ eo. uos ualete. COM. Abi bone ciuis, deq; patria benemerite. Dij boni, quàm multiplex est hominum stultitia? quàm inanes cogitationes? quid uanitatis in uita? quanta inanissimarum etiam rerum solicitudo. An est hospes qđ irridere hoc homine magis possis? si ridenda q̃ miseranda potius stultitia est nostra. HO. Quid obsecro ad hæc Antonius? COM. Fabellã hic aliquam suptexuisset qua declarare amplius posset hominum leuitatem. Calletiam olim mulierculam uictum quæritasse Caietæ. Hanc cætera uitæ munera obijsse satis laboriose atq; industrie. Cũ autem Alphonsus Rex Caietæ diuersaretur aliquando, uideretq; Calletia, tum uiros tũ matronas, omnes deniq; id agere, quo maxime modo Regem honorificentissime exciperet, eã pãnis supra pudẽda cõuolutis proficiscentem ad rem diuinam Regem, et præcedere in pompa nudato femore, & recedentem in regiam eodem habitu reducere solitã, nullisq; abduci potuisse rationibus, quin hoc honoris genere (sic enim dicebat) Regẽ prosequeretur. Quo' circa explicandis fabellis Antonius uel improbare quippiam solebat, uel laudare. HO. Bellissimũ hominem. Sed præconem hunc audiamus qui tantam sibi facit in populo audientiã. Regiũ uidelicet edictũ. nunq̃ uidi turgidiores buccas. Puto ego hominẽ fermento uesci. quos clamores Dij boni? PRAECO. LICERE, FASQVE ESSE IOVIANVM PONTANVM QVI HABITAT IN PROXIMO, TVTO EGREDI DOMO, TVTO PER VRBEM INCEDERE, TVTO ETIAM DE REBVS LATINIS LATINVM HOMINEM DISSERERE, ISTOS VERO GRAECISSANTEIS HOMINES, ATQVE ITALOGRAECOS, NIHIL EI MALEDICE-

RE, NIHIL INCESSERE, NON OCVLIS, NON BARBA, NON SVPERCILIIS, NON DENIQVE VLLA GRAECA ARTE ILLVDERE. HOC REGEM IPSVM EDICERE. SI QVIS SECVS FECERIT, BARBAM EI EVELLERE IMPVNE LICERE, PILLEVM AVFERRE, CREPIDVLAS ERIPERE. QVOD EDICTVM SANCTVM ESSE OMNES SCIVNTO, ID'QVE TVBA HAC TESTOR. HO. *Quid obsecro Iouiano huic græci ne tam sunt infesti?* COM. *Quin ipse græcorum est studiosissimus, eorumq; ueneratur disciplinas, ac suspicit ingenia, nec est quod græcos timeat. Esse autem nostrateis quosdam adolescentes, eosq; nuper è Græcia rediisse, qui cum nec græce sciant, nec latine, esse tamen gloriosissimos, quibus si barbam, pilleolumq; ademeris, nihil omnino græcum habeant. Eos ait, & græcæ, & latinæ orationis inculcatores esse, ubi cum græcis fuerint, mussitare, cum latinis autem mirum esse, quàm græce omnia. hinc illos irasci & penè furere, horum timeri audaciam, ceruicesq; insolentissimas.* HO. *Quid ipse didicit ne græcas literas?* COM. *Eas adolescens attigit, sed in Italia, nam in Græcia magis nunc Turcaicum discas, quàm græcum. Quicquid enim doctorũ habent græcæ disciplinæ, in Italia nobiscum uictitat.* HO. *Satis hæc noui. Sed obseruemus pilleatulum hunc.* COM. *Recte mones.* HO. *Quidnam is succinit? at uide quàm sibi placet, atq; utinam præteriens salutaret.* PER.

» ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Quid sibi hæc uolunt uerba? COM. *Rem optimam ait esse aquam.* HO. *An hic nos accusat ut parum sobrios? ego tam insignem iniuriam non feram.* COM. *Parce hospes. Pindarica est sententia, etiam ab Aristotele laudata.* PER.

» -ὁ δὲ
» χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
» ἅτε διαπρέπει νυ-
» κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.

HO. *An pergit maledicere?* COM. *Desine commoueri. aurum laudat.* HO. *Heus tu græcanice homo, quid malam in rem non te hinc proripis. Iudæis aurũ et fœneratoribus laudato.* COM. *Iram ponito. abiit. Hos uẽtris crepitibus similes dicebat Antonius, nares tantum offendere, cætera uentũ esse; si quidem uentosos esse, ac putidos. Sed quando suffarcinatulus iste iam abiit, nos ab Antoniana consuetudine aut quærendi aliquid, aut dicendi ne recedamus. Et iam dudum uideo Herricum hunc dicere. aliqd*

uelle. Quamobrem dicentem audiamus.

HERRICVS PVDERICVS. ADOLESCENS. SENEX. HOSPES.

a MMONVERE Me qui nuper præteriere adoleſcentuli Neapolitanæ nobilitatis, quæ propè iam interijt. Etenim cum conſydero iuuentutem noſtram præter maiorum inſtituta, domi, ac ſub porticibus deſidere. Eos uero qui Rempu. adminiſtrent, publicorum oblitos morum, nihil niſi ſuas tantum res agere, atq; in priuatum conſulere, non poſſum non deplorare noſtræ nobilitatis interitum. Dij boni, Ladislao Rege quæ noſtrorum ciuium domi, forisq́; erat induſtria? q̃ honeſta de omni uirtute contentio? Certamen erat domi'ne ſenes æquitate atq; conſilio, an foris iuuentus fortitudine ac fide maiore Rempu. gererent. Itaq; uideres ſeniores præſidere prouincijs, moderari populos, iuuenes in maximis rebus, ac periculis Regi adeſſẽ, certare qui fortiorem nauare poſſet operam. Adoleſcentulos mirum immodum à primis annis meditari patrium decus, equitando, iaculando, ſemper aliquid agendo, quo ipſorum apparere poſſet induſtria. nũc placet otium atq; mollities. Sequimur Scorta. deſydemus in ganeis. Alea in manibus eſt, atq; fritillus. turpiſſima quæq; habentur in pretio. Contentio eſt cuius uxor, ſoror, filia, pluris ueneat, nullumq́; inter ignauos, forteſq́; diſcrimen, niſi quod fortitudo odio eſt, atq; contemptui, ignauiſſimus q̃ſq; maxime carus, acceptusq́; multitudini. Iura, pietas, decus, demum omnia uenalia. Sed meipſum compeſcam, reuertarq́; ad Antonium, atq; hunc qui præterit potius adoleſcentẽ percunctabo. Amabo unde tantum hilaritudinis tecum affers bone adoleſcens? ADOL. Meo ab antiſtite. HER. Obſecro niſi præproperas, hilaritudinis tantæ nobis rationem explica. ADOL. Laborabat ex inteſtini plenioris morbo meus Antiſtes, de cuius ſalute medici cũ deſperaſſent, unus Panũtius archiater, ſolã hãc ſalutis relictam ſpem docuit, ſi diſploſo inteſtino animã incluſam expederet. Eũ igitur, cũ diem totum Deos orãs contriuiſſet, nec aliq̃d exploderet, reuerſus Panuntius monuit, uti corporis ſalute deſperata, pro animæ ſalute deos fatigaret. Tũ ille in deos deasq́; conuerſus, integrã ferè noctem in gemitu lamẽtationibusq́; exegit, dũ peccatorũ condonationem, ac uitæ cœleſtis tranquillitatem cœlites ipſos orat. Aderat familiaris ingenio non adeo ſuperſtitioſo, qui Antiſtitis quæſtus, precesq́; non ſatis æquo ferens animo,

Ecquæ

Ecquæ nam tandem, inquit, pater dementia ista est, putare Deos, cœli tibi particulam donaturos, qui ne leuissimi quidem pediti liberales esse uoluerint? hac urbanitate captus antistes, cum in risum solueretur, intestinum exoluit, quo de risu in crepitum exoluto, statim morbo liberatus est. Hæc letitiæ meæ causa, hæc uoluptas est, qui herum saluum factum tantopere gaudeam. Is igitur post aliquot dies confirmatis, ac refectis uiribus, cum ludere quantillum cupiat, frontonillam arcessit, quàm intellexit non multos ante dies facere quæstum cœpisse. me qui scortillum nossem rogatũ mittit, uti cum lauerit leuerit'q; ad cœnam eat. Dixi quæ cupiebatis. abeo, uos ualete. HER. O' secula, o' mores. fuit fuit olim in sacerdotibus christianis cõtinẽtia et castitas, dum innocentia in honore, dum paupertas in prætio fuit. Nunc (prò pudor) quæ non sentina mundior sacerdotio est? Ecce autem qui leuare dolorem hunc queas, senex præterit, octogenarius, cantitãs amore insaniens. è media scilicet Valentia delatum hoc est. Audiamus si placet? SEN.

» Ne rugas Mariana meas, neu despice canos.
» De sene nam iuuenem dia referre potes.

HER. Bellissimũ senem. Videtis quàm blande salutat fenestellas? quàm larga etiam manu rosam spargit? quid hoc sene delirius? SEN.

» Digna Iouis thalamis o' & Ioue digna marito,
» Quid mirum si me candida nympha fugis?

HER. Etiam lacrimatur. SEN.

» Delitiæ Mariana meæ si digeri[illegible]s,
» Iupiter hac fiet iam ratione sen[illegible].

HER. Lepidissimam argumentatione[illegible] [illegible]EN.

» Et cani flores, orientia sydera cana,
» Cana'q; quæ torquet spicula blandus amor.

HER. Canitiem sanè iuuenilem. sed compellemus hominem. Amãtissime adolescens per eum quem colis amorem, per'q; uiridem, atq; florentem ætatem tuam, eam'q; quam deperis uirginem rogatus, et nos de amoribus solicitos nostris adi atq; alloquere. Equidẽ uel ex te uno iudicari planè potest, recte sensisse illos, qui Venerẽ elegantiarũ deã fecere. quid enim te qui in Veneris contubernio uiuis elegantius? Age amabo quàm tibi cũ amoribus tuis blande? quàm è sententia? SEN. Suauissime, quippe cum decreuerim quæcunq; in amore hoc mihi accidant, iucundam in partem accipere, irascitur, auersatur, contemnit, fugit, ad uoluptatem refero, grauissime'q; obiurgandos censeo, qui regnum amoris accusant, Bellissimi pueri, lenissimi heri, indulgentissi

mi dei. hic munditias, nitorem, ornatum leporem, comptum, ludos, iocum, carnem, elegantiam, delitias, omnem deniq; uitæ suauitatem inuenit. Me, qui senex sum, ætatis huius molestiarum oblitum, non tantum nõ inuitum, sed uolẽtem quoq; ad suauissima quæq; secum trahit. Sequor conuiuia, cantus, hymenæos, choreas, pompas, festos dies, theatra. Sed iam asserenascit. illam ego ad fenestram uideo quæ me immortalium uitam agere inter mortales facit. o' fulgentissimum iubar, ac rerum specimen. HER. O' inane, & lubricum caput. Ne autem delirantem hunc senem hospes mirere, ciuitas nostra tota delirium est. utinam'q; non tam uere, urbem hanc solam liberam esse usurpasset Antonius, in qua una, cuiq; quod libitum esset liceret. Sed comprimenda est oratio. Euphorbia transit. Assurgamus mulieri, atq; offam hanc cerbero obijciamus. Et iam præterijt, abijt. bene habet. salua sunt omnia. Memor es hospes belluæ illius quàm dux pœnorum Annibal uidit in somnis, siluas, agros, uillas, oppida, quaq; incederet cuncta uastantem? Hæc illa est bellua, nequaquam tamen ut illa somnium, sed historia, & uera quidem bellua. Ciues quidem cæteri, aut horologium, aut galli cantum secuti, e' somno cubilibus'q; excitantur. at uiciniam nostram Euphorbiæ clamores'ne uidere quidem somnum noctibus patiuntur, quasi dies agere quietos ualeamus. Clamat. inclamat, frendit, dentitonat, hinnifremit, rixatur, furit. ueru, pelues, patinas iaculatur, titionatur. candelabratur, nouis enim uocabus, nouus belluæ huius furor exprimendus est, atq; utinam exprimi plane' posset. ancillas alias del[illegible]bat fustibus, alias mutilat gladio, has unguibus excæcat, ill[illegible]s pugnis exossat. quid multis opus est? pestis quidem ipsa, Euphorbia pestilentior non est. Ferunt germanos olim prædicare, [illegible]ltos, se à Dite patre ortos. Ego uel deierare ausim, treis illas f[illegible]rias, herebum quoq; ipsum Euphorbia prognatos esse. HO. Dij talem pestem auertite. Quid obsecro de hac Antonius? H[illegible]R. Optime consultum iri Romano Pontifici, si Euphorbia hæc in summo alpium iugo constitueretur, cuius uociferationibus momento eodem Germaniæ, galliæ Britaniæ, ad concilium arcessiri possent, orbis enim terrarum campanam Euphorbiam esse. HO. O' salsum atq; urbanum hominem. Sed qui nam hi sunt quos composito ad modum gradu, uultuq; adeo graui concedentes ad nos uideo? HER. Iunior ille Elisius Gallutius suaui uir ingenio, Andreas alter Contrarius, facundus, ac præstans rhetor, grauissimi uterq; uiri, nostro'q; ex ordine, quibus aduenientibus de more collegij huius assurgendum est.

ANDREAS CONTRARIVS, COMPATER, HERRICVS. ELISIVS.

ALVTEM Vobis multam, atq; opulentam dicũt
s Elisij Camenæ. COM. At nos & Elisium Haue
re, & Andream opulenter saluum esse iubemus, neq;
enim grammaticos adeo ueremur, ut opulentiam cum
salute coniungere timeamus. AN. O' Minime superstitiosum homi
nem. Sed ut hoc facilius condonetur à nobis tibi, tamen ne in gram
maticorum iram incidas etiam, atq; etiam uide. COM. An obli-
tus es Antonij, catellorum (hoc enim uerbo utebatur) eos persimileis di
centis qui de ossibus, deq; frustillis, ac miculis si quæ forte sub men-
sam decidant, rixentur. O di ego amicum genus, stomachorq; agre-
stem acerbitatem, ac putidas insectationes. Sed amabo quinam inter
uos sermones erant? AN. Hoc ipsum agebamus, aut potius indigna
bamur, ab rabiosa eorum garrulitate, tuti nihil esse, siue uersiculum
edideris, siue epistolam scripseris, quorum ipsorum scriptis oculum
si admoris, nihil inertius, nihil inconcinnius, nihil oscitatius uideas,
quippe cum nihil supra grammaticum habeant. Et tamen operæpre
tium est uidere, neglecto, aut potius abiecto Cicerone, quantum præ
seferant dicendi artem, atq; scientiam. Inuasere rhetorum mate-
riam, quorum etiam agros depopulati, quod uideant acutiora quæ
dam ut ipsi putant, à Quintiliano tradi, in Ciceronem sublatis si
gnis, agmineq; instructo procedunt, nec intellegunt Ciceronem sic
à Quintiliano laudari, ut hunc suspici ndum, hunc imitandũ esse
moneat, dono quodam prouidentiæ genitum in quem totas uirtutes su
as, eloquentia experiretur, Id deniq; non immerito consecutum, ut Ci
cero iam non hominis nomen sed eloquentiæ habeatur? quod si lo-
qui uera uolumus, illa uel summa Quintiliani laus est, quod diui-
næ Ciceronis eloquẽtiæ diligentissimus obseruator, atq; inspector fue
rit. Quid enim quãuis acute ab eo in dicendi arte præcipitur, quod
non è Ciceronis fonte haustum sit? qd tam rarũ, aut sepositũ ostendi-
tur, quod non Ciceronis orationũ exemplis testimonijsq; doceamur, il
lum orãtem egisse, quæ post à Quintiliano, rhetoribusq; alijs consy
derata, atq; animaduersa scriptis obseruanda tradantur? Arguitur
Ciceronis de oratoris fine sententia, quod nõ sit dicere apposite ad per-
suasionem, sed sit solum benedicere oratoris finis, nec uidẽt acutissi-
mi hoĩes duplicem in oratore finem consyderãdũ esse, quod Boëthius
qdem uidit, si non tam acutus grãmaticus, at certe rerũ naturæ peri-

tissimus, ac definiendi magnus artifex. Ait enim quod inter dialecticam, atq; rhetoricam interest, id in materia non cerni, quippe cũ utraq; thesim, atq; hypothesim subiectam habeat, sed in usu, cum altera interrogatione, altera perpetua oratione utatur, ac dialectica integris syllogismis, rhetorica enthymematibus gaudeat, Item in fine, quod dialectica quæ uult, extorquere ab aduersario conatur, rhetorica iudici persuadere, Siquidem dialecticus dialecticum tantum habet aduersum se constitutum, orator uero habet etiam iudicem, qui inter se, atq; aduersarium sententiam ferat. Quo circa oratoris finem duplici ratione consyderandum esse censet, alterum quidem in oratore ipso, in iudice uero alterum. In ipso quidem benedicere, qđ quid est aliud quàm dicere apposite ad persuasionem? In iudice uero persuadere, neq; enim siqua impediant oratorem quominus persuadeat, dum officium suum fecerit, icirco finem consecutus non est, siquidem qui officio suo cognatus est finis eum facto officio consequitur, ac tametsi eum qui extra positus est, finem non semper attingit, fine tamen suo contentus esse potest, sentiens artem ipsam, qui suus est fine non fraudari. Etenim medici opera cum in sanitatem intenta sit, Imperatoris in uictoriam, licet neuter finem qui extra constitutus est nonnunquam adipiscatur, uterq; tamen suum assequtur si alter ægrotum recte curauerit, alter exercitum, ac rem bellicam bene administrauerit. Duplex igitur oratoris finis est benedicere, ac persuadere, quod utrunq; Cicero complexus est, & cum ait oratoris officium esse dicere apposite ad persuasionem, nam qui apposite dicit, bene quidem dicit, id quod Quintiliani sententiæ conuenit, iudicantis rhetoricæ finem ac summum esse benedicere. Et cum post subdit oratoris finem esse persuadere dictione, quia oratoris dictio apud iudicem est, complectitur qui sit pro suscepta causa benedicendi finis. Quod si orator dicendo persuadet, neq; enim temere à Cicerone dictum est, persuadere dictione, nec Quintiliano, nec oblatratoribus his dicere opus est, quod pecunia etiam persuadet, quod forma, quod alia etiam multa, nam nec pecunia dicendo persuadet, nec forma, trahit enim animos hominum pecunia rerum utilium cupiditate, ac gratia, forma uoluptatis. Ostendere autem cicatrices inde susceptum est, quod insitus est homini naturaliter misericordiæ affectus, qui tum uidendo, tum audiendo mouetur, id'q; consilij prudentiæ'q; est agere. Quo orator cum utitur, non quidem dicendo, sed agendo persuadere conatur, Licet huiusmodi actiones oratoris propriæ sint, unde agere dicitur, quibus etiam uerba, gestum'q; idoneum accommodat. Et cicatricum

quidem

quidem ostentatio, non multum habitura est uirium si oratio defuerit, quæ lacrimas ac misericordiam excitet. Nam authoritas, dignitas, aspectus, si mutus fuerit, quomodo persuadeat, aut quid psuadeat? quod uero ad meritorum recordationem attinet, an parū tibi loqui merita ipsa uidentur? quæ beneficiorum in remp. quæ rerum fortiter gestarum memoriam reuocent, quæ gratitudinis admoneant? Etenim eorum qui diem obiere, siue amici, siue inimici fuerint, cum recordatio nos subit, quod ab ijs recte aut male facta quæ in mentem ueniunt loquendi uim quandam habeant, uel excitatur in nobis desyderiū, uel odiū renouatur. Quocirca loquūtur hæc quodammodo per se, ac nihilominus ut iudices, ut auditores moueant, dicente indigent, qui quo fuerit eloquentior, eo magis commouebit. Ac mihi quidem uidetur Cicero, tum addendo apposite ad persuasionem, tum dicendo persuadere dictione, auertisse à se id quod Quintilianus, pace eius dixerim, non modo non auertit, sed ne uidit quidem. Si quis enim quod declamatores faciunt, nullo dato iudice causam domi fingat, & utriusq;, idest suas, & aduersarij partes agat, hinc accusando, illinc defendendo, huius nimirum erit finis tantum benedicere. Quid enim aliud in causa domi composita nullo uero aduersario, nullo iudice quæretur nisi solum benedicere? quo fit ut in causa ficta idem sit finis, qui est in uera benedicere, neq; inter fingere, & apud iudicem uere agere aliqd intererit. quo qd magis absonum? qd magis absurdū? Hoc uidens Cicero declamatorē sic ab oratore se iunxit, ut qđ unum intererat, id officium ac finem oratoris ostendendo exciperet, cauillumq; auerteret. Inter officium autem, & finem parum interesse Cicero ipse ostendit, cum docet in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat consyderari. Videtis quàm planè per officium expresserit finem qui in oratore consyderatur? cum quid fieri conueniat, ait. Porò qd facere oratorē cōuenit, aut quæ eius officij partes sunt, nisi benedicere? quod qbus artibus et quæ faciendo assequi possit, ipse iam tenet, per finem uero ostēderit, id quod benedicendo quæritur, psuadere. Nam cum ipse hominum actiones ob finem aliquem suscipiantur, ac finis alius alium respectare uideatur, finis ille quem in oratore ipso constitutū diximus hoc est benedicere, in aliū illū finē itendit q extra positus est, sicuti recte curādi finis ægroti sanitatē, ac rei bellicæ bene administrādæ de hoste uictoriā respiciat, ab illis enim ad has est uia. Eteni cū finis in rebus humanis sit, ut opinor, ad quem cuncta referantur, & cuius gratia fiunt cætera omnia, nimirum ut sit finis oratoris benedicere, be-

nedicendi ipsius finis est persuadere. Itaque si oratorem consyde-
rare uolumus ut dicentem tantum, finis eius erit benedicere, sin ut
agentem in foro, ac iudicis animum quibus potest artibus in senten-
tiam suam, atq; in causam, quam agendam suscepit trahere conten
dentem, Ciceronis de fine sententia erit absoluta, Quintiliani uero
manca, atq; imperfecta. Nõ consyderari autẽ forũ, forẽsisq; actionis
finẽ ab eo, q̃ dicit oratoris finẽ esse benedicere, q̃uis paucis, manifesto
tamen ostendemus. Quintiliani ipsius cum de rhetoricæ noĩe latine
interpretando loq̃tur, uerba hæc sunt. Nã oratoria sic efferetur ut elo
cutoria, oratrix ut elocutrix. Illa autem de qua loquimur rhetorice ta
lis est, qualis eloquentia. Igitur si rhetorica eloquentia est, & orator
erit eloquens. Eloqui autem aliud non est quàm benedicere, qui enim
eloquitur benedicat, & eloquentia erit benedicendi siue facultas, siue
ars, siue scientia. Quare dicere oratoris finẽ esse benedicere, eius est,
qui nec susceptæ in foro dictionis finem consyderat, ut si quis aratoris
finem dixerit bene arare, cum bene arandi finis sit serere. Nec clien
tem respicit, non secus, ac si quis dixerit medici finem esse bene cura
re, quæ definitio ægroti ipsius qui medicum sibi adhibuit nullam ui
detur habere rationem. At qui dicat oratoris finem esse dicere apposi
te ad persuasionem, & eius qui dicat, & eius pro quo dictio suscepta
est, rationem complectitur. Quæ finitio perfecta quidem est, cum &
officium eius qui dictionem suscepit ostendat, & causam idest fi-
nem, cur officium susceptum sit, declaret. Qua tamen in re pertinacio
res non erimus, ut qui onus hoc defendendi Ciceronis, aduersus Qui
tilianum non susceperimus, quippe qui non oblatrando, sed quæren
do modestissime oratoris finem inuestigare nititur, quem quodam in
loco dicentem audiamus. Nam illud genus ostentationi compositum,
solam petit audientium uoluptatem. ideóq; omnes dicendi artes ape
rit, ornatumq; orationis exponit, ut q̃ non insidietur, nec ad uictoriã,
sed ad solum finem laudis, & gloriæ tendat. Quare quicquid erit
sententijs populare, uerbis nitidũ, figuris iucundũ, tralationibus ma
gnificum, compositione elaboratum, uelut institor quidam eloquen-
tiæ intuendum et penè pertractandũ dabit, nam euentus ad ipsum,
non ad causam refertur. At ubi res agitur, & uera dimicatio est, ultĩ
mus sit famæ locus. Videtis ut his uerbis uictoriam quæri, non bene
dicendi laudem, & gloriam ostendit? Sentitis quid dicit, cum euen-
tum non ad ipsum, sed ad causam referri dicit? Et quod hoc fortasse
minus apertum esset, subdit ubi res agitur, & dimicatio uera est,
ultimus sit famæ locus, docens in uictoriam totis uiribus incumben-

dum, quæ quidem nisi persuaso iudice, ac benedicendi arte, uiribusq́; eloquentiæ expugnato comparari nequeat. Verum aduersus grãmaticos istos inquam grammaticos hæc dicenda suscepimus, quorũ dentibus ut nihil mordacius, sic morsibus uenenosius nihil est, errasseq́; non parum uideri potest Antonius, qui catellorum eos persimiles, ac non canes, immo rabidas canes, aut uenenosas potius aspides diceret. Operæpretium est etiam uidere quibus latratibus, quoq; impetu in Ciceronianam status definitionem ferantur. Sed nolo uobis hospiti præsertim huic, esse molestior. COM. Et hospiti huic, & cæteris qui assumus rem gratissimam feceris, quod declarare nostrum omnium tibi abunde perspectum in Ciceronem studium potest, & hospitis tanta in te audiendo attentio. Sed de Antonio aliter tibi persuadeas uelim. Narrare enim solebat, grammaticorum rationem nullam esse prætoribus, quippe qui furentium in numero haberentur, Cumq́; furoris, atq; amentiæ genera licet diuersa, comprehensa tamen à Physias essent solam grammaticorum uesaniam, non modo incomprehensam, uerum etiam incomprehensibilem esse, quam nouo quodam ficto nomine labirynthiplexiam uocabat. Referebat enim Sibyllam nutricem suam quoties grammatico cuidam qui per id tempus Panhormi docebat obuiam fieret, carmine usam, quo Siculi aduersum canes rabidas uterentur. Solas etiam grammaticorum animas post mortem non expurgari, quodq́; infernus eas expiandas non caperet statim redire in corpora, ac propterea contingere ut in dies, atq; in secula grammatica dementiores essent, Platonemq́; hoc ipsum latuisse, item Virgilium, Dantemq́; qui de rebus infernis ultimus scripsit. Hæc habui quæ pro Antonio excusando dicerem. Tu perge Andrea, & Ciceroniani status defensionem aduersus Antonianos catellos, uel tuas potius aspides aggredere.

AN. Faciam eo libentius, quod Herricum nostrum uideo ex oratione hac, quæ aduersum grammaticos habita est mirificam uoluptatem cœpisse. HER. Dici uix potest quàm me sermo iste delectet, præsertim cum in memoriam ueniat, inter duos olim grammaticos gladijs actam rem esse, dum alter alteri uitio daret, quod uerbo impleo generandi casum adiunxisset, ac neuter memor esset Liuij hoc ipso casu utentis libro quarto. Ne ita omnia Tribuni potestatis suæ implerent, ut nullum publicum consilium sinerent esse. Item quinto libro. Ipse multitudinem quoq;, quæ semper ferme regenti est similis, religionis iustæ impleuit. Sexto etiam casu utitur cum ait. Carcerem impleueritis principibus. adeo promiscue ueteres uerbum hoc

& secundo & sexto casui iunxere, quod docti illi, & acuti grammatici dum ignorant, dum alter alterius sinum, atq; os despuit, res ad gladios uenit, tandem'q; à grammaticis ad chirurgos. Sed quæ mihi multa generis huius in mentem ueniunt, referre desinam, ne tibi sim impedimento, quare quod cœpisti perge exequi, ac uoluptate
» hac nos exple. AN. Primo loco Ciceronem uideamus. Constitutio
» est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc
» modo fecisti, non feci, aut iure feci. Deinde Quintiliani status qui
» sit ex ipsius uerbis intelligamus. Statum quidam dixerunt primã
» causarum conflictionem, quos recte sensisse parum elocutos puto.
» Non enim est status prima conflictio fecisti non feci, sed quod ex pri
» ma conflictione nascitur. Et paulo post. Si enim dicat quis so-
» nus est duorum inter se corporum conflictio, erret opinor, non eni
» sonus est conflictio, sed ex conflictione. Hæc uterq; de status constitutionis'q; definitione. Nos quid definitio ipsa sit, primum uideamus, quæ ut doctissimis uiris placet oratio est explicans quid sit id, de quo est quæstio. Quo'circa proprium definitionis esse uidetur explicare, hoc est distincte, atq; expresse demonstrare rei quæ definitur, substantiam, seu quid illud ipsum de quo quæritur sit. Hoc enim intellecto, ipsa res ut intellegatur oportet, Siquidem id quod ante definitionem erat, ut ita dixerim, confusum, & complicatum, ubi definitio accessit, distinctum, atq; explicatum cernitur. Etenim cum hoc ipsum nomen homo parum expresse quid homo ipse sit indicet, ubi dixeris hominem esse animal rationale, mortale, quod erat inuolutum, nec satis patebat, fit expressum & clarum, ipsa'q; substantiæ explicatio fit, quoties genus quo quid continetur, & species illæ, quæ differentiæ uocantur definitionem ipsam abunde simul constituunt, qua hunc inmodum constituta, quæ confusa erant, diffusius tracta cernuntur. Ex quibus efficitur, ut genere, differentijs'q; monstratis, substantia ipsa appareat. His sic explicatis uideamus harum utra definitionum, rem quæ definitur melius, clarius'q; ostendat, cum uideamus de re ipsa quæstionem non esse, Siquidem Quintilianus ipse qui hac definitione usi essent recte quidem sensisse, parum tamen elocutos putat. Ciceroniana ni fallor definitio, quod genus & differentias explicat, substantiam profecto ipsam explicat. Nam conflictio generis locum obtinet, omnis enim status conflictio est, non contra, siquidem non soli oratores confligunt perinde, ut non solus homo est animal, sed athletæ, sed milites, sed exercitus etiam confligunt. Prima uero cum dicatur, species, ac differentia in-

dicatur. Siqdem plures quæstionum status esse, eadē in causa possunt, quod ipse quoq; Quintilianus ostendit. Prima igitur conflictio, species quædā conflictionis est, sicuti rationale species quædā animalis. Deinde additur ex depulsiōe intentionis profecta. Quo addicto planè declaratur cōflictionem hinc ex intentione, illinc ex depulsiōe nasci, ut intellegatur quemadmodum non omne rationale animal, ut Plato putat, mortale est, sic non omnem conflictionem, ex telorum missiliūq; iaculatione, ac manuum consertione, cuiusmodi militaris conflictus est existere. Videtis ut his in definitione simul positis, res ipsa non implicata et in abdito posita, sed explicata atq; in lucem cernatur exposita? Contra Quintiliani definitio, non solum rem ipsam in lucem non educit, sed audientem statim turbat, & cogitationem eius ad plura ac diuersa trahit. In lucem autem non exponi rem ex Quintiliani definitione, hinc probatur, quod genus ipsum nimis remoto è loco apparet, cum sit res, siue ut hodie dicunt ens. Dicitur enim id quod ex prima conflictione nascitur, idest res quæ inde nascitur. Ac tametsi uerum est quod conflictio causarum sit res, sit ens, tamen hoc ipsum ens, maxime generale est. Siquidem & lapis, & lignum, & lana, et corpus, & color, & uox, & forma, & statura, & cœlū, et animal, & quodcunq; in naturalibus est, ens, ac res est. Itaq; genus hoc confundit, magis quàm explicat, dum auditoris mentem in tam multa, ac diuersa rapit. Illud deinde quod ex prima conflitione nascitur, magis ac magis & turbat, & confundit & quasdam quasi tenebras illorum qui audiunt mentibus offundit, ut cum dicamus homo est, id quod ex corpore & anima constat, quod ipsum non modo de boue, crocodilo, ape, serpente, pisce, accipitre, sed de arbore, herba, fruticéq; dici potest, nec aliud est dicere, quàm quod animans est, quod genus plurima diuersáq; complectitur. Siquidem & arbores, & herbæ, et frutices animantes sunt, anima enim constant, & corpore. Quod si dicere malueris homo est, id quod ex animali rationali mortali est, hominis substantiam non solum non explicabis, neque in apertum proferes, sed rem ipsam magis, ac magis implicabis. Neq; enim homo solum est ex animali rationali mortali, sed coniugium, sed familia, sed ciuitas, sed humani generis societas. At dicere homo est animal, rationale, mortale, non solum mentem non cōfundit, sed rem ipsam planè ostendit. Idq; quod definitur, & quod definit, ita sibi inuicem conueniunt, ut mutuam conuersionem alternatim faciant. Siqdem et animal rationale mortale est homo, id quod non usu uenit, cum dici-

tur, homo est id quod ex corpore & anima est, & quod ex corpore & anima est, homo est, cum possit esse accipiter, piscis, equus, apes, ulmus, brasica, uitis, ligustrum, quæ quod animantes sunt, è corpore & anima sunt. Itaq; cum dicimus constitutio est prima conflictio causarum nata ex intentione depulsionis, ita sibi quod definit, definiturq; inuicem consentit, ut conuertere liceat pari maximéq; conueniente consensu, recte enim explicatéq; diceretur, prima causarum conflictio ex intentionis depulsione nata, constitutio est. Contra confusa nimis definitio erit, nec cum eo quod finitur pari modo consentiens, si dixerimus ut Quintiliano placet, status est id quod ex prima conflictione causarum nascitur. Id'q; quod ex prima conflictione causarum nascitur est status, cum è prima conflictione in qua causa consistit, plura nascantur, quæ ad statum, & causam faciunt, ut cum signa ex quibus coniectura capitur afferuntur, cum testes in medium adducuntur, cum leges recitantur, cum de legibus pugnatur, & huiusmodi alia, quæ non modo conflictionem sequuntur, sed absq; ijs conflictio esse nequeat. Age consyderemus rem maxime similem, militarem conflictum, non sonum ut Quintilianus. Si quis dixerit militarem conflictum esse id quod existit ex militum certamine, manibus'q; consertis, primum nec rem ipsam distincte explicabit, nec conuertere alterum in alterum tam æqua reciprocatione poterit, ut recte dicatur id quod ex militum certamine manibus'q; consertis existit, conflictus militaris, est, neq; enim ex militum certamine, manuúq; consertione solus conflictus existit, sed cædes, mutilationes, percussiones, uulnera, fuga, uictoria. Itaq; cum hæc audiuntur quod quid potissimum intellegere habeatur incertum sit, distrahetur huc, atq; illuc animus, rapieturq; in plura atq; diuersa. At si dixero conflictum militarem esse militum manum conserentium certamen, statim genus apparebit, idest certamen. Omnis enim conflictus certamen est. At nō contra certamen omne conflictus est, nam & puellæ certant de forma, & reges de magnificentia, cum addo manum conserentium, speciem, differentiamq; sic exprimo, ut nihil dubium, nihil in confuso relinquatur, licebitq; magno utrinq; consensu conuertere, militum manum conserētium certamen conflictum esse militarem, ac militarem conflictum, conserentium manum militum certamen esse. Illud igitur inter Ciceronis, Quintilianiq; definitionem interest, quod inter has quas modo posui militaris conflictus definitiones. Ac si loqui uera uolumus, altera idest Ciceroniana est philosophi rem explicantis, atq; ante oculos ponentis. altera eius qui id potius quærere uidea

tur, ut qui audiunt cæcutiant, magis quam ut recte uideant. Quoniam igitur Quintilianus ipse recte quidem sensisse, parum tamen elocutos putat, qui sic statum definiere, uidete obsecro uter ipsorum rem eloquatur. Mihi quidem Cicero eloqui rem & explicare, Quintilianus uero balbutire quodammodo (tanti uiri pace dixerim) uidetur. Poteram multa quæ de ratione definiendi a doctis uiris traduntur hūc in locum conferre, quæ non duxi esse necessaria contentus paucis his ostendisse, Ciceronem bene, expresse, caute, plane, statum definisse. Quam nostram defensionem tantum ab accusando Quintiliano abesse uolumus, ut uideri uelimus, non aduersus Quintilianum causam suscepisse, sed ut qui potius Ciceronem, a grammaticorū qui nunc uiuunt rabidis morsibus liberare studeremus. Tu uero Herrice uicem redde, & quam aduersus grammaticos bilem paulo ante conceperas, meo etiam rogatu euome, Aut si te capitis fortasse grauat abscessus, Elisio nostro prouinciam hanc delega. HER. Quin potius quando in Virgilium quoq; dētes exacuere, & me tussis male habet, maximi Poëtæ, studiosissimus poëticæ Elisius patrocinium suscipiat. Quod te Elisi suauissime per Antonij nostri manes, quādo qua te maiore obtestatione cogam non habeo, oro atq; obtestor. ELI. Et poterat Andreas, & sponte etiam debebat, prouinciam hanc pro Virgilio suo suscipere. Quis enim Andrea Virgilij studiosior, ac dignitatis, excellentiæq; carminis, atq; operis eius inspector acutior? Sed me uel obtestatio ad hoc impellit tua, uel quod abunde multa memini quæ de Virgilij laudibus dicere solebat Antonius, cuius memoriam hospiti huic ut siculo, quem esse siculum ornatus ipse indicat, arbitror quàm gratissimam. Cæterum Andreas & quæ a me referentur locupletare rationibus poterit, & tanquam iudex aduersus Virgilio carpos sedere, Qui magis enim dicere Virgilio mastigas liceat? Atq; hinc potissimum incipiam, de quo me paulo ante Claudianus admonuit, Cuius uersus sunt de monte Aetna.

» Nunc mouet indigenas nimbos, piceaq; grauatum
» Fœdat nube diem, nunc motibus astra lacessit
» Terrificis, damnisq; suis incendia nutrit. Virgilij sunt.
» Portus ab accessu uentorum immotus & ingens
» Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.
» Interdumq; atram prorumpit ad æthæra nubem,
» Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
» Attollitq; globos flammarum & sydera lambit.
» Interdum scopulos, auulsaq; uiscera montis

» Erigit eructans, liquefactaq́; saxa sub auras.
» Cum gemitu glomerat, fundoq́; exæstuat imo.

Hos Fauorinum philosophum dixisse aliquando Gellius scribit, à Virgilio incohatos magis quàm factos, quod absolui quando mors præuerterat nequijssent. Et Fauorinus quidem ea uerecundia usus uidetur, ut excusasse, magis quàm incusasse Virgilium uideri possit, quem Antonius non poterat de moderatione hac non laudare, Cæterum non omnium esse de liniamentis, inumbrationibus, artificioq́; poëtarum iudicium ferre, quæ præterquam à poetis ipsis uix cognoscerentur. quod in pictura quoq; contingit, in qua multa sunt, quæ nisi summi etiam artifices non uideant. Aetnæ montis naturam, id cõsilij non fuisse sibi Virgilius ipse præ sefert, ut uellet pro assumpta, & quodămodo destinata materia describere, nec rei causas exquirit, ut Claudianus, nec spumantis materiæ flumina ostendere uult ut Pindarus, sed cum describere portum Aeneæ ore cœpisset, dixissetq́; ab accessu uentorum immotum et ingentem ipsum quidem, subdidit rem maxime admirabilem, adeoq́; monstrosam, cuius Aeneas ipse memor factus esset, ut à portus descriptione, rei ipsius miracu-
» lo auerteretur. Ipse, inquit, portus ingens quidem hoc est nauium plu
» rimarũ capax, sed uisu, sed auditu mirabile est Aetnam montem ter
» rificis iuxta ruinis tonare, qua commotus admiratione, atq; à portu
» auersus, in illa explicanda primum ab auditu cœpit. Videtis artifi-
» ciosi poëtæ prudens consilium, quod in admirabili re enarranda tra
» ctum se ammiratione ipsa ab initio statim ostendit? Audire est, in-
» quit, cum nulli corporum uideantur conflictus, è quibus soni fiunt,
» non sonitum modo, ac si parum esset sonitum dicere, sed tonitrum
» ex horrificis montis eius ruinis. Quæ in aere maximo cum terrore
fierent, ea dixit sub teris fieri. Simul cum rei miraculo causam quoq; leuiter attingit. Nam neq; decebat Aeneam, causas incendij atq; fra
» goris illius exactius quærere, aut aperire. Tantus autem fragor nisi
» è fractione esse non poterat, quam fractionẽ ruinas nominans osten
» dit. Cum etiã dicit tonat, montem confragosum innuit. Nanq; confli-
» ctus illi, & tanti sub teris fragores nisi in concauo & cauernoso
» fieri nequeunt, easq; conflictiones uentorum, atq; ignium in cauer-
» nis esse dicit, ut confligentium nubium tonitrua imitentur. Singulis
» uerbis rem auditu mirabilem facit, quod, ꝙ tonat, ꝙ ruinis & qui-
» dem horrificis, cum horror absq; membrorum concussione, animiq́;
» consternatione non contingat, Dehinc cum auditui satisfecisset, tran
» sit ad uisum aliquanto longius in parte hac immoratus, ut per hunc

ſenſum rem admirabiliorem redderet, quod uidendo quàm audiendo apparere plura ſoleant. Vtq; audientium animos magis, ac magis rei miraculo afficeret, non ſecernit ea quæ noctu, quæ'ue inter diu uiderentur ut Pindarus. Dicit interdum, ideſt nunc hoc, nunc illud, dum non uult diem à nocte ſecernere.

Atram prorumpit ad æthera nubem.

Videtis ut à ſe non recedit, dixit tonat. dicit nubem. tonare enim & nubeſcere in aëre contingit. Cernitis ut rem effert, cum non fumum ſed nubem, & quidem atram, & prorumpit, quod uiolentum uerbum eſt, & æthera potius, quàm aërem, ut nimium impetum abſolueret. Fumantem, non ita quidem ueritatem uelat, ut non ſuis aliquando nominibus rem exprimat, Fumi enim ex aſpiratione ignea, non nubes exſurgunt. turbine piceo. et impetum & colorem non ſine quadam animi commotione deſignat. Eſt enim turbo uentus et tortuoſus, & uiolentus, & fortaſſe reſpexit turbinis ipſius glomerationem. Ad hæc piceus color in nubibus terrificus eſt. duo hæc ſimul coniunxit, ut rei miraculum augeret. Nec non flammas, fumos, lucem, tenebras, fauillas ſimul miſcet, & turbinem piceum, & fauillam candentem. quid amplius? globos etiam flammarum attollit. & quod ſatis hoc non uideretur, lambit etiam ſidera, ut quo ultra prodiret non haberet. Non poſſum primo loco non magnopere Gellium admirari, uel potius ridere, qui Virgilium arguat, quod dixerit fumantem turbine piceo, & fauilla candente, cum nec fumare ſoleant, ut ipſe dicit, nec atra eſſe, quæ ſunt candentia, niſi ſi peruulgate dixit & improprie, candente pro feruente non pro ignea & relucenti, quod candens eſt à candore dictum, non à calore. O' bone Gelli, cum noctis iſtas atticas ſcriberes, non potuiſti non aliquando dormitare. Ignorabas an parum animaduertebas, antiquiſſimum et latiniſſimum hunc loquendi morem Virgilio etiam familiariſſimũ? neq; enim dixit fumantem candente fauilla, ſed nubem candente fauilla. ut puella forma adeo uenuſta, & magnouir ingenio. et quod in loco maxime ſimili legitur.

Ipſe quirinali lituo, paruáq; ſedebat
Succinctus trabea.— Atq; ut ibi non ſuccinctus Quirinali lituo, ſed ſuccinctus parua trabea, Quirinalem'q; tenens, ſeu geſtans lituum, ſic neq; hic nubem fumantem fauilla candẽte, ſed fumantem turbine piceo, & emittentem ſeu ſpargentem, atq; efflantem ſimul candentem fauillam. Expreſſit autem quod fieri ſæpiſſime in aëre uidemus, ut è nigerrimus nubibus poſt tonitrum, erumpant fulgura, & coruſca-

tiones, uideaturq; interdum cœlũ dehiscere, flammasq; euomere. Dici non potest, quàm sibi undiq; in eorum quæ fiunt in aere, similitudine constet. Solebat irridere Antonius, qui Virgilium dicerent uoluisse montis Aetnæ flagrantiam ad Pindari imitationem exsequi, eosq; censebat & cæcutire, & delirare, nec Fauorinum, sed Fabarinum naso suspendere, cum nemo tam auersi, aut parui esset ingenij qui non palàm uideret Virgilium se totum à Pindarica enaratione auertisse, ut nec uerbis, nec tralatione qua ille utitur, parte aliqua similis esse uellet. Etenim Pindarus ad fontium, fluminum, fluctuum similitudinem, rẽ omnem exsequitur, amnes in incendij enarratione imitatus. At noster nulla huiusmodi similitudine usus, rebus ipsis inhærens, & quàm potest, & Aeneæ narrantis dignitas patitur, uerbis explicans, ab ipso igne et à nubibus, et ab ijs quæ in aere fiunt, non recedit. Et Pindarus quidem solum fluxum, & scaturiginem habet quam in aquis imitetur, Virgilius omnia pro materia proq; suscepta explicatione à rebus ipsis non aliunde sibi dicenda, atq; ostendenda assumit. Videriq; Virgilius potest, parum hac in parte Pindarum probauisse, qui dum se totum ad amnes, ad fluctus, ad scaturiginem uertit, eructationem ipsam quæq; inter erumpendum, eructandumq; contingerent inexpresse leuiterq; attigerit, nec monstrum illud suum, tum auditu tum uisu mirabile plene absoluerit. Referam Pindari uerba à Gellio ipso conuersa. Sanè eructantur in accessi ignis purissimi ex imis fontes. Flumina uero interdiu quidem inundant fluctum feruẽtem fumi. At per noctes punicea proglomerata flamma ad profundum ponti fert solũ, cũ strepitu illa Vulcani fluenta serpentia emittit sæuissima, monstrum profecto tum uisu, tum auditu mirabile. At Virgilius & aures, & oculos, & animum admiratione implet, cum montem tonare ait, & è teræ penetralibus atras nubes prorumpere, fumare piceum turbinem, uolitare cãdẽtem fauillã, attoli globos flammarum. quid amplius? lãbere etiã sydera, et tamen à rei natura non recedit, siqdẽ eructatio illa talis est, præterq̃ quod sydera non lambit. Sed hæc exuperantia poëtarum est propria, & haud scio an alibi magis, quàm hic deceat. Ac tanquam minora hæc quæ dicta sunt essent, quippe quæ frequenter contingant, ea subdit quæ ut maiora, & rarius contingerent, & longe monstrosiora essent. Itaq; & scopulos erigit, & auulsa montis uiscera eruptat, & saxa sub auras glomerat, & quidem liquefacta, & cum gemitu. Ac ne quid quod mouere admirationem posset, prætermitteret, quid ultimo loco ponit? fundoq; ex æstuat imo,

quod cum oculis exponere non posset, animis existimandum permisit. Quid hoc Virgiliano monstro absolutius? & tamen docet glomeratus eos fieri non posse nisi uento, igneq; intus æstuante. Ac Pindaro quidem dare potest ueniam lyricum carmen. At Virgilio implenda erat tuba illa heroica, & magno personandum ore, neque ut illi succinendum, qui a' lyra sua non ita longe recessit. Quo' circa noster Heros tubā sic implet ut monstrū Pindaricum, p tonitrū, ruinas, turbinem, picem, candentem fauillam, erectos scopulos, auulsa uiscera, saxa liquefacta, sub auras ad sydera usque intonet, & aures, oculos, animos, admiratione simul atq; horrore compleat. Tonat Aetna ruinis. cœpit Virgilius a' tonitru, in quo Pindarus obmutescit. post etiam, tempus nullum secernit, tum ut rem admirabiliorem faceret, tum ut qualis res ipsa esset, exprimeret, neq; enim noctu solum flammarum illi globi cernuntur, sed etiam interdiu, quoties et aer est nubilus, et cacumen montis exhanelatis incendij sumigationibus caligat, atque offunditur. An non die medio, cum cœlum maxime nubilum est uidentur coruscationes, & medijs e' nubibus ignes emissi? quod poeta noster sentiens, non ante dixit candente fauilla, quàm præmisit turbine piceo, ne a' rerum natura recederet. Ad hæc non nisi post multos annos contingit amnes illos Pindaricos fluere, cum Virgiliana tonitrua, fragoresq; & fumi picei, & prorumpentes in cœlum nubes, fauillæq; frequentiores contingant, præsertim flante aut impendente austro. Ac nihilominus post liquescere saxa, & auelli montis uiscera ostendit, adeo nihil prorsus omittit. Videturq; noster Maro rem ipsam & loci situm contemplatus, siquidem cacumen montis qua tanta fumigatio emittitur, hiatum habet profundissimum ac late amplum quem dixerunt Craterem. hodie pleriq; os uocant, exesis undiq;, atque exustis rupibus. Quo' circa non uti e' fontibus fluere ignes possunt, sed materia ipsa ui uentorum incensa, & diutius intra cauernas exagitata, tandem euomitur, magnoq; in aërem impetu effertur, post in partem qua uentus inclinat decidens, igne liquefacta defluere incipit. Vnde alibi ut rei huius peritus dixerat,

» Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
» Flammarumq; globos, liquefactaq; uoluere saxa.

Et hic uere, ac naturaliter dicit,

» Interdum scopulos, auulsaq; uiscera montis
» Erigit eructans, liquefectaq; saxa sub auras
» Cum gemitu glomerat. –

Prudentissime omnia. Nam interdum, quia non semper. & cum gemitu, quia tanta ebullitio & pugna illa intra cauernas, uentorumq́; ac concepti ignis uiolentus, ac præceps exitus, absq́; ingenti fragore fieri nequit. & erigit eructans, quia ruptis caminis efractisq́; (ut ita dixerim) claustris igne, uento, uaporibus, quæcunque obuiam facta sunt in altum tolluntur. Et cum dicit glomerat, ostendit pugnã confligentium corporum, & cum dicit uiscera et liquefacta & auulsa, designat tum ingentissimam uim uentorum, tum quod ignis est excoquere, ac liquefacere lapides, tum quod materia ipsa monte continetur, atq; illic generatur. Dicet aliquis. at fluere liquescentem illam materiam mare uersus, omisit. Primum nec mare uersus semper fluit, nam et sæpenumero in mediteranea elabitur, deinde quod cum dixisset sub auras glomerat, uisum est poetæ tam defecati iudicij, quodcunque adderetur minus esse. & profectò minus mirum est fluere decidentem illam, liquefactamq́; materiã, quàm ex imis teræ uisceribus ad auras maiore quàm exprimi possit impetu ferri. Itaq; hoc omisso, imo despecto, ac repudiato, concludit, fundoq́; exæstuat imo, relinquens in audientiũ animis quæ non cernerentur cum admiratione cogitanda, atque qui intus æstus, quæ ruinæ, quanta etiã certamina ex ijs quæ oculis obijcerentur existimanda. Quin etiam ad fabulosum commentum ut mirificum, ut ad Deos relatum transit, adeo nihil quod audientium animos admiratione impleat prætermittit.

Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq́; insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis,
Et fessum quotiens motet latus intremere omnem.
Murmure trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

Quamobrem Pindarum non solum imitandum à se Virgilius non iudicauit, sed ab illo sic recessit, ut non uerba, non rei faciem, non ullam sit pindaricæ descriptionis adumbrationem secutus, Nũc ostendat nobis Fauorinus iste tã enucleati iudicij, tãq́; teneri auditus philosophus, ut opinam, et pinguem Pindari (ut ipse cum Gellio fortasse non recte sentiebat) facundiam prætereamus, ostendat inquam ubi nam Virgiliana insolentia? ubi tumor? mihi quidẽ cum duobus maxime modis concipiatur tumor, re, idest sententijs atq; oratione, ubi sunt uerba ista tumentia, ubi res insolentiam parientes? At dixit tonat Aetna, quia tonat aer, & nubium conflictus tonitrum facit. prorumpit ad æthera nubem atram. nihil hic insolens, nihil tumidum, Nam

dum, Nam prorumpo uerbum sic uiolentum est, ut eo etiam historici utantur. & nubes atra, ut nox atra. turbine piceo. an quo uerbo uel impetum uel colorem expressius potuisset efferre? cum è pice densissimus idest nigerrimus halet fumus, et turbo cum impetuosus, tum ẽt tortuosus, atq; glomerosus sit, et fauillæ flãmæq́; seu corruscationes è nigerrimis nubibus erumpere sic soleant, ut candere uideantur. nihil à natura recedit, et uerba rebus accommodat. Non dicet poëta globos, cum idem uerbum ab historicis non reformidetur? non dicet lambere sydera? Atqui honestiori uerbo uti non potuisset, ut leuem, ac fluitantem ignis, ut ita loquar, attactum significaret. nec cum dixit candente fauilla, Pindari uerba fluxum fumi calidi significantia, nec cum globos flammarum ignis fluenta, crasse duriter, atq; improprie interpretatus est. hoc est ῥόον καπνοῦ αἴθωνα & κρουνούς. quippe qui ne interpretatus quidem sit, cum illum non modo imitari nollet, uerum etiam hac in parte non probaret, propter eas quas attulimus rationes, uelleq́; rem ipsam, ut admirabilem, ut horroris plenam uerbis suis ante oculos ponere, animisq́; infigere, ac tubæ suæ canorẽ tenere. Nec cum dixit scopulos, & uiscera auulsa, et liquefacta saxa, & lãbit sydera, & exæstuat immo fundo, uerba & strepitum uerborum conquirit. rem inquam, ipsam inquam rem suis atq; heroicis uerbis enarrat. Ad hæc qđ non semper ignis fluant amnes, interdũ hoc fieri dixit, atq; ubi fit, non diffluere è cratere illo perinde, ac è fonte, aut è fornace massæ illius riuos, sed iactari in sublime materiam per frustra, per saxa, per scopulos, quæ post in teram decideret, & in fecis ac liquescentis spumæ modum coacta flueret.

Quocirca bone Fauorine ad philosophiam tuam redi, de syllogismo, deq́; bonorum finibus tantum sententiam laturus, quando nec mihi satis magnus physicus uideris, qui montis Aetnæ naturã ignores ac poëtarum figuras, lineamentaq́;, & quid carmini conueniat, quid materiam susceptam deceat, qua ratione humilis res tollatur, qua elata prematur, iudicandum, pensitandumq́; poëtis ipsis relinque. Vidimus in Aenaria insula factum, qđ Virgilius de Aetna scribit, cum è quadã eius parte ignis erupisset centũ ante annis, aut paulo amplius. Nam & ad mare, & sparsim per agros, præter fluxum illum magna mole lapides iacent, & in ipso litore, & paulũ etiam intra mare grandes eminent scopuli adeo excocti, exustiq́;, ut hodie quoq; appareat spumosa illa liquefactio, quinetiam pindarica fluenta lapidũ sunt in spumam solutorũ, non materiæ continuæ liquescentisq́;, quale liquefactum fluere æs solet. Cur autem præter

naturã cuiquã uideatur ab incluso sub Aetna igne torqueri lapides, cũ uideamus æneis è tormentis quæ bõbardæ dicuntur tanto impetu pilas torqueri lapideas? turbinesq; illos piceos glomerari? tanto ẽt fragore, ut ad sexaginta passuũ millia exaudiãtur. hoc qđ in Aenaria factum diximus, legimus scriptũ in monimẽtis Caroli Neapolitanorũ Regis quo incendio etiam castellum haustum est. AN. Quanquam ænariæ exemplo potes esse contentus, tamen & Vesuuij montis ruina & ager squalore obsitus ad sextum ab Neapoli lapidem hoc ipsum quod de liquefactis igne saxis à Virgilio traditur, docere abunde potest, Est enim passim uidere hic exustorum lapidum erectos cumulos, illic excussa summo è monte miræ magnitudinis saxa impune sparsa, alibi profluentis riui lapidosos decursus, nec uno in loco saxorum strues simul congestas, ut facile appareat materiam illam omnem è lapide constare, eiectam ui uaporum, atque ignium, longiusq; agglomeratam, quæ uidere cuiuis in promptu est. Sed redeas ad quod Elisi cœperas, & Macrobium aduersus Aeneam à latinis moti belli causas tanquam leueis ac pueriles ridentem, ut rudem & grammaticorum omnium importunissimum ferula sua feri, atq; intra cancellos grammaticæ redire coge, audentem se quoq; uiris conferre. ELI. Recte mones. Hunc hominem Antonius cum nebulonem aliquando obiurgari sensisset, nimis parce inquit. potius, quando nemo unquam plura sibi præsumpsit aut permisit. Quæso Macrobi poetarum iudex tam sobrie, quæso, inquam quæ inter Latinos Troianosq; belli causa excogitari accommodatior poterat? nam nec Latini per id tempus mercaturam nauibus exercebant, nec Aeneas piraticam, ut per causam prædonanij excitari bellum potuisset. nullæ antecedebant inimicitiæ, & Aeneas eo consilio in latinum litus descensionem fecerat, ut in tera fato debita sedes profugis statueret. Itaq; non belli, sed amicitiæ potius causas quærebat, ut qui conciliare sibi finitimorum animos studeret, missis etiam oratoribus cum muneribus. Vidit acutissimus author fortuitam causam quam lippus cæcutiensq; grammaticus quomodo uideret? Moris est classiriorum militum, ne piratarum tantum putes, sæpius incontinentem descendere, carnis ut ipsi dicunt faciendæ gratia, nec solum ex hostico, sed ubi maior cogit inopia, etiam ex pacato pecora abigere. Quam ob causam ut quotidie uidemus inter socios amicosq; indigne multa committuntur. Hanc occasionem & quidem fortuitam cum Aeneas nihil minus quàm bellum quæreret nactus Virgilius, non armentalem, aut aratorium bouem, sed

Regij uillici ceruum, atq; in deliciis habitum, & agrestibus notum uulnerat, quo facilius multitudo cogniti Cicuris gratia ad tumultum concurreret, Troianosq; nõ tantum ut abactores, sed qui regias res uiolare ausi essent, armis ulciscerentur, atq; è finibus pellerent, quos egerrime ferrent illic considere? perindeq; ut exteram, atq; ignotam gentem hodie persequerentur. Quae opportunior excogitari occasio potuit, muliere praesertim agrestes excitante? quae uim passa uideri posset, cum etiam Iunonem belli causas quaerentem introduxisset. Atq; haec quidem tanquam scintilla furtim elapsa quae paulatim serpens, mox uento exorto illapsa stipulis, agros, siluas, obuia simul cuncta deflagrat. Quid aliud? tanquam duos è diuerso mundi cardine spiritus qui accensum ignem excitent, exsuscitat, alteram è coelo delapsam Deam Iunonem scilicet, alteram furiarum maximam, Herebo excitam, cogentem bucina populos, & duces uocantem in bella. proq; stipula subijcitur amata, mulier, mater, Regina, importuna quidem mulier, mater indulgentissima, Regina foeminarum choros solicitans, ad haec latinus senio confectus ac uix sui iuris. Incensa igitur stipula agri, siluaeq; exuruntur. Tela nouat atina, uomeres in enses excoquuntur, Scribuntur exercitus, leguntur duces, primusq; Mezentius bellum sic init, ut ne mulieres q dem arma detractent. Videtis è parua fortuitaq; fauilla quantum incendium accenderit? ut subrigantur quidem legentium animi quotiens crines illi anguinei subriguntur. Quid hoc artificiosius? quid magis sepositum, atq; à uulgo abductum? cognouit admirabilissimam excogitatissimamq; inuentionem Iuuenalis, cum dixit,

Caderent omnes à crinibus hydri,
Surda nihil gemeret graue bucina.

Quam si dijs placet, cognoscet Macrobius sordidae locutionis, ne dicam orationis grãmaticus. Quid tu pegrine homo de maximi poetae admirabili artificio nobilissimisq; inuentis te iudicem statuis? qui ne latine quidem loqui scias, Maluissem inquis Maronem et in hac parte apud authorem suum, uel apud quẽlibet graecorum alium quod sequeretur habuisset. Scilicet non uis fingere Virgilium, non uis optimum artificem arte sua uti artificiose? at ego maluissem te, cum latine loqui uis, Ciceronem, aut quem alium è doctissimis in loquendo sequi. An tu apud Ciceronem Sallustium Caesarẽ inuenisti, in diggeriẽ concoquere, in memoriam, atq; in ingeniũ ire, in incrementum succrescere, tale praesens hoc opus uolo, natiua Romani oris elegantia, noscendorum congeriem polliceri, et mille his etiam absurdiora, magisq;

barbara, quibus tu ineptissime cum sis, ipse ineptissimus uteris? Atqui audacissime grammaticæ, cum fateris te sub alio ortum cœlo à linguæ latinæ uena non adiuuari, cur de maximo, deq; alieno poeta tanquam prætor iudicas? Vnum tamen dare tibi ueniam potest, quod conuiua, quod satur, quod inter rorantia pocula, quod in saturnalibus hæc proferebas. O bellissimum hoiem q̃ conuiuã iudicem, q̃ mensam prætorium statuas. Sed ad imitationem, quam in Marone desyderas, redeamus, Ciceronem si legisses non solũ latine loqui, sed recte quoq; de scriptorum ingenijs, deq; scriptis ipsis sententiam ferre didicisses. Ait & orator & philosophus eminentissimus, nostros aut melius inuenisse, aut inuēta à græcis fecisse meliora. Quod si poetæ cuiusquam fuit inuenta ab alijs meliora facere, hæc mihi laus Virgilij propria uidetur. Sed neq; melius inuenerint nostri, neq; fecerint aliorum inuenta meliora, non tamen cæcutientis grãmatici sententiæ standum est. Quonam authore usus est Homerus in fingendis tot monstris? quem imitatus est Orpheus in commentis adeo fabulosis? quem secutus est qui primus finxit Castorem, Polluceṁq; ortos ouo? qui primus commentus est Plutonem in inferno regnare, hydram septicipitem esse? natos è serpentum dentibus armis instructos homines? Deniq; ab quo accepit Homerus authore, arma à uulcano achilli fabricata? uulneratam à Diomede Venerem? perlatum utribus Vlyssem? et mille talia? Atqui poëtarum hæc non modo licentia, sed pene ars est. Quin etiam ab alijs enarratas fabulas in aliam, atq; aliam formam conuertere permittitur? ne dum fingere nouas liceat. Sed ueniamus ad alium locum, uideamusq; quàm intempestiuus canis huius latratus sit.

» Parua metu primo mox sese attollit in auras,
» Ingrediturq; solo, & caput intra nubila condit.

Homerus inquit contentionem à paruo dixit incipere, postea ad cœlum usq; succrescere. Hoc idem Maro de fama, sed incongrue, neq;
» enim æqua sunt famæ, contentionisq; argumenta, quod contentio eti
» am si ad mutuas usq; uastationes ac bella processerit, adhuc contentio
» est, et manet ipsa quæ creuit. Fama uero cum in immensum prodijt,
» fama esse iam desinit, & fit notio rei iam cognitæ. Quis enim iam
» famam uocet, cum res aliqua à tera in cœlum nota sit? deinde neq;
» ipsam hyperbolen potuit æquare. Ille cœlum dixit, hic auras, & nubila. atq; ut ab ultimo incipiamus, nesciebas puto grammaticæ uersus facere, qui non uideris tribus tantum syllabis potuisse hyperbolen æquare, Et caput intra sydera condit dicere, o crassum

& supinum

& ſupinum ingenium. Atqui noluit Virgilius intra ſydera dicere. Nam cum intellegeret famam, plura ſæpe quæ certa non eſſent diuulgare, ac uera falſis miſcere, & facta, atq; infecta nuntiare, caput eius condit intra nubila cum cæterum corpus uideri dicat. Itaq; & magnitudinem eius oſtendit, cum attolit eum in auras, & uerſari inter homines docet, cum ingredi eam ſolo facit, et qđ multa ſecum ferret, quæ non ſtatim cernerentur uera'ne an falſa eſſent, intra nubila caput abſcondit, etenim cum oculis noſtris offuſa nubes eſt, ueras cernere rerum ſpecies nequimus. Vnde ipſe alibi, nubē quæ mortales hebetaret ſenſus, caligaret'q; oculos circùm eripit. Agnoſcitis ſingularem Maronis prudentiam, grammaticis non modo non perſpectam, ſed ne niſi quidem maximis poetis perſpectabilem. Nõ ſunt inquit, æqua famæ, contentionis'q; argumenta. Detur ignorantiæ hominis non eſſe paria. Sed tu mihi uideris bone Macrobi fama quid ſit non intellegere, qui dicas Eam poſtquam in immenſum prodijt famam eſſe deſinere, ac rei cognitæ notionē eſſe. quod ſi ſit, paſſim Liuium, Salluſtium, Ciceronem, & rerum ſcriptores alios errare inueniemus, nec permiſſum nobis erit dicere fama prœlij ad Cannas facti adhuc manet. nec rerum à populo Romano geſtarum fama perpetua erit. Nec Athenienſium res geſtæ minores aliquando fuere quàm fama feruntur. nec famæ conſulendum eſt. Atqui ſcriptores famæ potiſſimum ſtudent. Et Cæſar, Alexander'q; plura famæ gratia feciſſe uidentur. nec temere Alexander dicebat fama bella conſtare. Aliud eſt igitur fama, quàm quod tu grammatice putas, nec fama eſſe deſinit, cum in immenſum creuit, efficitur'q; rei cognitæ notio ut tu ipſe garris. Nam & Ciceronem conſulem planè fuiſſe ſcimus, tamen famam conſulatus eius dicimus magnam adhuc eſſe, & Annibalem in Africa ſuperatum fuiſſe à Scipione notiſſimum eſt, tamen famam uictoriæ eius exſtare dicimus. Cæſarē maximas res geſſiſſe, etiam mulierculis cognitum eſt. Num propterea minus dicimus, rerum à Pompeio quàm à Cæſare geſtarum famam maiorem eſſe? aut Alexandri famam nulla poſſe uetuſtate obliterari, Licet eius facta ſint cognitiſſima. Et quod ab occaſu ſolis ad ortum uſq; Herculis labores cogniti ſint, famam propterea laborum Herculis dicere non licebit? Deſine igitur oblatrare catelle, & fama quid ſit, quot etiam dicatur modis diſce, nam & uetuſtiſſimarum rerum celebritas fama dicatur, & quæ nunc à Turcarum geruntur Rege, fama per orbem terarrum feruntur. Et Theodorus græcus qui diem nuper obijt magnam ingenij ſui famam poſteris reliquit, et qui nunc ſcribundis an-

nalibus dant operam, famæ suæ, illorumq́; de quibus scribunt con-
sulunt, et fama est gentes quasdam uagantes, atq; incertis sedibus ui
tam agere, & nescio cur pecuniæ magis quàm famæ seruiẽdum sit,
ac si quibus alijs modis fama inter loquendum scribendumq́; usu
uenit. Damnatur etiam Virgilius ab oculatissimo hoc exploratore,
quod immodice sit usus exemplo illo Homerico de Diomedis armis. nã
» et de Turno ait, Tremunt in uertice cristæ Sanguineæ Clypeoq́; mi
» cantia fulmina mittit, Et alibi de Aenea. Ardet apex capiti, cristisq́;
» ac uertice flamma funditur, Et uastos umbo uomit aureus ignes.
Hoc inquit importune positum est, quod neq; tum pugnaret Aeneas,
sed tantum in naui ueniens apparebat. immo magis oportune non
potuisset, siquidem apex ille ardere uisus, & Troianis obsidione la-
borantibus, ac tantum non expugnatis castris, magnos addidit ani
mos, unde uiso clypeo clamorẽ tollunt ad sydera, spesq́; addita iras
suscitat, iaciuntq́; manu tela, & Ausonijs ducibus ne dum militibus
is metus iniectus, ut soli Turno fiducia non cesserit. Quinetiã Aene
as ipse, ut qui sentiret quantum armis illis opis, quantũ opinionis, atq;
spectationis inesset, celsa stans in puppi, sinistra clypeum extulisse in
ducitur cum primum in suorum, atq; hostiũ conspectum uenit. Itaq;
non potuit magis opportunum tempus seruari, cum suorum res tam
in angusto, hostium tantus esset successus. & profecto armis illis cœlo
missis, nec tempore magis necessario sese instruere Aeneas potuit, cũ
de summa rerum contendendum esset, & primus illorum aspectus
necesse erat ut uim diuinitus insitam, & Troianis, & Rutulis cum
spe metu, horrore, fiducia, atq; admiratione præseferret. Damnatur
etiam quod importune allatis recens armis Aeneas miratur.
» Terribilem cristis galeã flammasq́; uomentem. An non diuinũ illud
opus mirabitur? et cũ illa manu tractaret, uersaretq́; inter brachia,
nó conciperet magnam spem, præsertim in rebus tam asperis? nó ani
mos inde sumeret, uidés quantum terrorem galea illa terribilis incus
sura esset hosti? quæ tum ipsi quoq; flammas uomere uideretur. Quo
modo igitur expleri lætitia nó potuisset, nisi iã animaduertisset quan
tus illorum usus aduersus hostem futurus esset in prœlijs, quæ etiam
tum sub quercu posita (neq; enim temere sub quercu posita dicat, cum
corona querna ciuium liberatores donarentur) terribilia apparerẽt,
Quó circa, ut dictum est, cum primum in hostiũ conspectum uenit,
illa statim extulit. Videtis q̃ sibi Virgilius constet? q nihil inaniter di
cat, & singula exactissime pensitet? parum hoc uisum est. Condẽna-
tur etiam quod de Turno dixit.

» Cui triplici crinita iuba galea alta chimeram
» Sustinet, ætneos efflantem faucibus ignes
» Tam magis illa fremens & tristibus effera flammis,
» Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Turnum hostium ducem ad bellum missurus, sane illum qui tot ma lis troianos, sociosq; affecturus esset, qui bellum tantis animis susce- pisset, qui morte sua Aeneam esset nobilitaturus, non una e parte ar tificiosissimus poëta commendat.

» Ipse inter primos præstanti corpore Turnus.
» Vertitur arma tenens, & toto uertice supra est.

Facit enim uersari inter primos, qua è re ad singulare animi robur, corporis quoq; uires adiungit. et cum dicit, Vertitur arma tenens, cor poris dexteritatẽ sub armis, atq; animi uigorẽ significat. Et cũ adiun git Toto corpore supra, ẽ corporis proceritate suis admirabilẽ, hostibus formidolosum apparere facit. Ad has corporis atq; animi dotes addit armorum horrorẽ, ex triplici iuba, atq; è monstro flammas efflãte, Quippe cũ quæ chimera aspectu ipso ante pugnam terrifica esset fi- ctoris artificio, ubi ad manus uentũ esset, tũ ea maxime et uoce freme ret, et flãmas euomeret, ut de gemitu, deq; afflatu, cápi sanguine cæso rũ natarẽt. Atq; ut nihil desit, post leuẽ, atq; extersum clypeũ, Siqdẽ qui de re militari scribunt, ad præstringẽdos aduersarij oculos armo rũ in primis fulgorẽ commẽdant, post altam galeã et ignes efflantem chimerã, addit nimbũ peditum, et totis castris agmina clypeata dẽsat. An est quod aliud desyderari in extollẽdis aduersarij siue ab insitis à natura corporis, atq; animi uiribus, siue ab externis possit rebus? Nũ igitur importune galea alta chimeram sustinet, præsertim post tot enu meratos, armisq; decoratos duces? Atq; hoc quidẽ nõ tanti faciendũ ui deatur accusari aut potius damnari à grammatico eximium poëtã, neq; enim indus Elephas curat Culicem, Illud me uehementer mouet quod uideo doctos quosdam uiros, dum grammaticis nimis tribuũt, et ipsos delirio eodem uexari, tum in ijs locis, quos posuimus, tum quod existimant parum prudẽter à Virgilio inductum Iouem in Primo Quarto, & Nono uolumine, qui loqueretur sine tumultu, et absq; mundi obsequio, post uero, eo dicente

» -Deũm domus alta quiescit,
» Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther,
» Tum Zephiri posuere, premit placida æquora pontus,

Ac si nõ idẽ esset qui ante locutus fuerat. Immo idẽ erat, sed nec ante Venus, Iunoq; ad contentionẽ et iurgia Ioue corã proruperant, qua

e're uario assensu ob factionis studiũ cœlicolæ fremebãt. Itaq; ut osten deretur concionantis Iouis ea maiestas fuisse, ut musitare ultra nullus auderet, oportunissime dicitur, summaq; cum prudentia, quod nõ solum eo dicente Deũm domus silentium tenuit, sed orbis totus summi Dei supercilium ueritus est. Etenim poeta ex uerbis ipsis uult innuere Iouem supercilium obduxisse, ob dearum iurgia, & cœlicolarum fremitum, ac partium studia, ut qui speciem irati præseferret,
» Vnde quodam cum supercilio ait. Rex Iuppiter omnibus idem, Iu-
» ratq; per picæ torrentis ripas, atq; ut dictis pondus adderet, caput mo
» uet, totumq; nutu tremefacit olympum. Sed nec mihi Iulius Hyginus æquior uideri potest, qui Virgiliũ accuset, quod litus uelinum ex ore Palinuri dixerit, cum Veliam Seruio Tullo regnante conditam fuisse tradat, sexcentesimo post Aeneæ aduentum in Italiam anno aut etiam amplius, ac si poetis permissum non sit quædam etiam ad sua tempora in carmine referre, ut locorum, ut fluminum nomina, ut armorum genera. Dicat mihi uelim Hyginus, cur non etiã accusat Virgilium quod Aeneam qui Troianus esset latine loquentem inducat? Facessat igitur diligentia tam arcessita, & huiusmodi multa permittantur poetis, In quæ etiam uolentes incidunt, non rerum ignoran-
» tia decepti. Idem reprehendit quod cum antea dixisset Virgilius The
» seum superas euasisse ad auras, post dicat, Sedet, æternumq; sedebit. Atqui Theseus uiuens Herculem ad inferos secutus, Inde Herculis ipsius præsidio euasit, ut est in fabulis. Post mortem uero cum anima eius ad inferos delata esset, nunquam ad uiuentis rediit, sed propter filium iniuste occisum, sedet illic atq; æternum sedebit, Iniquissimã Hyppoliti mortem infeliciter deplorans, Recteq; & ante uiuum redisse ab inferis ait, unde argumentandi locum Aeneas cœpit, et post inter eos qui mortui essent enumerat. Neq; enim hæc sibi aduersantur. Errasse etiam dicat in his uersibus,
» Eruet ille argos Agamemnoniasq; micenas,
» Ipsumq; Aeacidem genus armipotentis Achilli, Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ, quod & personas confundat & tempora, cum neq; eodem tempore, neq; per eosdem duces cum Acheis Pyrrhoq; pugnatum sit. Siquidem Pyrrhus quem Aeacidem dicit ex Epiro in Italiam transgressus cum Romanis depugnauit aduersus Curium belli eius ducem. Argiuum autem bellum idest Achaicum multos post annos à L. Mummio Imperatore gestum est, itaq; censet medium uersum eximi posse qui quidem de Pyrrho importune immissus esset, Quem Virgilius procul dubio fuisset excmpturus.

Non poſſum non admirari etiam ad riſum uſq; tum Hyginum, tũ Gellium qui ſtudio quodam reprehẽdendi præcipites in maximos errores inciderint, Primum quod de Pyrrho dictum non de Perſa Rege putent, neq; enim Pyrrhus à populo Romano uictus eſt, neq; regnum Epirotarum Pyrrho uiuente captum, atq; in prouinciã redactum eſt. Sed Perſes q̃ à paulo ductus eſt ante triũphũ, quo capto Macedoniáq; ſpoliato, Aeacidarum imperium finiuit. De quo etiã Propertius ait.

» Et Perſen proaui ſtimulantem pectus Achilli.
» Quiq; tuas proauus fregit Achille domos.

Hoc igitur ſuperato Regnóq; Aeacidarum deleto, populus Romanus uideri potuit, Troiæ ruinas ultus fuiſſe. deinde nõ animaduertere, induci à Virgilio Anchiſen nequaquã ſingulos referentem, q̃ ab Aenea originem ducturi eſſent, ſed quoſdam tantum, neq; tempus ordinem'ue ſeruari, quippe cum de Cæſare, atq; Pompeio, ante quam de Fabio Marcello, Scipionibus mentionem faciat, ſatis enim habebat Anchiſes, quibuſdam nominatis, quibuſdam à rebus gerendis ſignificatis ſpe, atq; gaudio futuræ ſtirpis Aeneam implere. Quare cum dicit.

» Ille triumphata capitolia ad alta corintho,
» Victor aget currus cæſis inſignis achiuis

Iure poteſt uideri, Mumium qui Achaicus cognominatus eſt, quiq; Corynthum ſuſtulit ſignificare. Poſt uero cum addat. Eruet ille

» Argos agamennoniaſq; Mycenas,

alium profecto ſignificat, & hic quidem Paulus eſt, qui Perſen uicit, Regnumq; Aeacidarum ſubuertit. quanquam autem Paulus neque Argos euertit, neque Mycenas, hoc tamen ut Aeneam ſoletur ab Anchiſa dicitur, cuius ipſius poſteri euerſuri eſſent Argos ſiue Achaicũ, quæ arx uidebatur Acheorum quorum principes aduerſus Troianos coniurauerant, ſiue Theſſalicum, quando ducum Theſſaliæ uirtus in eo bello plurimum enituerit, & Mycenas Agamemnonis patriam qui fuit græcorum ac belli dux. Quócirca dum Virgilium non minus imprudenter, quàm impudenter accuſant uterq; & Hyginus ſententiæ huius aduerſus Maronem author, & ſuffragator eius Aulus in errorem maxima animaduerſione dignum incidere. His tam iniquis calumnijs cum indigne ferret Antonius eximium poëtam affici, ac ueneno ſis grammaticorum morſibus laniari, quid mirum ſi catellorum perſimiles dicebat, ſi doctos quoſdam ut deliros ridebat? poteram etiam multa addere quibus Antonij aduerſus grammaticos iram iuſtiſſimis è cauſis conceptam oſtenderem, ſed me ipſe continui, quod uidebam in Virgilij laudes prorumpendũ eſſe, quibus explicandis cum ſentiam me

imparem temperare malui. AN. Eadem & me ratio te dicente co=
hibuit, ne quæ à te præteriri uidebam consilio, ea ipse subijcerē, quip
pe cum laudabilior sit Maro, quàm ut à me præsertim laudari satis
digne queat. COM. Et apposite quidem atq; accumulate aduer-
sus grammaticos ex Antonij sententia disputauit Elisius, et Andreas
pro moderatione sua quæ sedulo ab Elisio præteriri uidebat, subijce
re noluit, non tam ut mihi persuadeo uiribus diffisus, si in Maronis
laudes descendendum esset, quàm quod locus hic explicandis summi
poëtæ uirtutibus satis idoneus non est. Verum bone hospes, ut cupi-
ditati tuæ pro uirili satisfacere & ipse studeam, referam quanto pau-
cioribus quidem potero, Antonij sermonem eum, quem aliquando eo=
dem hoc in loco habuit, de recensendis ducibus qui aut Aeneam, aut
Turnum in expeditionem secuti sunt. sentiens condemnari Virgi-
lium tum quod oppida, urbesq́; non eo quo sitæ sunt ordine referret,
tum quod nonnulli pugnantes inducantur, qui non essent in belli ap=
paratu numerati, Cum Homerus eosdem illos quos retulisset in ca
talago solos pugnantes dicat, & græciæ oppida, lociq́; per ordinem
referat. Dicebat igitur similibus in rebus siue agendis, siue scriben-
dis, non idem semper aut agenti, aut scribenti consilium esse nec eun
dem ad finem eadem in re ubiq; contendi. Homerum quidem uo-
luisse in enumerandis auxilijs, Græciæ urbes, lociq́; describere, or-
dineq́; Græciæ situs Catalogum exsequi, Quippe cum uniuersam
Græciam aduersus Troianos coniurasse ostendat, At nostro poëtæ
consilium non fuisse Italiam describendi, neq; enim omnes Italiæ po
puli aut pro Aenea, aut contra Aeneam stetere, quando Hetrusco-
rum etiam multi belli se medios præbuere. Quinimmo maiore è par
te uetustissima oppida, & ea maxime quæ è memoria exciderant con
quirit, ut qui restituere illa in lucem uelit. Quodq́; historia etiam la
tini seruant in enumerandis auxilijs regiones non describit, ac satis
habet duces ipsos et loca è quibus auxilia uenerint nominare, Quo
enim consilio, aut Italiam, aut Hetruriam uniuersam describeret,
qui neque Italiæ, neque Hetruriæ totius populos sciret aut pro hac,
aut pro illa parte arma cœpisse? Iure itaq; contentum fuisse, illis tan-
tum populis ac ducibus qui in expeditionem profecti sunt, nomi-
natis, In quibus referendis necesse non fuit situs ordinem tenere,
cum uniuersæ regionis populi non enumerentur, & Mantuam
solam è tot trans apenninum populis nominet, uidelicet ut pa-
triæ assurgeret, atq; ut auis diuitem laudaret, caputq́; populis sta-
tueret. Affirmabat præterea Virgilium imaginem quandam secu-

tum pugnarum, atq; oppugnationum, quæ in rebus in Gallia gessis à Cæsare describuntur, fecisse etiam Ascanium nudato capite pugnare, quod de Cæsare ipso legitur, deflexisse quoq; in quibusdam ab Homero de industia ut q Romanæ militiæ disciplinam potius sequi uellet, eamq́; ob rem singulos Duces pugnanteis minime inducere, quos nisi cum necessitas uocauerit obiectare sese periculis, aut manum conserere non deceat, quodq́; plures inter pugnandum nominaret, qui in enumeratione auxiliorum, dicti prius non essent, in hoc quoq; à Romanæ historiæ consuetudine non recedere, Siquidem Romanarum scriptores rerum nominatis consulibus prætoribus'ue, aut dictatore, atq; equitum magistro, alios in suscipiendis expeditionibus uix nominant. At cum pugnas describunt, & qui in bello desyderati sunt recensent, tunc milites, centuriones, præfectiq; nominatim dicuntur, quorum in apparando exercitu nulla mentio facta est. Referuntur fortia, tum peditum, tum equitum facta, & nauatæ ab infimi etiam ordinis militibus operæ, de quibus nihil antedictum est. Hanc igitur fuisse rationem censebat cur Virgilius partim ad Homeri exemplum duces quosdam pugnanteis induceret, ne ab illo cuius maxime similis esse uellet omnino recederet, partim ad Romanæ militiæ disciplinam, non omnes pugnanteis faceret, sed militum potius qui sub illis militarent uirtutem referret, cum inuidia quædam uideri possit suis milites laudibus defraudare. Ad hæc cum de Romanæ militiæ disciplina esset mitti supplementa, qui à Virgilio post nominantur, perinde, ac cum supplementis ad Aeneam Turnum'ue profectos intellegi uult. sic Oximum Regem, sic alios quosdam ab eo post nominatos, ac si cum supplementis post quàm in expeditionem ab Imperatoribus itum esset, in castra profecti sint. Plures quoq; cognomines, idest eiusdem nominis ab eo referri, quod Romanorum plurimi eodem nomine uocarentur, indeq́; tot prænomina agnomina'q; inuenta esse. Reges quoq; sub Imperatoribus militare, & hoc quoq; Romanum esse, cum Reges multos socios haberent, quos sub Imperatoribus, consulibus'q; pugnasse, satis compertum est, atq; ad hoc ipsum Homero nonnunquam relicto uoluisse Virgilium alludere.

Illud uero maxime nefandum esse, & quouis animaduertendum supplicio prædicabat, quod essent nonnulli adeo improbi, ut non alia se magis ratione doctos, atq; in literis claros haberi posse persuasum habeant, quàm si Virgilio detrahant, si in pöetarum nostrorum principem dentes acuant. Qui si quando pro rei, lociq; naturam uariantior, & ut ita dixerim, festiuior est, hic Homeri simplicitatem ma-

gis probant, ubi simplicior, atq; castigatior, tum copiam illius & or
natum requirunt maiorem, nunc quod Homeri ipsius nimius secta
tor fuerit, nunc quod ab illius imitatione longius recesserit, accusant.
aliâs non probant tantum antiquitatis studium, aliâs quædam sine
ullo exemplo protulisse damnant. Interdum supercilium eius, inter
dum iucunditatem insectantur, Deniq; esse inuentos qui dicerent scri
pta eius mera furta esse, qui censerent ennium quanquam rudem et
inconditum ei anteponendum, qui nullo demum ingenio, nulla inuen
tione fuisse nugarentur. Hoc loco rei indignitate commotum excla-
mare Antonium memini, Improbos, facinorosos detestabiles eos di-
centem, Iouemq́; ausos regnis detrudere. Quippe qui Romanæ poë
ticæ principem & quasi Deum quendam suo è Regno, suo è solio
pellere, ac deturbare conarentur. Sed nec meliore usum fortuna, pa-
trem ipsum poëticæ omnis Homerum querebatur, laceratum, uexa-
tum, discerptum etiam ab ignorantissimis fuisse, hocq́; de posteris me
ritum quibus lumen accendisset retulisse, ut etiam grammaticorum
cæcutienti ignorantiæ obnoxius fuerit. Censebat igitur duos hos in
duabus nobilissimis linguis græca, Romanaq́; summum iure princi
patum tenere, & alterum græcæ, alterum Romanæ poëticæ Regem
esse, horum dicta inuentaq́; locum, uim, authoritatemq́; legum ha-
bere. Hos uenerandos, hos patres patriæ publicis, priuatisq́; honori-
bus prosequendos. His ubiq; atq; ab omnibus assurgendum. Qui con
tra sentirent, rebellium, atq; hostium in numero habendos esse, atq;
uti subiectis populis popularibusq́; nullum ius, nulla iurisdictio es-
set in regibus, quorum præscriptis, imperijs, decretisq́; ab illis pa-
reretur, sic à literatis omnibus, quæ duo hi Reges decernant, ijs ubiq;
parendum esse. Qui aliter sentiret, contraúe auderet, aqua & igni
interdicendum, atq; in loca deserta exterminandum, ferisúe obijciē
dum statuebat. Hæc Sicule hospes dicere Antonium in Virgilij cau
sa memini, quæ tibi propterea referenda duxi, ut quod eius iudiciū,
quæ etiam doctrina fuerit, perspicere hinc possis, relaturus etiam
quæ aliquando in defendendo Cicerone copiose, acute, magnificeq́;
disseruit, ni Herricum hunc dicere nescio quid uelle animaduerte-
rem. HER. Dij boni, uideo ne ego Antonianum sapientem? est ne
ille Iuratius Suppatius. Certe ipse est. O´ diem iucundissimum. per
ego Ciceronem, perq́; diuinam Ciceronis eloquentiam oro obtestorq́;
uti ualere aliquantulum iussis grammaticis, Antonianum sapien-
tem de sapientia disserentem, placide audiatis. Nihil est mihi credi-

te homine hoc Vrbanius. Videbitis quod loquendi principium adueniens dabit.

SVPPATIVS. HERRICVS.

a ET SAPERE uos & corde uti quàm cordatissime iubeo. HER. At nos ualentissimi capitis hominem, oppido ualentem aduenisse gaudemus. SVP. Est'ne hic Pudericus meus? O' desideratissimum mihi amicum. ut cordate. HER. Satis quidem cum corde recte, cum capite tamen parum sanè, de abscessu enim uix utor oculis, amicissimum tamen, ac sapientissimum hominem libentissime & uideo et alloquor. SVP. Cui cum corde bene est, huic ualetudo nisi secunda esse non potest. HER. Vnde bone? SVP. A' sapientibus quæritandis. Fui Senæ studiorum fama ductus. ibi mirificum hoc uidi, in maximo populo, in urbe quam ipsi ueterem agnominant, uix unum, atq; alterum senem esse, qui autem Rempublicam administrarent, plerosq; adolescentulos esse, adeo uetus Sena uix quicquam habet quod senile dicas. Fui Pisis, urbe tum antiqua, tum græca ut uolunt, ibi senes plurimos, omnes quidem corio, cordi deditum esse neminem, quem enim cordatum apud eos inuenies qui domesticas ob seditiones, ciuiliaq; odia tantam tam breui Rempublicam amisere? Hinc Lucam concessi, quorum hominum Deum cum tam crasso capite animaduertissem, coniecturam cœpi, nihil nisi crasse sapere Lucensem populum posse. Pratum inde profectus quo mortales multi conuenerant) festus enim dies erat) ciues, incolas, aduenas, ita in cingulũ illud Diuæ matris intentos uidi cunctos, uti confestim inde abierim. Quæ enim scabies superstitione scabiosior? Veni post Florentiam, in qua quod mulieres formæ nimium studerent, quosdam ab ijs aliquanto alieniores animaduerti. Vna mihi ciuitatis eius mirum in modum disciplina placuit, quod singulis in domibus singulas stateras uidebam appensas, eos autem qui magistratus gererent, duplici etiam statera uti, altera enim ciuitatis, altera Italiæ res expendunt. Hinc Bononiã cum uenissem uiuum illic sapientem inueni neminem, Mortuos uero multos, eosq; in catenis habitos. Galliæ citerioris urbes uidi tantum, quæ quod Tyrannis seruirent, quomodo sapientem in illis quærerem? Tamen animaduerti pullulare aliquando apud eas sapientiam cœpisse, Consuesse enim Tyrannos à popularibus occidi, libertatem uero retinere diutius ciues nescire. Volui uidere Genuam, quam ubi uidi, Dij boni belluam illam multorum capitum uidi. Annus ipse neq;

tam uarius, neq; adeo mutabilis quàm Genuensium ciuium sunt ingenia. Vnde secunda nauigatione usus, atque in Telamonis portum delatus, animaduerti tertium quoddã illic hominum genus esse physicis ipsis ignotum. Nam cum hominum alij uiui, alij mortui dicantur, qui Telamone agunt, eos nec uiuis nec mortuis annumerandos censeo. Fugi statim laruarum gregem, ac Zephyro spirante Romam deuectus, ibi biduum egi tum monimentis ueterum cognoscendis, tum sacris perscrutandis. Tertio die, dum sapientem quæro, uenio ad Floram, præter Popinones, Lenones, Ganeones, uix illic uideo alios. Venio ad pontem, omnia inuenio plena feneratorum. Eo lateranum soli ibi coqui, solæ tabernæ meritoriæ, perrecto diuersa urbis loca, regiones Angiportus, compita, greges, cuiusq; modi generis hominum, incompositi passim obuiam fiunt, omnes ut mihi uidebantur uentri dediti. Dum sic per urbem uagor, duo maxime periculosa contigere, nam & meretricum manus uix euasi, pallio etiã timens, & sacerdotum mulabus penè subtritus sum, quorum uitam, mores, instituta dũ nouisse curo, inuenio ex his non paucos, quos reliquis mortalibus ad omnem uitæ partẽ optime agendã exemplũ iure statuas, quosdam tamen quos uere dicas nihil nisi uoluptatem quærere, eã'q; solã sequi. Captus itaq; fama unius, atq; alterius sacerdotis, dũ eos quærito, factus est mihi obuiam literator q me pugnis male habuit, cum inter loquendũ excidisset ut dicerẽ, ocio illic marcescere homines qd huiusmodi uerba splendesco, tabesco, liquesco, casum illũ respuant, ac dum Ciceronem testem adduco,

» Nihil est quod non splendescat oratione, Dum Virgilium
» Cera liquescit uno eodem'q; igni
» Et molli paulatim flauescet campus Arista,

Dum Columellam, Multa sunt ut dixi, quæ neglegentia exolescãt. Dum etiam Plinium. Igne spissatur, humorem feruescit, ille in irã ac iurgia prorumpens, miseris me modis habuit. Ego satis habui incolumi pallio inde me proripere. Itaq; dum Romæ sapientem quæro, mercedem hãc accipio. Illud etiam q̃ incommodissime accidit, quod dum ab hoc literatore uix me auello, in alterum incidi, cui per conctanti, iniuriam'ne aliquam accepissem, quod uideret male me fuisse acceptum, cum responderem, insignem me à grammatico iniuriam passum, q̃ rectissime inquit grammaticus ille. Quid malum? non te pudet senem loqui latine nescire? ubi tu gentium reperisti, iniuriam patior? Atqui, inquam, apud Ciceronem in Philippica tertia, Aequo animo belli patitur iniuriam, dummodo repellat periculum

ſeruitutis, Et in Lælio Is in culpa ſit qui faciat, non qui patiatur iniuriam. Hoc uis dicto, quod is iam pugnos ſtringeret, dedi me in pedes, ac Roma egreſſus, Velitras q̃ citatiſſimo gradu petij, Ex eoq; decretum eſt mihi ualere ſapientem ſinere. HER. Cur obſecro trans Alpes non profectus? SVP. quod ſcirem Gallos maxime ſtolidos eſſe, corpusq́; curare, magis quàm animum colere, Regemq́; eorum quãuis ſplendidiſſimum tam breui tamen ueſtitu incedere ut pudenda non uelet, ac ſi Cynicorum ſectator ſit inſtitutorum. HER. Satis magna cauſa. Hiſpanias uero adire quæ te ratio uetuit, ubi genus hominum acre, atq; ingenioſum?. SVP. Ne dum ſapientem quæro in piratas inciderem remoq́; adijcerer, neq; enim tam Sicilia tritici, q̃ prædonum Hiſpania ferax eſt. HER. Venetias cur non uiſiſti, q̃ ſapientium urbẽ ſunt qui dicere audeant? SVP. Deſtinaueram animo ultimam hãc petere, pluſculumq́; illic temporis agere, Dum mores ciuitatis, dum ciuium ingenia, leges, ritus, Reip. temperationem noſcerem, & fama quidem acceperam ſenes illic moderari. Nec me deterruit, quod elatiſſimi mortalium dicuntur omnium, ſed quod ut dixi, decretum eſt mihi poſthac meas tantum res agere, nec me grammaticis credere, quos audio ibi regnare, quoſq; malo meo fato genitos ſcio, neq; enim Romæ ſolum, ſed Velitris, ſed Terracinæ peſſime ab illis habitus, atq; acceptus ſum. At uidete obſecro quam ob cauſam. Adieram medicum ſciſcitaturus an diſtillationi frictio eſſet utilis. Aderat forte grammaticus audacia tam importuna ut reſpondere medicum non paſſus, obiurgare me ſtatim cœperit quod fricatio non frictio diceretur, nomina enim quæ à primæ coniugationis uerbis deducerentur, ſupinum habentibus in itum uel in ctum, præter cæterorum uerborum legem exire in atio, non in itio, nec in ctio, Itaq; fricatio non frictio dicendum eſſe. O' bone inquam uerbalia in io, aut à ſupinis ipſis, aut à genitiuis participiorum præteriti temporis fiunt, quæ ab ipſis ducuntur ſupinis, ut Oratus orati, oratio, Auditus auditi, auditio, Auctus aucti, auctio, profectus profecti, profectio, Largitus largiti, largitio. Quocirca nomina deducta à uerbis ſupini poſitionem habentibus in ctum, cuiuscunq; ſint coniugationis in ctio exeunt, non in catio ut perfectum perfectio, non perfecatio, Diſtractum diſtractio, Lectum lectio, Actum actio, Sanctum ſanctio, nec aliter, ſic frictum frictio, non fricatio, nam ex internetio ut quidam uolunt C littera dempta eſt ſuauioris ſoni gratia. Simili modo ſectum ſectio, non ſecatio.

Sic Cæſar, ſic Quintilianus ſectionem, non ſecationem, Et Plinius
Celſus'q; frictionem non fricationem dixere, nec te moueat explica-
tio & uetatio, quorum ſupina in ctum non exeunt, quare ne te li-
brariorum imperitia decipiat uide. Dij boni ac ſi non uerba hæc,
ſed uerbera fuiſſent, Ita in me irruit, ut niſi medicus qui'q; ciues ade
rant ab illius me unguibus eripuiſſent, actum de Suppatio tuo fuerit.
Vide pallium conſciſſum, & faciem diſſectam uide, cum Vrſo, Leo-
ne'ue, nō cum homine mihi eſſe rem putaui. Grāmatico ab alio tumi
dum ſupercilium fero, ac bene mecum actum puto, quod non ex eo
pugno oculum amiſerim. At quam ob cauſam? quod affirmarem poſt
negandi aduerbium licere etiam copulationem ponere, quæ negatio
nem ipſam redderet, exemplo Cæſaris commentario ſeptimo. Tanto
» accepto incommodo neq; ſe in occultum abdiderat, & conſpectum
» multitudinis fugerat. Item quod in conſpectu omnium res gereba
» tur, neq; tegi ac turpiter celari poterat. Licere item dicere è contra-
rio, authoritate eiuſdem Cæſaris eodem commentario. Vt reliquo-
» rū Imperatorum res aduerſæ authoritatem minuunt, ſic huius è con
» trario dignitas incommodo accepto indies augebatur. Necnon uer-
bis ſignifico, addo, & peto, accuſandi, caſus loco, caſum auferendi
cum præpoſitione apponere authoritate Cæſaris eiuſdem, commenta
» rio eodem dicentis, Conclamare & ſignificare de fuga Romanis cœ
» perunt, Et quinto commentario. Addunt etiam de Sabini morte.
Item de ſuis priuatim rebus ab eo petere cœperunt. Quinetiam no-
men unus una unum plurali numero licere etiam adiungere nomi-
nibus quæ ſingularem numerum haberent, quod Cæſar etiam face
» ret commētario primo. Animaduertit Cæſar unos ex omnibus Sequa
» nos, nihil earum rerum facere quas cæteri facerent, ſed triſtes capi-
» te demiſſo teram intueri. Commentario quarto. Seſe unis Sueuis
» concedere, quibus ne dij quidem immortales pares eſſe poſſint. Com
» mentario ſexto. Erant Menapij propinqui Eburonum finibus per
» petuis paludibus ſiluis'q; muniti, qui uni è Gallia de pace ad Cæ
» ſarem legatos nunquam miſerant. Cicero tertio rhetoricorum. Du-
» plices igitur ſimilitudines eſſe debent, Vnæ rerum, alteræ uerborum.
» Latine etiam dici quinam & quiſq; de duobus, non aliter quàm
» uter & uterq; exemplo Cæſaris qui ait, Commentario quinto. Erant
» in ea legione fortiſſimi uiri Centuriones qui primis ordinibus appro
» pinquarent Titus Pullo, & Lutius Vorenus. hi perpetuas controuer-
» ſias inter ſe habebant quinam anteferretur, Et commentario ſeptimo,
» cum de controuerſia Conuictolitanis & Coti Heduorum mentio-

nem faciens inquit, ſuas cuiuſq; eorum clientelas. Quintilianus libro decimo. nam Macer & Lucretius legendi quidem, ſed non ut φρᾶσιν ideſt ut corpus eloquentiæ faciant, Elegantes in ſua quiſq; materia, ſed alter humilis, alter difficilis. priſtinum quoq; diem recte dici commentario quarto docet Cæſar. Milites noſtri priſtini diei perfidia incitati in caſtra irruperunt. Quinetiam utraq; et utræq; numero plurali, exemplo maiorum romane dici de ijs quæ duo duæ'ue tantum eſſent, aut ſingulari numero proferentur. Salluſtius in Catilinario, Agitabatur magis magis'q; indies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, Quæ utraq; his artibus auxerat quas ſupra memoraui. Cæſar commentario primo. duæ fuerunt Ariouiſti uxores, una Sueua natione quam domo ſecum duxerat. altera Norica Regis Boctionis ſoror quam in Galliam duxerat à fratre miſſam, utræq; in ea pugna perierunt. Inique etiam accuſari Lactantium qui dixerit, maxime tamen Erythrea quæ celebrior & nobilior inter cæteras habetur, Cum Cæſar dicat Commentario quarto, ad alteram partem ſuccedunt Vbij, quorum fuit ciuitas ampla & florens uti eſt captus Germanorum, qui paulo ſunt eiuſdem generis etiam cæteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt. & Plinius ad Gallum. tera malignior cæteris, hac non deterior. & ad Caninium. Quo in certamine puer quidam audentior cæteris in ulteriora tendebat, Itaq; permiſſum eſſe uti comparatione etiam ad eos qui ſunt complures eiuſdem generis. Falſò etiam tradi quod inſtruo puerum, aut inſtruit magiſter diſcipulum latine non dicatur, cum libro primo Quintilianus dicat, quæ non eorum modo ſcientia, quibus quidam nomen artis dederunt ſtudioſos inſtruat, &, ut ſic dixerim ius ipſum rhetorices interpretetur, ſed alere facundiam, uires augere eloquẽtiæ poſſit. Item libro ſecundo. Ita ipſe quoq; hiſtoriæ atq; etiam magis orationum lectione ſuſceptos à ſe diſcipulos inſtruxerit. Non minus falſò etiam præcipi, quod ſubſtantiuis gerundiuum tantum, non infinitiuum addendum ſit. cum Cæſar dicat commentario ſeptimo, prius quàm munitiones ab Romanis perficiantur, conſilium capit omnem à ſe equitatum noctu dimittere. Cicero tertio rhetoricorum. Tempus eſt ad cæteras partes rhetoricæ orationis proficiſci Salluſtius in Catilinario. Non fuit mihi conſilium ſecordia, atq; deſidia bonum otium conterere. Quinetiam ineptiſſime ſentire eos qui negent latine dici, non habeo plus uno prædio, Cum dicat Quintilianus libro tertio. Simplex autem cauſa, etiam ſi uarie defenditur, non poteſt habere plus uno de quo pronuntietur, atq; inde erit

Status cauſæ. Item. Ideóq; in eo ſtatum eſſe iudicabo. quod dicerem,
ſi mihi plus q̃ unum dicere non liceret. Quæ q̃ moleſte bonus hic
grammaticus tulerit, meum hoc ſupercaliũ docet. An tibi uideor grã
maticorum furijs amplius obiectandus? Faceſſant poſthac igitur ſa=
pientes, dum à grammaticis me in libertatem uindicem. Fundis Hy
trijsq́; fuere mihi res aliquanto quietiores, ubi ne dum literatores,
nullos quidem literatos inuenio, quippe cum oppidani non urbanam
colant, ſed uillaticam palladẽ, omnes enim oleo dediti ſunt. Poſt Ca=
ietam ingreſſus obuiam habui mulierculam, quæ me blande appel
latum, deq́; uia feſſum, ad umbram inuitauit, frigidamq́; qua me
pluerẽ uitreo q̃ conſpicatiſſimo protulit. Delectauit me familiaritas,
cœpitq́; de patria, deq́; re familiari percunctari, cũ ſtatim puella non
inhoneſta facie, nigricantem gallinam ac nouẽ ſimul oua detulit, quæ
die ueneris nata eſſe diceret. Nec multo poſt uenit ancillula cum ana
ticulo, & albo filo. abire ambas iuſſit rediturас accenſis facibus, ter
tium eum lunæ diem eſſe admonens, atq; ad me conuerſa. Ex quo, in
quit, uirum amiſi, cum mihi nihil moriens reliquiſſet quæſtum face
re hunc cœpi. & profecto Caietanæ mulieres cum ſint ſuperſtitio-
ſulæ ſatis commode hinc uictitarem ni fratres quidam prouẽtum in
terciperent, dum ſomnia conijciunt, dum iras Deorum uenditant, dũ
uiros nubilibus, mares grauidis, prolẽ ſterilibus promittunt, quodq́;
ſceleſtiſſimum duco, quia Caietana plebecula, piſcatui pleraq; dedita
eſt, noctu ad plebeiorum uxores domum uẽtitant, quas interdiu per
ſpeciem religionis in templo audiunt. Ac ne decipiare hoſpes quam
uidiſti ancillulam, ea heræ iuſſu quæ grauida è fraterculo eſt, ad
me conſulendam uenit, quæ prior uenerat puella ſponſum habebat,
cuius forma captus bonus neſcio quis Deoq́; peccatrus fraterculus ſuis
artibus ſeductum, induere cucullum ſuaſit, ac nũc ſecum habet in
cellula. Improbe inquam factum, ſed tu uelim ne fratres in te com
moueas, quos uideam in Italiæ urbibus regnare. Tum illa, deſine ti
mere obſecro. Nam ex quo iuuencula eram, conuentus cuſtodem co-
gnoui, ac ni fallor, Is eſt quem huc uenientem conſpicatris, Confe-
ſtimq́; hoc dicto domum ingrediens me ualere iuſſit. Ab eo inde ad
mare, gregem illic piſcatorum inuenio, ac dum ſingulos contemplor,
optimos quosq; piſces ſeligi ab eis uideo. Quæro uenales ne habeãt,
reſpondent aſſeruari fraterculis, ſeq́; Deo illos uelle offerre. Tũ ego
mecum macti, inquam, pietate, adulteros tam delicate qui paſcitis. eo
hinc ad meritoriam, Cumq́; inter prandendum repente in proxi-
mo mulicerularum pugillatus exortus eſſet, harpyiarum uitare iras

constitui, meq́; propter Vitruuij sepulcrum, Molam, quæ in formiano est litore, atq; inde Suessam contuli. Ibi mane in foro spectantem me scitulas puellas, cum biferarum quasillis, mulier compellat eloquentia non uulgari, & quod palliatum uidebat postquam benigne salutauit, amabo, inquit, quàm tibi mores nostri placent? Credo admiraris scitulas has, Credo Platonis legisti Rempu. quam si ciues nostri non omnino probant, uitam certe aliquanto liberiorem non improbant. Hæ puellæ partim nuptæ, partim sponsæ, quædam etiam nondum uiris collocatæ sunt, Licet tamen cum ijs & iocari, & liberius etiam ludere, ne te igitur delitiarum pudeat, blandulæ sunt, uirosq́; ad se holerum, ac frugum gratia inuitant. cupiunt uědere, sic se ciuitatis nostræ mores habent, neq; enim uir bone ignoras probum, improbumq́; pro locis, populis, nationibus iudicari, neq; tam naturam, quàm leges atq; instituta sequi, aliaq́; alibi laudari. Quid multis? cœpit etiam de uirtutibus deq́; Deo tandem differere. Ego uix auellere me ab ea potui, tandemq́; digressus, notumq́; mihi hominē percunctatus, unde tantam mulier doctrinam hausisset, cum suspicerem tum rerum cognitionem, tum dicendi copiā, neq;, inquit, nostra hæc, fabulosum illum musarū fontem hausit, sed Theologi linguam compluribus annis ore suo uersauit, neq; ut priscus ille Ennius in Parnaso somniauit, sed uigilans in toro atq; in Theologi complexibus cubuit. Ex huius ipsius linguà manat eloquentia tam suauis, ex ore theologi orat tam copiose, atq; inundanter, Spiritum huic ille inspirauit roremq́; instillauit, unde oratio eius spirat, stillatq́; tam suaue. An igitur post hac Herrice habes quod aduersus institutionem edisseras? Vides quantum ars, quantum disciplina, quantum domestica cōsuetudo ualeat? Intellegis quantum doctorum familiaritas possit? Quanta in omni genere institutionis uis sit assuetudinis? mulierculam eloqui? femellam sapere? hoc est profecto cur contempta grammaticorum importunitate, libeat sapientem adhuc quærere. HER. O' gnaue, ac sapiens Suppati scis quid de theologis his nostris sentiret Antonius, quando Suessanam istam tuam hausisse à Theologo eloquentiam cum scientia dicis, scis inquam quid de ijs sentiret Antonius, optime cum ipsis agi quod in claustris atq; in solitudine uiuant, quod plebecula uanas eorum disputationes non intellegit, fore enim si in publico uitam agerent, si eorum dissertiones notæ uulgo essent, uti sutores formulis, ferrarij malleolis, indusiarij forficibus insectarentur. Primum quod minime castam agant uitam, deinde quod inanissimis de rebus ad insaniam differunt, ac si qui sunt

qui ueterem probatam'q; theologiam sequuntur, contemptui eos ha-
bent. Verum si placet optime Suppati, relictis his, peregrinationem
perficias oro, ac siquid Capuæ, siquid Aversæ uideris, noueris, com
pereris, explica. SVP. Capuam ingressus obuiũ habui, q quod phy-
sicum profiteri me crederet, consuluit quid oculis maxime conferre
ducerem. Respondi, si causidicum aduocatum'q; nunquam uideris.
Quid auribus? si nullam domi mulierem habueris. Quid stoma-
cho, si nunquam in mensa cum sacerdote Cardinale accubueris? Cō
suluit quid item rei familiari multum prodesset. à Catalano merca-
tore mutuum non accipere. Quid ad uitæ tranquillitatem, aulas do
minantium nunquam ingredi. Quod tempus minime esset utile.
quod audiendo fratri francisco cui Hispano cognomen est, impende
retur. Hunc ego ubi uideo plura quoq; paratum quærere, quando,
inquam faciendo itineri occupatus sum quæso mutuum mihi redde,
& comite quo Neapolim usq; commodiore uti possim, edoce. Tum il
le agrum inquit hunc nostrum peragranti, si bene tibi consultum ue
lis, lupum comitem adhibebis, neq; enim comite alio tot, tantorum'q;
molossorum rabiem euitaueris, atq; utinam unus tibi satis sit lupus.
Atqui, inquam, meus hic asellus uni lupo satis non est. Egressus igi-
tur Capua puerum, quod aliquantum de uia fessus esset, asino im-
positum præcedere cum iussissem, ipse post sequebar, nec multum uiæ
progressus audio irrideri me à uiatoribus, ac fatuum dici quod senex
ipse ac pannis inuolutus pedibus iter facerem, puerũ firmis pedibus,
atq; expeditum asino ante ducerem. Itaq; haud multo post cum ius-
sissem puerum descendere, ipse asino uehi cœpi, nec ita multum iti-
neris confeceram, Ecce qui me accusare cœpit, quod ualidis uiribus,
puerum ætate tenera, atq; imbecilla, ire pedibus paterer, ipse asello
ueherer. Equo statim, crimen ut auerterem descendi, bestiolam'q; du
cere capistro cœpi. nec multum ab Aversa aberam, ibi miris me mo
dis, ab iis, qui & ipsi oppidum petebant, me'q; sequebantur condem
nari, atq;, ut ita dixerim, excachinnari sentio, quod cum puero unà
ferri asello commodissime possem, uacuum tamen illum atq; expedi-
tum reste ductarem, quibus ut satisfacerem ascendi cum puero asel-
lum. uix autem oppidum intraram cum sublatis primo cachinnis,
post etiam clamoribus intellego me à popularibus incessi. O' senem
delirum, o' asellum miserrimum. Non corruit infelix sub tanta sar-
cina? non crepuit misellus? uidetis'ne asinum asello uehi? sentitis qua
drupedem belluam, quàm bipes bellua est, non adeo quidem belluā
esse? Deniq; pueri lapidibus me insectari cœpere. quibus instigatus

asinus

asinus currere cum cœpisset, me cum puero una in lutum excussit, nec defuere qui pallio pedibus insultarent. Irrisus, contemptusq; lutosam urbem luto collitus transeo, nec iam Suppatius ab ijs, quibus essem cognitus sed Lutatius uocitabar. Atque hic quidem susceptæ ob quæritandum sapientem profectionis, exitus ac finis fuit. Habes Herricæ bone, ac uetus amice peregrinationis meæ rationem, quæ utinam Antonio nostro cognita esse posset. Verum cum illo melius actum est, quod solutus humanis curis, inter beatos nunc agit, nec de sapientia ulterius solicitus est, cuius me studium ut intellexisti ad Asinum redegit, tibiq; persuadeas uelim, multos diuites, non paucos doctos recte dici, & quidem esse, sapientem autem neminem. Qua de re post etiam plura. Nunc Pontanum nostrum ut uisam eo, quem Capuanam ingressus dextrum crus fregisse accepi, atq; è dolore uehementer laborare.

HOSPES. COMPATER. LVCIVS FILIVS.

m VLTA Quidem à Siculis meis audio de Pontano prædicari, eiusq; in primis facilitatem, atq; mansuetudinem laudant, cuperemq; illum nosse, atq; alloqui, ac per familiarem aliqem aditum ad eum habere, sed lenito dolore, qui dum crudior est, non tam facile uisitationem admittit. Interim contentus ero, qua facie sit nouisse. COM. Bona et recta statura, fronte lata, caluo capite, superciliis demissioribus, acuto naso, glaucis oculis, mento promissiori, macilentis malis, producta ceruice, ore modico, colore rufo, adolescens tamen perpalluit, reliquo corpore quadrato. Vnum nunc illi male contigit, nobis amicis non incommode, quod pede altero debilior cum sit factus, in deambulationibus remissior futurus est. Sed bene habet, eius filiolus domo egreditur, quem compellasse non iniucundum fuerit, cum sit bona & læta indole, atq;, ut uideo, ad nos uenit. Luciole quid agit pater? LVC. Cum matre litigat. Accessit ad eum adolescentulus cum mandatis, putat illum mater missum à pellice. eam uociferantem, quo magis ridet pater, eo uehementius irritat. ego è cubiculo me proripui, atq; eo libentius quod sacerdos ad eum ingressus est, uult enim mater sacerdoti se ut purget, ac peccata nudet, rem sanè importunam, sat enim scio matrem, & sua & patris peccata nudius tertius sacerdoti ordine aperuisse. Nam cum ipse ad confitentis ma

tris genua assedissem, maternam confessionem, aut rectius quæstũ, attente aucupatus sum. Bone sacerdos maritus meus amat ancillulas siquas facie liberali uidit. sectatur ingenuas puellas. Anno superiore Tarenti cum esset, cognouit non unam. anno ante in Hetruria cum Gaditanula deprehensus fuit. Iocatur etiam domi cum Aethiopissis. nec pati possum eius intemperantiam. Ille ridet. ego dirumpor. perrectat urbem, ac principũ aulas. Ego domi inter pedissequas partior pensa. Nam quid ego illum cum sodalibus, quibus quàm familiarissime dies, ac noctes utitur, nisi de amoribus, deq; uoluptate loqui, atq; agere putem? cum interim misera in cubiculo de re familiari solicita domesticis curis maceror. Dij me omnes aspexere, quo die crus fregit, non licebit claudum totis diebus domo abesse, singulis horis prostibulas adire, Rideat nunc, Vrbem inambulet, frequentet sodalium domos, audiat uia in media pellicum pueros, ego uel ex hoc Deos æquissimos iudicauerim, quod tandem iusto eum supplicio affecere. Quid igitur opus, patrem errores iterato confiteri, quos mater tam aperte explicauerit? nuper notus quidam & uetus, ut arbitror, familiaris patrẽ cum adiret, ubi eum uidit mater, ex exclamare statim cœpit. Scilicet ab Hetruria? ab Scortillis? Quid agunt pisatiles meretriculæ? præ ira non Pisanas, sed Pisatiles dixit. Vt ualet Gaditana illa? ut memor est amorũ hirqtuli huius? detulisti ne ab ea literulas cum mandatis? ubi munuscula? ubi monimenta ueterum delitiarũ? ac tantum non manũ inijciebat, quod ille ueritus retro ad Ianuam mature concessit. atq; ac tutum abijt. Mihi pater ut cederem innuit. ipse carmen decantare euomium cœpit. HO. Scitum puerum. Sed obsecro carmen euomium, quod sit edoce? LV. Qui carmen dicit in mulierem furore percitam conuersus, ter despuit, illa statim bilem euomit, ac rabie leuatur. Ipsum autem carmen est. Triceps est cerberus, ter te ego despuo. Triplex est Eumenis, ter te ego despuo. Vomas dico uomas, ter uome, & improbam, Pectore purgato rabiem ad phlægethonta remitte. HO. Mirum huic carmini uim tantam inesse? LV. Ipsa res docet. Sed desine obsecro. mater est in fenestra cuius conspectum uereor. Valete bellissime.

HERRICVS. SVPPATIVS. LYRICEN HOSPES.

Pinione citius redit ad nos Suppatius. SVP. Hoc deerat ad quæritandam sapientiam, mulierem irritatam adire, ne id uelit sapientiæ ipsius pater Iupi-

piter. Et disputant adhuc sapientes quidam de uxore ducenda? Non quidem si ipsa sapientia ducenda sit, uxor mihi ducenda uidetur. bonus tamen hic & constans Pontanus ridebat, & uultu quidem quã maxime tranquillo. o' confirmatissimi pectoris hominem. Mihi quidẽ si hæc uita est maritorũ, ne ipsa quidẽ constantia uideri uirtus potest, quæ uitæ inquietudinem, ac miseriã alat. Quid enim offirmatio tã constans, ac perpetua, nisi continuæ rixationis alimonia est? Valeat, ualeat uirtus ista coniugalis litigiorũ nutricula. Valeat maritalis uita. Ego me ad Herricũ refero. HER. Quæso cur tam cito? SVP. Dormiscere aiebant, atq; à dolore paulũ modo requiesse. Interea dũ edormiscat, Antoniano munere si placet fungamur. HER. Placet, ac perq̃ opportune Lyricẽ, et qdẽ nõ malus sese offert. Ades lepide homuntio. Lyrã tange amabo, sepositumq; aliquid sucine. LY. Perq̃ libenter.

Ne faciem Telesina colas, neu finge capillum,
  Bella satis, soli si modo bella mihi.
Munditiæ Telesina iuuant, Fuge candida luxum.
  Munditijs capitur delitiosus amor.
Luxus obest formæ, forma est contenta pudore.
  Ipse pudor ueri iura decoris habet.
Simplicitas nam culta sat est. Tu lux mea cultum
  Effuge. bella quidem simplicitate tua es.

HER. Accipe mercedulam, & carmen ipsum itera.
LY. Quin aliud potius?

Sirenes madidis canunt in antris,
Dum captas male subruunt carinas.
Sic mortalibus ipsa uita, blande
Illudens, canit ut dolosa Siren,
Donec uel grauis ingruit senecta
Aut mors occupat, estq; nil quod ultra
Iam restet, nisi fabula, atq; inane.

HER. Lepidissime. atq; utinam non tam uere. Quæ autem facilitas est tua. etiam aliquid quod nouum sit. LY. Quam libentissime. Suppatij præsertim gratia, senis tum iucundi, tum etiam musicæ huius non imperiti.

Dulce dum ludit Galatea in unda,
Et mouet nudos agilis lacertos,
Dum latus uersat, fluitantq; nudæ
      Aequore mamæ,
Surgit e' uasto Polyphemus antro,

Linquit & solas uolucer capellas.
Nec mora, & litus petit, & sub altos
Desilit æstus.
Impiger latis secat æquor ulnis.
Frangit attollens caput, & per undas
Labitur, qualis uiridi sub umbra
Lubricus anguis.
Illa uelocis mouet acris artus
Dum peti sentit, simul & sequentem.
Incitat labens, simul & deorum
Numina clamat.
Illicet diûum chorus hinc & illinc
Fert opem fessæ. At Polyphemus ante
Non abit, lassus licet, & deorum
Voce repulsus,
Quam ferox nymphæ tumidis papillis
Inijcit dexteram, roseoq; ab ore
Osculum uictor rapit. Illa mæsto
Delitet amne.

SVP. Habetur à me tibi non parua gratia, habebitur & abunde quidem magna, si ut in Herrici gratiam, sic in meã quoq; adhuc aliquid dignum te, dignum hoc consessu, dignum etiam noua, & rediuiua ista disciplina. LY. Geretur à me tibi mos. Vtinam tamen is essem, cuius ingenio musicæ ipsi aliquid collatum esset. Ac ne ex eorũ sim numero qui, ut ab Horatio iure irridẽtur, nunquam rogati cantare inducunt animum, etiam hoc accipe, In tuam atq; Herrici ipsius, si tibi non displicet gratiam.

Ad quærcus amarylli ueni, Dum retia seruo.
Aere dum timidas funda detrudo palumbes,
Ipsa dolo, errantem per deuia falle sororem.
Ipsa ades o' amarylli. recens tibi caseus, & lac
Ad fontem, pendetq; grauis fiscella sub alno.
Te cucumis, uiridisq; pepon, hortensia dona,
Te seruata cauo iam pridem subere mella
Exspectant bini lento de uimine quali
Seruantur, quis labra niger flauentia claudit
Iuncus, & intexto dependent cornua ceruo.
Percurrit medius lacrimoso flore hyacinthus,
Et niger auratas suspendit graculus ansas

Graculus. à dextra serpens latet, et fugit ala.
Quid cessas amarylli. duos tibi pascimus agnos
Hinnuleosq; duos, quos matris ab ubere raptos
Inter lactanteis ipsi saturauimus hedos,
Nec dominum ignorant catuli, ueniuntq; uocati.
Est mihi præterea thalami seposta supellex
Supparus. hunc neuit lyrineia. texit Alcon
Palladi dilectus Alcon. cui tortile collum
Nectit ebur, læui stringit noua fibula buxo.
Brachia ceruleæ decurrunt tenuia lanæ
Lanæ, queis medius pauo nitet intertextus?
Filaq; purpureus miscet uariantia limbus.
Hæc tibi seruatur festis Amarylli diebus,
Rara chlamis, rarum specimen, mirabile textum,
Vel tibi ut inuideat Lalage, rumpatur ut olcas,
Spectatum ueniant ut munera ad ipsa napeæ,
Mœonis ut tantum decus admiretur Arachne.
Obuius ad corylos uenio tibi, hic mihi primos
Amplexus Amarylli dabis, dabis oscula prima.
Lenta lego ad cerasum duo sucina quæ tibi seruo.
Altera celatum culicem stridentibus alis
Includunt. tenui sub cortice murmurat ales.
Altera, nutantem sub iniquo pondere celant
Formicam. Illa oneri incumbens trahit horrida farra
Hæc primo pro complexu tibi munera sunto.
Quid moror? en Coryli iam summa cacumina motant,
Iam strepitant uirgulta. Lycas latrat. eia age thyrsi,
(Ipsa uenit) propera. miserum me, num strepit aura?

HER. Plenos uoluptatis nos relinquis, ac bonæ spei suauissime homo. Nam quanquam multum tibi ætas debet nostra qui ex agresti illa musica sic emerseris, Debituri tamen plura multo sunt posteri, si qui te uolent imitari. Fore enim speramus, si quos tui similes relique ris, uti pristinam in dignitatem excellẽtiamq; restituatur, tametsi quã tum ipse hac in re profeceris non ignoramus. LY. Siquid profeci gaudeo, quamuis quid profecisse potuit homo, tantis tum suis, tum alienis impeditus curis? Voluntas certe non defuit, defuere otia, quodq; paucos admodum nouimus qui studijs his delectarentur. qua è re uoluntas ipsa non parum pertepuit, & ut uerius loquar, refrixit. In magnis tamen occupationibus & seculorum iniquitate, si qd æta

ti nostræ attulimus ornamenti, lætamur, nec laborum pœnitet, quos grauissimos ab adolescentia ipsa suscepisse non diffitemur, qui minus quidem apparent propter castrenses molestias, quæ optimam uitæ partem studijs eripuere. Sed desinam de ijs dicere, ne de me ea ipse prædicem quæ ab alijs coràm predicari non paterer. Satis eni & olim habui si per paucis, & nunc habeo si uobis grauissimus senibus musa nostra non displicet. Nec est quod ullas à uobis exspectem gratias. tantum oro, ut abire me quàm primum post quàm ali qua ex parte uobis satisfeci, æquo animo feratis, inuitatus enim ad amici nuptias propero hymenæum decantaturus. HER. Et abire te quàm æquissimo animo patimur, quamuis utinam nobiscum esse te & sæpius, & diutius liceret, & gratias etiam quantas pos sumus maximas agimus, qui animos nostros tam suauiter, uarieq; delinieris. LY. Valete igitur continentissimi senes. HER. Et tu lepidissime homo abi quàm auspicatissime. Admiraris bone hospes honuntionis huius canendi ut uideo suauitatem, ac sub tam remisso incessu ingenij nobilitatem tantam. Scias uelim usurpare so litum Antonium, cæteros ferè omnes huiusce artis studiosos ingenij sui ostentatores esse, hunc autem dissimulatorem, & quod ipsi sæpe audiuimus cum alijs plurimum tribueret, sibi ipsi uel acerrime detrahentem. Sed quæso utor ne ego recte oculis? quæ'nam hæc pompa est? Dij boni qui grex personatorum? Et hoc quoq; recens asalpina è Gallia allatum est. Deerat unum hoc ciuitatis nostræ moribus tam concinnis. Prægreditur tubicen. Sequitur hedera coronatus, quasi populo recitaturus, quis nouus hic uates, tantum secum adducens personatorũ? ò laruatorũ urbem, ò fanatica ingenia. Quid qđ pulpitum, ac subsellia extruũt? an sibi audiẽtiã parant? O' iucundissime Antoni ubi nũc es? ubi risus ille tuus, lepos'q; tam salsus? Ascendit uates pulpitũ. auditores consedere. Canit iã tubicen. audiant otio qui abundant. Me satis quidem fuerit in adolescentia delirasse. ætati huic compositiores sunt mores induendi, atq; ut uideo experrectus somno Iouianus nos per puerum ad se uocat. Licet & te si cule hospes nobiscum ad amicum, & perhumanum hominem ingredi. HO. An est quod magis cupiam? uos præcedite. Ego sequor.

HISTRIO PERSONATVS.

Acete atq; silete atq; animum aduortite,
Nouam afferimus uobis quæ uetus est fabulam
Muti tacete. mutos tam diu uolo

Silentium dum rumpat, plausus, editus
Lingua, manu, pedibus quam clarissimus.
Hoc qui faciet plausum post editum, bibet.
Tacent. nimirum sitiunt omnes maxime.
Atqui licet potare plausum ante editum.
Adest cadus, caupo guttum, atq; urceus.
Caueat tamen qui bibit, ebrius ne cubet.
Silentium non somnum mutamus mero.
Illi promito caupo, sedet qui ultimus.
Vinosum eum esse non somniculosum indicat
Productus nasus, eminens, tuber, rufus.
Ipse hoc fatetur. ridet. habent hoc ebrij,
Rident libenter, risus nam sitim excitat.
Nouum tamen poetam ridere abstine.
Cœnabis post silentium, pretium hoc erit.
Immo potabis, large, abunde, gallice.
Ridere sed iam desinas post quam satis
Potasti. nasum emunge. atq; aures arrige.
Nouum dum uates carmen pulpito intonat
Prius tamen argumentum hoc explico tibi.
Dum castra haberet ultimis in finibus
Hispaniæ Sertorius, dumq; aggredi
Parat Pompeius ex improuiso eum,
Fit per exploratores ipsa certior.
Cogit in campis copias. committitur
Ab equitatu certamen sæuum atrox dubium.
Equi uiriq; hinc illinc confossi cadunt.
Duces accurrunt propere instructo agmine.
Pugnatur, ui, dolo, fraude, audacia.
Nox prœlium, ac Dianæ nuntia dirimit.
Habetis argumentum ueteris fabulæ.
Heus tu qui dexter assides, subrigito
Oculos, ac mentulum. quid spectas humum?
Paulatim sicut uideo somnum prouocas.
Ridetis. dixi mentulum non mentulam.
Nec est peccatum, à mento, non menta editum est
Vocabulum. Nouus sed uates incipit.
Demulsit barbam. hederam capiti implicuit.
Tacete, atq; silete, atq; animum aduortite.

Pse autem auratis fulgens Sertorius armis
i Agmina cogebat campis. huic filius astat
Hernicus, hispanaq; satus de matre Marullus.
Hic peditem, ille equitem addensat. sua signa tribuni
Expediunt. portis ruit indignata iuuentus
Præuenisse hostem, & montis iuga celsa teneri.
Non aciem campo statui, aut dare signa maniplis
Pompeianus eques patitur. uolat agmine facto
Præcipitans. Prim, Mariusq;, acerq; Seuerus
Occultam nacti uallem, qua proxima ducit
Semita, limosumq; ferunt uestigia ad amnem.
Astitit in ripa Marius prior. hunc uada nantem
Accipiunt tranquilla, ferox sed flumina seruat
Manlius. hic duro traiecit pectora conto
Percussitq; ferum saxo. caput abdidit alueo
Attonitus sonipes. Marium rapit unda dehiscens,
Atq; hastæ rotat infixum. fortuna Seuero
Haud melior fuit. Acta manu caua tempora quassat
Funda leuis, cerebroq; lapis compactus adhæsit.
Decidit exanimis, uitamq; effudit in undis.
Ter fluuio emersit iuuenis. ter gurges anhelum
Hausit hians, mox & trunco suffixit acuto.
At catulus, catuliq; genus Quintillus, & asper
Tertullus, patriiq; heres cognominis oscus,
In leuam flexere. Comes simul additur illis
Hispanus Bicia, exclamans. Quo uertitis? huc uos
Huc iuuenes. Ite ad pontem. Dux ipse uiarum
Præcedo. Dixitq; & per uestigia nota
Delatus, pontem ingreditur. tum cætera pubes
Insequitur. furit immissis equitatus habenis.
o buius his equitumq; ciens, peditumq; cateruas
Fit Rutilus, rutiliq; gener Veranius, & qui
Prima puer musis dedit otia. moxq; secutus
Arma, tulit meritum primæ legionis honorem
Pontius. à quo etiam ducta est pontana propago,
Quem sequitur, uolucerq; Melas, alacerq; Metiscus
Et Pardus gladio melior, Chariteius hasta

insignes hederis, meritaq; ad tempora fronde
Et cui casta comas tegit infula, certus & arcu
Et certus conto pugnax Coruinus acuto.
P rimus in aduersum torquet Veranius hastam
Quintillum, quæ præcipiti delapsa ruina
Per clypeumq;, femurq; uiri, penetrauit ad imum
Pectus equi. gemuit sonipes. Dumq; excutit illam
Innitens, dum ferratis hic calcibus auras
Verberat, excussa Quintillus labitur hasta.
Accurit pater, ac telo per tempus adacto,
Deturbat Rutilum. Inde Melas dum feruidus instat
Dum catulo cadit auulsus de pectore thorax
Exegit medium præcordia ad intima ferrum.
Labenti dum ferrum iterumq;, iterumq; coruscat,
Sensit præcipitem uento stridente sagittam
Quam dum declinat iuuenis, forte ilia in oscum
Obuertit, lateri & telum crudele recepit.
Extraxit telum obnitens, ac talibus infit.
Non tibi mentitum osce genus, ueteresq; parentes
Profuerint, Fauno aut mater dilecta petenti.
Tum clypeo assiliens, ensem quatit, & ferit ora
Nuda osci, cum forte leuis ceruice reflexa
Cassis hiat. cruor auratis diffunditur armis.
Ingeminat perq; ora Melas, perq; ilia ferrum.
Ipse iterum lateri accepit moribundus acutum
Ensem, auratum ensem, mox corruit, acer & unà
Corruit oscus, & ingenti premit arua fragore.
A ttonitæ stupuere acies. At Pontius instat,
Ite uiri, mecum ite uiri. Succidite pontem
Dum trepidant, nullo & liber custode tenetur.
Hæc ait, & rapta primus uolat ipse securi.
Desilijtq; pedes. Sequitur cuneata iuuentus.
Tum Bicia increpitans. Quo nunc Tertulle? quid hæres
In ferrum Romane rue. Atq; hinc talia fatus
In medium incurrit peditem. nec defuit illi
Tertullus. uolat aurato conspectus in ostro
Nunc iaculo, nunc ense micans. fit ui uia. Sæuit
Effera uincentum rabies, rabiesq; cadentum.
Forte ut erat prolapsus equo Veranius, alte

Sustulit attollens oculos, telumq; uibrantem
Suspexit Biciam. Quo' tu quo' pessime telum
Carpetane uibras? en hoc ait accipe, & armos
Vna' haurit. simul abreptas detruncat habenas
Bellatoris equi. tum comminus ense reducto
Perforat, ingentemq; alta prosternit in herba.
In Biciam se cuncta cohors stipata ferebat.
Pro Bicia ferus assurgit Tertullus. At illi
Succidit iugulum parca indignante Metiscus.
Concidit ut tenuis cum flos enectus aratro est
Insignis facie puer, & florentibus annis.
Nec mora siue aliquis, dubium, miles ne deus'ne
Sustuleritq; manum, iaculumq; intorserit, intrat
Loricam galeamq; inter ferratilis ornus,
Qua ceruix commissa humeris, nam fata Metisco
Nec sua non properant, Biciæ seu cana senectus,
Cui caput auulsum collo maurisius Atlas
Atq; hastæ infixum ostentat. Quo territa retro
Pompeiana acies, pontem turbata petebat.
Vrgebat fugientem hasta Chariteius, ut se
Proripit e' specula. simul & clamore premebat
Iuncta cohors. Illi abruptis referuntur habenis.
Sæuit at hic gladio incumbens Coruinus & harpe
Vt quondam lupus in pecudes furit. omnis ab uno
Grex fugit. Ille atrox et dente cruentat et ungui.
Pontius ut sensit strepitum, ac nutantia uidit
Robora, & attrahere immanem tabulata ruinam,
Cede inquit generosa Phalanx fugientibus. ipsi
Ferratis ad ripam hastis incumbite, qua se
Voluit agens, retroq; uagus conuertitur amnis.
Hic uero turbatus eques clamante tribuno
Constitit. Instaurata acies. Tum Pardus & actor
Sulpitiusq;, Aniusq;, & auiti nominis Arunx
Incumbunt, uariusq; & pœno e' sanguine Hiensal
Marmaridesq; Mahar, Atlantiadesq; Maharbal
Et Bostar barcæus, & Pyreneus Hierus
Androclidesq; Maron, Antenoridesq; Boriscus,
Atq; alij, decus egregium, quos traxit in arma,
Quiq; repostus equo Veranius, ægra trahebat

Corpora, sed uincit famæ generosa cupido.
M eoniæ nunc plectra Deæ cantusq; ciete.
Et bello decus, & decori longam addite famam.
Non aliàs equitum maior, seu maior equorum
Ardor, utrinq; duces stimulant, utrinq; tribuni
Stateuiri, pugnate uiri, clamatur utrinq;.
Quo ruitis, Pompeius adest. incumbite fessis
Impiger aduentat Sertorius. arma cruore
Sparsa madent, crepitantq; enses, clypeiq; resultant
Impacti clypeis, fractæq; hastilibus hastæ.
Tum uarius, clamorq; equitum, atq; hinnitus equorum,
Dissultant ripæ, & uoces nemora alta remittunt,
Non aliter quàm cum bello flagrante gigantum
Aeoliam ad Liparen sudat uulcania pubes.
Fit strepitus, ferriq; fluunt, ærisq; metalla.
Antra sonant ualidis incudibus. itq; cauernis
Immistus fumo sonitus. caua murmurat Aetna
Vicinæq; fremunt ualles, maria ipsa resultant,
Ac longe fragor ingeminans defertur ad auras.
Hic pardo suffosus equus. cadit impiger acto
Androclidesq; Maron. traiectus et ilia conto
Corruit infelix Arunx, Bostarq;, Maharq;,
Ense Mahar, iaculo Bostar per pectus adacto.
Sulpitius dextra exsecta, leuaq; Maharbal
Inuiti excedunt pugna. Veranius hastam
Crure trahit, Dumq; illam Annius conuellere tentat
Accipit æratam per colla exserta bipennem.
Tum uero turbata phalanx cedente Borisco,
Quem clypeo exsutum & galea Catilina premebat.
Syllanum genus, & rara uirtute tribunus,
Vociferans. En qui hesperiam sua præmia poscunt
Oceano & regnare parant? Simul exigit harpen
Ore tenus, dictisq; ferox insultat amaris.
Hesperiam quam quæris habes. Patauina colebas
Rura miser, nunc auratis occumbis in aruis.
Tum Fabium, Titiumq; ferit, flauumq; libyscum
Fonteiumq;, & quos elice de matre gemellos
Sustulit eleis prætor Vipsanius oris
Almonem, Andronemq;, & cumanum abeonem.

Dat læto Laufenum, & amicum Nerea musis,
Nerea præstantem forma, & puerilibus annis
Quem liquidis sebethos aquis, quem cærula fleuit
Parthenope, quem Nereidum chorus omnis, & udæ
Sirenes conturbatis fleuere sub antris.
Has inter strages, uarius'q; & fortis Hiensal
Stabant inuicti ferro, trudunt'q;, trahunt'q;,
Vulnera dant, sternunt'q;. prior sic fatur Hiensal.
Macte Vari uirtute, uides qua sorte ruat res?
Fraude opus est. hunc ipse locum cape, dum mihi segnis
Fit fuga. uix hæc effatus uestigia uertit.
Insequitur Catilina, fugam celerabat Hiensal.
Itq;, redit'q; iter inceptum, fallit'q; sequentem,
Dum uarius iaculum incoctum post terga sub ipsum
Infigit femur, & dictis ferus increpat. Ille
Saucius ingemuit. uix'q; ad sua signa recepit.
Incumbunt tum uictores, uicti'q; facessunt.
Pontius interea positis uada ad ipsa maniplis
Hos cogebat, & hos, ut quem fors ipsa ruentem
Obtulerat, tumulum'q; leuis delatus in altum
Euentum pugnæ ut uidit turbatus, & amens,
Huc iuuenes, simul ad pontem uestigia uertit.
Insequitur pedes, atq; eques. agglomeratur eodem
Cuncta manus. Simul ecce etiam fulgentia signa
Cernere erat. uolat admissis Sertorius alis.
Parte alia de colle procul romana ferebat
Se legio. uolitant aquilæ. Petreius ante
Agmen agit, primus'q; uias & flumina monstrat
Vt uentum ad ripam stetit impiger, & monstrato
Ponte, iubet primam confestim anteire cohortem.
Ingemuere trabes, succisa'q; robora nutant
Assultu peditum uario. Tum pulsus ad amnem
Cedebat Catilina, omnis'q; equitatus habenas
Laxabat, præmissa cohors tabulata tenebat
Vltima, per medium raptat uestigia pontem
Pulsus eques. Ruit ecce trahens peditem'q;, equitem'q;
Pons secum, præceps'q; cauo deuoluitur alueo.
Substitit amnis. tum ripæ intumuere profundæ,
Conuersus'q; nigras fluuius ruptabat arenas.

Attonitus casu

Attonitus casu tanto, Petreius amnem
Spectabat. uolabat acta manu coribantis arundo
Atq; ocreis illapsa, femur penetrauit ad imum.
Pontius è ripa exclamat. Nunc uadite segnes
Et ripam tentate dolo. cum talia fatur.
Diffundit sese in parteis, ripasq; relaxat
Turgidus amnis aquis, uoluitq; ad littora fluctu
Arma, uiros, tabulas, & corpora quadrupedantum
Stant pedites innisi hastis, uersantq; ruuntq;
Semineces. spoliant alij, passimq; secundum
Flumina, suspendunt alte spolia indita ramis.
Exanimem implicitumq; ulua fluctusq; uouementem
Eruptant undæ Catilinam. Ille aera ut almum
Hausit, & accepit gratæ spiramina uitæ.
Apprendit ramum dextra, tenuitq; prehensum.
Hinc illinc oritur clamor. pugna aspera surgit
Fundarum, crepitat lapidosis ictibus amnis
Turbibus, & multo sub uerbere dissilit aer.
Exceptus tandem à socijs conamine magno
Curuatis trahitur contis, ripaq; locatus
Vlteriore, uomit madidas de pectore arenas,
Cum subito rapidum affertur Sertorius amnem,
Et pugnam tuba terribili ciet horrida cantu.

HISTRIO PERSONATVS.

Vieuit ut uidetis uates istricus.
q Sitim pati non potest. quod homericum
Ait fuisse, seq; similem illius
Mero potando noctu, atq; interdius.
Bonum poetam nisi uinosum neminem
Ait. & id recte, & quod ait re comprobat.
Heus tu cui nasus, ora, labra, guttura
Rubescunt, uin potando hoc experirier?
Taces. fateris uictum. nunc hoc accipe.
Vides fortuna uariet ut hominum uices?
Pugnabant illi de uirtute & gloria.
Nos de mero. pugnabant ferro hastilibus.
Nos uitro, nos argenteis carchesiis.

Hoc nunc agite spectatores optumi.
Duces decoris pictos armis noscite,
Et gesta marte dubio certamina.
Ac saeuienteis campis ignium globos
Vento rotatos, & flamarum turbines,
Agros, nemora, peditumq; ambusta corpora,
Vna absorbentem, & coelo labentis faces,
A udire pulchrum est strages, & cadentium
Aceruos, ac cruore stagnanteis agros,
Ipsum tranquillo, & tuto sistere in loco.
I lluc redeat unde digressa oratio.
Prius quieuit noster hic uates siti,
Nunc somno, uinum ut edormiscat scilicet.
Homeri hoc tantum habet, quod persæpe ebrius,
Maronis unum, nimio marcet ocio.
Sentitis ut apertis stertit faucibus?
Hiat, muscas uenatur. Sane hoc est nouum
Aucupium. os aperit, stringit iam, tene, tene,
Lepidam auiculam. heus uitule, heus marina bellua
Deliciæ oceani, surge atq; expergiscere
Postquam uenatus. Euge, iam erigit caput
Iam defricat oculos. iam ascendit pulpitum
T aceo. Vos spectatores animum aduortite.

POETA PERSONATVS.

C onstitit hic lustrans oculis loca. mox ita fatur
Haud paruo fraus hæc steterit tibi magne nec ultra
Cunctatus uocat, armatos ad signa tribunos
Vos musæ memorate, etenim memorare potestis.
Vobis pyrene, Arcitenens Dea rettulit illi.
Vos memori egregium facinus producite fama
Quod iuuet & meminisse, & commemorasse minores,
A ltilius fraterq; lycon prima agmina ducunt,
Præstantes animis iuuenes, quos Nursia mater
Marte satos, furtim patrijs mandarat alendos
Montibus, & sucis herbarum & lacte lyciscæ
Testatur nutricem auro galea alta lyciscam
At clypeo quatit ingentem Mars efferus hastam.

Proxima syluano clarus patre, clarior armis
Agmina agit Marsus. clypeo, lacus enatat ingens.
Ipse antro fundit liquidas & Fucinus undas.
Pandit se cono aduolitans argenteus anser
Addictus puero custos, cum paruus ad amnem
Ludit aui, puer & uitreos maris innatat æstus.
Hinc iaculo bonus, ense bonus, melior tamen arcu
Actius insequitur. argento auroq; coruscus.
Neuit acu chlamydem coniux, quam lucus opacat
Hesperidum, pendentq; suis poma aurea ramis.
Argento serpens riget, & trahit horrida cauda
Septem orbes, micat & linguis furiata trisulcis.
Sub leuam uagina auro, uiridiq; smaragdo
Irradiat distincta, & iaspide fulgidus ensis
Ad capulum. nitet & nexu noua fibula eburno.
Aurea mandebat sonipes frena. aurea cassis
Emicat, auratos spargit sol aureus ignes,
Ac serpunt hederæ per leuia tempora nigræ.
Lunat amazonium in morem pelta horrida monstro
Lernæo. Septemq; illi capita alta tumescunt.
Et latos pandit rictus Fera. defluit atrox
Virus, & effuso liuescit parma ueneno.
At dorso pugnacis equi terga aspera pendent
Illa boum, tegit & crudus genua ultima pero.
Hæc uariat nemus idæum, atq; ad pocula raptus
Dardanius puer, & cupido præda acta tonanti.
Ter puerum inuadit præpes. Ter præpetis alas
Euadit puer. hinc rostro sacer ales adunco
Abreptum, Implicitumq; ungui, multumq; sub ala
Percussum, frustra auxilium, diuosq; uocantem
Ante Iouem cœlo statuit. mox uersus in astrum
Inter sydereos ales micat aureus ignes.
Quem post uenatore satus patre, maximus armis
Compater. huic apri clypeo riget horrida pellis
Incoctumq; ursi tergus. latrat aspera cassis
Ora canum, duraq; horrent uenabula dextra.
Lartius hunc pater amissa genitrice, lupina
Pelle fouet tectum folijs, subq; ubera adactum
Lactentis quam cum catulis deprenderat ursæ.

Mox puer exagitare feras assueuit, & acto
Venatu tolerare famem. atq; inhiare cruori.
Qualis mane nouo cum fulgidus igne nitenti
Lucifer irradiat coelo. mirantur & illum
Pastores. gaudet ccatro Venus aurea signo,
Aeratam sic ante aciem nitet ora Camillus
Insignisq; coma puer, & fulgentibus armis.
Miranturq; ut tela manu, atq; ut torqueat hastam.
Vt gladium stringat dextra. Sertorius ipse
Concipit optatæ iandudum gaudia palmæ.
Tum uates phoebo carus Saxonius astur
Idem augur, cui uox auium pennæq; patebant
Et curare manu doctus cantuq; leuare
Vulnera, non tamen ense minor, minus utilis hasta.
Laurea cingebat galeam, tegit infula crines,
Serpebant hederæ clypeo. uiret hasta corymbis.
Et capulo insignis radiabat acinacis aureo.
Hinc Aspar garamas quo non præstantior alter
Aut torquere manu iaculum, aut dare uulnera funda
Ceruleus capiti trifido, micat ore Cerastes
Ter caudam collo implicitans. puer Aspar & illi
Assueuit, cantata daret cum pabula & aspis
Luderet infantis manibus, cum lambit & ora
Ora genasq; simul, & collo lubricus errat.
Horret & insutus cetræ leo. cruda draconum
Terga humeros, crudumq; tegit thoraca elephantus
Ipse arcum pharetramq; humeris, clauamq; trinodem
Incoctamq; sudem dextra gerit, & quatit acer,
Marmaricoq; subinde hululans uocat agmina cantu.
Ecce decus belli rarum tritonia Birse,
Ipsa pedes quamuis, equites tamen eminet inter
Vertice iam toto, & passu præuertit euntis.
Nodosam lateri clauam fert. dextera pinum
Ingentem quassat pinum, quam fulua bipennis
Asperat. Ipsa exerta humeros, & brachia & ipso
Poplite nuda tenus. non illi pectora thorax,
Non galea abscondit crines, sed tornulus aureus
Circuit ingentem lato curuamine frontem
Et multo pectus communit balteus ære,

Palladis

Palladis armisonæ donum fatale. quod illi
Ferre dedit, tutum armatos munimen in hostes.
Hanc Fauno, & nympha genitam Garamantide, mater
Dum partum celat, tergo bouis indit, & aspris
Sentibus impositam, nymphis nemoriq; relegat.
Quam dum forte lauat tritonide Pallas in unda
Oblatam ut tenuit gremio, miratur & ora,
Et latos humeros, & membra ingentia. quodq;
Nec uagit, fertq; aspectum non territa diuæ,
Quodq; hastam galeamq; oculis, atq; ægida lustrat.
Commendant matri Tritonidi. sedula mater
Educat. Illa ut primum ætas tulit, ire per altas
Nuda genu syluas, latebrasq; intrare ferarum,
Sectari ceruam cursu, uenabula in aprum
Dirigere, & fuluum iaculo attentare leonem.
Finitimis etiam bellis assueta, nigrantem
Gerionisthenidem claua abstulit. hunc tremit omnis
Aegyptus, tremit extremi domus abdita Nili
Egregium, ac cœli columen Maurisius Atlas,
Accipit ob meritum donum immortale Mineruæ.
Auratam fronti uictam, atq; ad pectora balteum
Exulta quibus in bellis inuicta uirago.
Hernicus extremas acies, atq; ultima claudit
Agmina. nam iussus properare in castra Marullus.
Communire manu uallum, portasq; tueri.
Ipse ostro clamidem intextam, argentoq; nitentem
Aurea quam lato percurrit lina tractu
Insignis, fuluoq; comam nodante Pyropo
Irradiat, ueluti roseo cum Solis in ortu
Percussum radiis splendet mare, iam tremit unda
Iam feriunt sese radii, iam dissilit ardor
Huc illuc. nequeunt tum lumina nostra tueri.
Quin etiam auratos spargit de casside fluctus
Oceanus. splendet cano sub marmore Triton.
Fluctuat, & clypeo per cerula concita delphin
Argento assurgunt undæ. Tum litora gemmis
Sparsa nitent. micat aduerso sub lumine pontus.
Hos arno genitus nymphaq; euarchide uates
Quem musæ aonio puerum fouere sub antro

Puttius ad pugnam uocat, atq; hortatur euntes.
Di uobis sunt tela uiri. Mars dextera cuiq; est
Vicimus. ipsa suas uictoria concutit alas.
Pax parta. Hesperius nobis regnabitur orbis,
Vt uentum est sub signa, ducem sua quenq; secuta
Est legio, ac densis cogit se exercitus armis.
Intenti expectant signum. moraq; omnis iniqua est
Oceano ueluti in magno cum cerula Proteus.
Agmina agit stabulis, coeunt immania monstra
Sub duce quæq; suo. feruent freta. pastor ad ipsas
Stat caulas, baculoq; greges, & uoce coërcet.
Non casses, ipsi nequeunt retinere magistri.
Interea cæsos equites, primamq; cohortem
Haustam undis, ripasq; & flumen ab hoste teneri
Nuntius attulerat magno, famuliq; ferebant
Impositum clypeo Petreium. ægerq; dolensq;
Substitit ad medium collem, secum ipse uolutans.
Incertus casu tanto, pugnam ne retractet
Paulatim colle excedens, an flumina tentans,
Implicitum eliciat ripis fluuialibus hostem
Fidentemq; equite, atq; recenti cæde tumentem.
Hæc secum. mox accito iubet arma Cethego
Inferri ripis, peditemq; ad signa uocari.
Ipse inuectus equo. Nunc o' fortissima bello
Pectora, nunc certate manu. Tot flumina nando
Emensos, torrens tenet, atq; ignobilis amnis?
Vincite iam uictos, unaq; absoluite pugna
Relliquias tot bellorum. Dum talia fatur
Magnus, ab impigro pugna est commissa Cethego.
Nanq; ultra aduersam ripam uada nota secutus
Pontius institerat, campo congressus iniquo
Dum fossas, & saxa inter uersatur, equesq;
Confossus cadit, & pediti pedes additus instat.
Quod postquam longe aspexit Sertorius, & quæ
Sit fortuna uidet. nulla est mora. protinus agmen
Ire iubet, dictis stimulans. Nunc lecta iuuentus
Nunc uictrix manus ad ripas. uada peruia. & ipse
Pontius insultat campo. non audet & hostis.
Aut conferre gradum, aut descendere montibus altis.

Hesperiam dextra gerimus. Spes omnis in armis.
A lilius fraterq; Lycon trans flumina primi
Consistunt. sequiturq; hastis innisa iuuentus.
Pars capiti scuta alta gerunt. pars insita pilis,
Pone trahunt alij. Sistunt & flumina cursum
Mole uirum, atq; undis illisa remurmurat unda.
Tum ripæ clamore sonant, collesq; resultant,
Offensa & nemorum assultu respondet imago.
Vix alias tantis animis in prœlia uentum est.
Successus certamen alit. dum cedere neutris
Decretum est, urgetq; ducum præsentia, & ardor.
Ingeminat uires. crescit certamine uirtus.
Crudescit gladio Mauors. nec iam eminus hasta
Comminus ense agitur. humescunt sanguine campi
Cæde natant fossæ. Tum territa terra cadentum
Corporibus tremit, & gladijs micat æreus æther.
T ercentum clypeata phalanx, hinc sub duce Hiarba
Illinc Suffeno, stabilis pedes, arma manusq;
Contulerant, ut forte alnus radice reuulsa
Conciderat, ramisq; ingens iter occupat, ut nec
Aut his aut illis pateat uia. Sæuit utrinq;
Effera uis, duriq; crepant per scuta molares,
Vt cum se orionis iniquo sidere grando
Præcipitat, uasto crepitant sub uerbere tecta.
Hinc Tacio, Lepidoq; caput ceruice reuulsum
Ense Tagi. cadit ense Remu, Turnusq; Ligusq;
Nam Liguri femur exectum, Turno ilia & ipsas
Traiecit costas, ac pectora feruidus ensis.
Per galeam cerebrumq;, ac tempora guttur adipsum,
Assaracum secat Vfentis sublata bipennis.
Illinc & Marus, & Basso cum fratre Faliscus
Thessalicusq; Maroniades, & lydius Hypseus
Conciderant, Siculusq; Corax, & maurus Iopas.
Idem omnes eodem gladio ferus abstulit Ancus.
Hic genitus Vulcano, atq; Aetnæa Cianea
Fatiferum à patre ensem, atq; immedicabile ferrum
Accepit, Stygia genitor quod tinxerat unda.
D umq; alnum truncosq; super leuis insilit Anser
Accipit æratam infelix per guttura cornum.

Spiramenta animæ clausit telum. Ille uolutus
Singultantem animam pronus uomit. eia age Hiarbas
Exclamat, Spolia illa uiri, cum talia fantem
Ora per increpitans alis penetrauit arundo.
Insultans cui Suffenus. spolia accipe uictor
Ista tibi, iaculumq; quatit. suffigitur hastæ
Dextera, dum excusso properat torquere lacerto.
Hic cædes miseranda oritur super ansere tracto
Dum spolia exuuiasq; uiri cupit hostis, & hostis
Pro decore haud timet, aduersis incurrere telis.
Huc omnis legio uersa, huc sua signa Cethegus
Inferri iubet. huc contra Altiliusq;, Lyconq;
Accurrunt, paribusq; animis certatur utrinq;.
Dum primam ferus ante aciem mouet arma Cethegus
Ac iaculo ferit Iasium, sternitq; uolenum
Murano clypeum auellit, transfigit utrunq;
Quercenti femur, ingeminat per uiscera ferrum
Quintilio, atq; uda morientem extendit in herba,
Interea per scuta uirum, per tela, per enses
Altilius ruit infrendens. caput amputat Istro
Brachia Segnitio, nares & labra Mecallo,
Tempora diffringit Catio, prosternit Omasum,
Vmbritioq; haurit iugulum, forat ilia Cosso,
Præcipitemq; inter fossas, dat amintora saxo.
Tum leua de parte Lycon furiatus & amens
Quintilio extincto, quid tu generose Cethege
In plebem furis exclamat? cui talia contra
Ille refert. O' mauortis praclara propago
Mentitum genus in syluis, quid prælia differs?
Est clypeus. sunt tela tibi. simul inijcit hastam.
Auertit uenientem umbone. ea lapsa pependit
Marmarici clypeo. contra uenabula torquet
Dura Lycon. Saltu deuitat tela Cethegus,
Illa ocreis illapsa Tagi, femora ultima & inguen
Extremum rupere. cadit Tagus. aduolat Ammon
Elatamq; alte subigit per colla securim
Et caput affigit conto. clamore secuta est
Læta cohors, tum tela Lycon, tum saxa Cethegus
Ingeminat, stringunt acres & cominus enses.

I nterea paulatim acies, ac signa mouebat
Pompeius, seq; ad ripas non segnis agebat.
Ipse ostro insignis humeros, auroq; coruscus
Fertur equo, quem Neptuni de gente crearat
Mater, ab aduersi conceptum flatibus Euri.
F orte ut erat de cæde equitum de cæde uirorum
Fessus, & extremum seruabat Pontius amnem
Vidit ut incensa stipula exagitantibus auris
Hæserat arenti trunco uapor. ille uolutus
Per frondes urgente Euro conceperat ignes
Et late ramos flamma crepitante cremabat.
Admouit dextram trunco, auulsitq; trahendo
Pontius, & campo rapidus iacit, atq; ita fatur.
E ure pater, cui pars cœli pulcherrima seruit
Cui parent auræ oceani, cui regia solis
Ampla uacat, quiq; & terris, pelagoq; sonanti
Imperitas, quate nigrantem Rex magne procellam,
Nunc exerce auras, & pennis aëra uerre,
Ac mecum insidias, hostemq; ulciscere uictor.
Sacra tibi ante aras statuam uotiua quotannis
Candentis fœtus ouium, intactamq; iuuencam.
A nnuit, excussitq; alas Deus. Illicet ingens
Tempestas cœlo exoritur. fremit arduus æther,
Dant syluæ sonitum ingentem. cauaq; antra resultant,
Puluereus sequitur confusa per agmina nimbus.
Dispergitq; undas flammarum, atq; omnia late
Inuoluit, iactatq; furens incendia uentus.
Tolluntur cœlo fumi, glomerataq; flamma
Peruolitat, simul absorbens, stirpesq; uirosq;
Et quamuis trepidum canerent iam signa receptum
Telaq; proijcerent dextris, clypeosq; sinistris,
Flammatas tamen ante acies euadere non est.
Varenum Iasiosq; duos, liguremq; Labullum
Cretensemq; Gian, gaditannumq; Liertem
Assyriumq; Naban, Pyreneumq; Biantem
Tris Alcmeonidas, & clarum Hypsenora cantu
Erumpens atra primum de subere fumus
Inuoluit, mox flamma rubens una hausit, & alte
Iactati, mox flagranti cecidere ruina.

C onstiterat forte ad saxum tardante sagitta
Narnius imbrasius, dumq; illam auellere tentat,
Exanimum exustumq; alta suspendit in ulmo
Fulmineus globus, inde euro torquente rotatus
Alconem rapit, huic barba crinisq; reluxit
Sublatumq; alte cœlo intulit, inde nigrantem
Ruptantemq; ignes, medium deturbat in amnem.
Perstridere undæ attactu, fumumq; dedere,
Vt cum uersatum ardenti fornace metallum
Canduit, exceptumq; tenaci forcipe tingit
Ipse lacu faber. efferuit lacus, obstrepit unda
Et fumus petit aduolitans nigrantia tecta.
Tercentum huic capita hirta boum, totidemq; iuuencæ
Pascebant Sila in magna. famam ipse secutus
Deseruit patriam, et dulceis cum coniuge natos.
Bisseptem Aufidio nati præclara iuuentus.
Surrenti domus ampla, æquano in litore turris,
Felices baccho colles, tot iugera campi
Totq; greges, Sarnusq; fluens per florida rura.
Et natos tamen & patriam. dulceisq; recessus
Sirenum (potuit tantum ambitiosa cupido)
Post habuit. cui primum oculos flamma abstulit. inde
Torruit ambustam dextram, uento acta fauilla.
Post tortus iaculante euro per uiscera truncus
Canduit. ipse atros spirans de uulnere fumos
Et Sarni fontem, & liquidos reminiscitur amnes,
F atidica Vrsidio mater prædixit eunti
In bellum, fuge nate ignes, incendia uita.
Correptus flammis queritur, matremq; deosq;
Veriloquos quodq; humentem liquisset & Arnum
Et fesulas natale, solum, florentiaq; arua.
T ercentum sub rupe caua, sub sentibus astris
Deliterant simul, insidijs delecta iuuentus.
Tercentum simul absumpsit glomerata fauillis
Aura nouis, ut cum frondosa in ualle sub astrum
Pleiadum, tacta alta Iouis de fulmine quæ rcus
Vno omnis simul afflatu per pascua circum
Grex cadit, exitioq; ruunt armenta sub uno.
T er flammam pedibus pernix euaserat Vfens

Infelix ora obuertit. uidet ægra trahentem
Crura patrem, exanguemq; metu. uestigia retro
Præcipitat, prensumq; manu, ac ceruice reclina
Impositum trahit, & labens incendia uitat.
Improuisum anguem pressit grauis. Ille repente
Implicuit plantæ agglomerans. Dum se explicat Vfens
Dum sæuit coluber, squamosa uolumina torquens
Exilijt fumosa uomens incendia turbo.
Absorpsitq; Vfentem una colubrumq; patremq;,
Vfentem, quem ceruleis Feronia in antris
Nutrirat, puer & uiridi consueuerat umbræ.
Hunc sacrum nymphæ nemus, hunc fleuere napeæ,
Circæiq; sinus, hunc Anxuris ora, lacusq;
Setini, & tacitæ rupere silentia Amyclæ.
Peruolitat turbo inuoluens syluasq; ferasq;.
Densatur cœlum fumo, caligne montes
Conduntur fluitantq; atræ per summa fauillæ.
Mox sæui erumpunt ignes. flammæq; coruscant
Et cœlum lambit rutilans & sydera uortex.
Hinc rursus torquente euro per inane uolutus
Incumbit campis, truncosq; ambustaq; uersat
Robora, candentemq; rapit sese ante procellam.
Suffenum, armigerosq; duos eadem aura peremit
Cum geminis Varganteijs, libicoq; Gulussa.
Vmbronem, Hisponemq; lacetenumq; Biorem
Hastatosq; numantinos, nomadumq; cohortem
Cetratamq; manum, præerat cui turdulus Iscon
Iscon auis atauisq; genus qui ducit ab orco.
Vna omneis rapit unda, rapit Varumq;, Macrumq;
Gisconemq; syracosium garamantaq; Bocchum
Mox raptos flammarum. hausit circum acta uorago.
Vt cum trinacriæ campis de uertice summo
Aetna uomit rapidos æstus. It turbine denso
Sublatus cœlo fumus. mox rumpit in auras
Flamma furens. uolitant rutilæ per inane fauillæ
Post iactante noto agglomerans flectitq; rotatq;
Huc illuc. ea lapsa faces iaculatur, & altis
Illisa arboribus, siluas, saltusq; uagatur
Incensos. ruit interea mirabile uisu

Flammarum torrens rapidus, liquefactaq́; ſaxa
Præcipitat ſimul inuoluens ſtirpesq́;, ferasq́;,
Tectaq́;, paſtoresq́;, furit uulcanius amnis,
Per ualles, per culta, ingens metus urget agreſteis
Vicinæq́; ſuis diffidunt mœnibus urbes.
Haud aliter pauor inuaſit. fuga cœpta per omneis
Eſt acies. Ite exclamat Sertorius. Ite.
Ite citi. uada nota citi peruadite, & amnem
Primus obit. Sequiturq́; ducem ſua quenq; iuuentus
Et circumſtetit armatus trans flumina miles.
F orte ſub annoſa quærcu in conualle ſilenti
Arcitenens Dea, ſæuarum de cæde ferarum,
Laſſa quieſcebat, trepido cum excita tumultu
Surgit, & aſcendit ſummi iuga pinea montis.
Conſtitit hic luſtrans oculis loca. cernit utranq;
Effuſam campis aciem, uidet agmina, & ipſos
Hinc illinc inſtare duces. Sæuire proteruum
Eurum, atq; in medijs uolitare incendia ſiluis,
Tot ſtrages, tot fumanteis & corporum aceruos,
Ingemuit, traxitq́; alto ſuſpiria corde
Aduentare diem quo dux Nurſinus acerbo
Caſurus fato, heſperijs occumberet aruis.
Nam puerum templo admotum cum ſedula mater
Commendat triuiæ, atq; adytis Dea grata recondit,
Conſuluit fratrem. frater fata abdita pandit,
Ingentem fore, & hiſpanis per bella, per enſes
Regnaturum oris, tamen illum haud tarda manere
Funera, cum pariter flammæq́; undæq́; fauerent
Pugnanti, armatumq́; eurus proſterneret hoſtem
F atorum Dea facta memor de ualle propinqua
Pyrenen iubet acciri. hæc nam fida miniſtra,
Hæc comes. huic omnis thalami quoq; credita cura.
Illa uolat. dictis cui ſic Dea fatur amicis.
Nota ſoror tibi fata ducis, quæ certa propinquant.
I, propera. fac ſigna retro, fac agmina uertat.
Pugnatum ſatis eſt. nec plura effatur. at illa
In ceruam conuerſa, noto non ſegnior ibat.
Ipſa arcum leua ſtringens, dextraq́; ſagittam
Lunauit, ſimul ut capita accuruata coirent,

Laxauit, simul ut flammas elapsa sagitta
Conciperet. fulxere auræ, tractu illa coruscos
Emicat, & ducis ante pedes affixa reluxit.
Obstupuit tanto monitu Sertorius. Ecce
Cerua per attonitas penetrat non cognita turmas.
Agnouit Triuiæ famulam Dux, ac prior inquit,
Nota uenis, nec me fallit Dea, quadrupedemq;
Conuertit ripæ approperans. præcedit euntem
Pyrene, pedibusq; micans & cornibus aureis.
Signa canunt reditum. Sequitur tum ferrea pubes,
Oceanoq; egressa, polum nox occupat atra.

FINIS.

Petrus Summontius Francisco Puderico
Patricio Neapolitano. S. D.

PERSVASIT mihi authoritas tua Francisce Puderice, ut Pontani Actium secunda hac excussione potissimum ederem, rarum sane de numeris Poeticis, & lege Historiae dialogum. Nam cum illius opera tam multa sint, & ea aeque egregia omnia, hinc mihi hoc, hinc illud edendum prius occurrebat, fiebatq; ut difficilis redderetur electio propter pulchritudinis paritatem. Sed cum postea tecum sentire Suardinum Suardum Pontani nostri familiarissimum audirem, currentem quasi me doctus uir, & grauis incitauit. Quam quidē sententiam eo libentius secutus sum. quod cum superiori foetura carmina praecesserint, exornandi postea & carminis ratio, quae hoc uolumine traditur, subsequi debebat, digna profecto inuestigatio, quae ad communem hominum utilitatem, quàm primum omnibus nota esset. Non enim ab aliquo fortasse Grammatico de re Poetica, deq; Historica disputatur, sed ab illo praecipitur Iouiano Pontano, cuius q̃dem in utroq; genere, post tot annorum deprauationem, noua quaedam, admirandaq; apparet felicitas. Vt non iniuria saepe à te illud usurpatum sit, coepisse eum, ut de Christo Optimo maximo dicitur, & facere pariter, & docere. Nec uero mihi dubium est, quin iucundum tibi futurum sit officium meum. Nam praeterquam quod Actij Synceri loquens persona, à quo opus hoc denominatur, non parum te pro ueteri amicitia delectabit, tuae quoq; hic tibi sunt partes nec res ipsa tota, de qua agitur, non in primis ad te pertinet. cum Poeticae concinnitatis, cuius maxime ferax est Pontana Academia, semper ipse & studiosus obseruator fueris, & censor acerrimus. uixq; summis, (ut ita dixerim) naribus, adeo omni de carmine exacte iudices, ut merito te omnes emunctae naris hominem (ut ait Horatius) appellent. Par in historijs censura est tua, quarum tenacissimam in te uidemus memoriam, & grauitatem simul in te tantam, modo refellendis fabulosis, modo ueris comprobandis, comparandisq; scriptoribus ipsis, nemo est nostrum qui non admiretur. Quo fit, ut omni è parte iucunda, tibiq; maxime propria, haec sit prorsus lectio futura. Tuum igitur tibi Actium habe, libroq; hoc, & Synceri ipsius optato è Gallijs reditu, quod facis, magis magisq; laetare. Nam ut omittam summam eius in Pontani scripta pietatem, quae post illius obitum sopita ac neglecta, è tenebris primus in lucem, tum Francisci Aelij consilio,

tum opera usus mea reuocauit, Aduexit nuper ex Heduorum usq; finibus, atq; è Turonibus dona quædam, mirum in modum placitura literatis uiris, Martialis, Ausonij, & Solini codices, nouæ, atq; incognitæ emendationis, tamq; à nostris diuersos, ut hos certo, ac legitimo partu natos, reliquos uero liceat spurios existimare. Praeterea epigrammata, quæ tam multa hic leguntur, alibi hactenus non uisa. Immo Solini liber hic authore ab ipso, quod iam titulus indicat, nec eius negat uetustas, & recognitus est, & editus. Is etiam ad nos attulit Ouidij fragmentum de Piscibus, Gratij Poetæ Cynegeticon, cuius meminit Ouidius ultima de Ponto elegia, Cynegeticon item Aurelij Nemesiani, qui floruit sub Numeriano Imperatore, & Rutilij Namatiani Elegos, quorum tenuitatem & elegantiam è seculo illo agnoscas Claudiani. Atq; hæc quidẽ omnia statim post Pontani libros emittentur. Non'ne applaudendum iure fuit redeunti Actio nostro, ueluti nouo rei literariæ Camillo? non'ne gestanda & illi ob ciues seruatos merito Querna? Adde exquisitissima Actij ipsius, quibus iunior lusit, partim Lyrica, partim Elegiaca, nostro etiam charactere propédiem excudenda, cumq; his nouas illas piscatorio genere Eclogas, deniq; diuinum de Christo opus, cui summam nunc imponere decreuit manum. Vt post nescio quos Sedulios, & Prudentios, in quibus pene nihil, præter nudam religionem inuenias, Marones tandem Christianos habeamus. Quo'arceat triste Pontani desyderium, Actij nostri uita pensemus, ac lætemur potius, benigno agi fato cum patria nostra, cui nunquam fere Pontanus aliquis uideatur defuturus. Illius itaq; nomine illustrati, tantoq; instituti magistro congratulemur nobis. cuius, præter æterna librorum monimenta, ea quoq; fuerint in literis, dum uixit, exempla, ea consilia, ea doctrinæ communicatio, ut per facilem alijs eo perueniendi uiam ostenderit, quo sine aliquo duce felix ipse peruenit. O' præstantis ingenij, & doctrinæ uirum, O' de temporibus nostris optime meritum, & per quem non inuidemus antiquitati. Clamantem te non temere toties audiui Puderice, ut qui ab Errico patre ad eum puer deductus, eo'que semper familiarissime usus, probe hominem nosses, Aspicite uiuum hunc amici, dum licet. huius, dum licet, aspectu exaturate oculos, Non multos dabitur intueri Pontanos. Quam uerum tuum illud iudicium fuit. Etenim eius ingenium penitus qui perspiciat, iure illum optimo alteram quasi naturã appellabit. Quippe (ut alia taceã) in describẽdis, informandis'q; rebus,

ita illum

ita illum uides quodcunq; proponit, absoluere, ita perficere undiq; ut nihil tanquam integro corpori, singulis'ue mēbris deesse. Quod si cōparatio sit de eo facienda, multos, qui opponendi tanto uiro fortasse uideantur, cultos illos quidem & elegantes, aridos tandem inuenias, ac steriles. hunc uero in summo cultu splendoreq; uberrimum, foecundissimum, nulla in re non profluentem suspicias, hunc natura ab ipsa raro exemplo creatum existimes, quiq; ingenij magnitudine nulli omnino cesserit antiquorum. Hinc tentandi omnia, Pontani illa felix audacia. Genus autem dicendi, in quo maxime ætas nostra decipitur, ita ad antiquorum imitationem effinxit, ut nihil te in eo peregrinum offendat, nihil conquisitum, ut'q; ipse dicere solebat, uiolatum, sed unum quodq; planè Romanum uideatur. Quo magis ridenda censeo quorundam iudicia, de tanto uiro parum pie loquentium, qui hoc ipso, nullius se omnino iudicij arguunt, quod Iouianam sublimitatem non cognouerunt. Verum ut ad editionis huius rationem redeam, illius enim laudes quis enumeret? non omiserim hoc loco id quod in eiusdem quoq; carminibus feci, quod'q; tu mecum sæpius egisti, omnes qui hæc legent, admonere prius, & per Iouiani manes obtestari, ut habita præmortui ratione, æquos se in his iudices præbeant, quæ cum nonnullis alijs, nostra posthac opera edendis, nondum ab illo fuerint emendata. Sed quid ego nunc exorare quemquam hac in parte studiosius laborem? cum Pontanus, ut spero, ipse ꝑ se, satis omnino sit unicuiq; superq; facturus. Quod uero ad me attinet, qui huius rei curam tam libenter suscipiam, non uerebor, quod grauissimus uir Actius Syncerus iam pridē de me scripsit, epistolæ huic carmen subnectere. ¡An placere mihi dissimulauerim, pietatis erga amicos nomine probari? Liceat itaq; mihi, non immeritam fortasse mercedem hanc exigere laboris mei. Vale.

EX LIBRO EPIGRAMMATVM

ACTII SYNCERI.

Excitat obstrictas tumulis Summontius umbras,
Impleat ut sanctae munus amicitiae.
Vtq; prius uiuos, sic & post fata sodales
Obseruat, tristeis & sedet ante rogos.
Nec tantum uiolas cineri, ac bene olentia ponit
Serta, sed & lacrimis irrigat ossa pijs.
Parua loquor. cultis reparat monimenta libellis.
Cum possint longam saxa timere diem.
At tu, uiuaci quae fulcis nomina fama,
Poscenti gratas Musa rependе uices.
Vt quoniam dulces optat sic uiuere amicos,
Viuat, & in libris sit sacer ille meis.

IOANNIS IOVIANI PONTANI

ACTIVS DIALOGVS.

CAEPARIVS ET SEGNITIVS COLLOQVVNTVR.

CAEP.

ASCVTIVS CAVLITA, Paſculli Caulitæ filius, Sarnenſis Sarcularius, cum Pignatia Nigella, quæ uiro ſuo nunc hic adeſt,
p
& ſuo & uxoris nomine uendit Segnitio Funeſtillo, Acerrano uiatori, qui ipſus emit ſibi, liberis, nepotibus, pronepotibus, abnepotibuſq; ſuis cum omni poſteritate, domunculã.

SEG. Adde illud, & anteritate. utraq; enim parte anteriore, ac poſteriore domus conſtat. CAEP. Caute agito mi Caulita. ea domuncula. SEG. Mater eius Macronilla non domunculam, ſed democulam uerbo ſuo nominabat. Quo enim die Sueratus Paſculli pater in illam ab harula demigrauit, cum familia, & ſue, oculum male auſpicato ingreſſus amiſit. CAEP. Scite, caute, auerruncate, admones. pergam. Sita eſt Sarnenſi in ſuburbio ſecundum flumen. SEG. Atqui prouerbio cauetur, ſecundum flumen emundum non eſſe. CAEP. Riuum uolui non flumen dicere. euincet tamen illam tibi cum omni quoq; poſteritate Paſcutius. SEG. Et anteritate quoq; memor uti ſuas facito. CAEP. Tribules, ac uicinos bonos habet Pilutium Rufillum. SEG. Grex mihi ſuillus uenum ſi daretur, pilus hic nequaquam placeret. CAEP. Senex eſt, et caſſus iam ſanguine, inſtitutuſq; illi eſt hæres Hordeatius Panicocta, et qdem bene auſpicata ſucceſſio. pergam. Cocleatium quoq; Surriponem. SEG. Quid (malũ) iſtud eſt et nominis, & cognominis? quaſi cochlea bonam anni partem, domi incluſus ſucco ſe ſuo paſcat, mox prodiens rapto, ac ſurrepto uiuat. Apage à me uicinos tam male nominatos. CAEP. Hoc uide Segniti, quod nec tibi, nec patri tuo Funeſtillo nomẽ ſatis bene ominatum eſt. Audibis reliquũ, Itemq; Lardatiũ Fabaronem, probum uirum, agricolã bene unctum, abundeq; triticatum. Neq; tibi uerendum eſt illud, uicini ne mories fame, atq; inopia impulſi tuam incrumeram nocturni irrepant. proba eſt domuncula tota, proba contignatio, probus paries, tectum ipſum probe canteriatum, aſſerulatumq;, quernis etiã ſcandulis Auerunconis fabri,

proba cisterna, sine ullo stillicidij uitio, aut latrinæ seruitute, fundamenta bene iacta, uolutabrum lutulentum, in quo uiciniæ totius sordes desideant, harula ad solem medidianum exposita, firmiterq; quaternata. Age igitur argentū e uestigio dinumera Deo cum bono, & illud uide, confestim eo uxor uti traducatur. est enim domus ipsa fœcunda, cupioq; mirandum in modum egnatum iri ex te quàm primum, qui & cognato nomine, & pascendi gregis solertia, patrem tuum Sueranum referat Funestillum. Vnicabis itaq; præpropere digitulatimq; pecuniam, unciole tres, pretium est. SEG. Duillabo illas potius. binatim enim quàm singulatim e uestigio magis numerabitur pretium. CAEP. Tu pascuti accepisse argentum omne, & numeratum, & perpensum probe. Tibe uero Segniti ea domuncula solenni more est à Pascutio euincunda. SEG. Ab ipsis etiam fundamentis tota, cum tecto, asseribus, canterijs, clauiculis, scalis, foribus, culinæ, uolutabriq; decursibus. Quid enim si qspiam ædificandum inferius superiusue curauerit, tentauerit'ue, quid inquam, euinci mihi summum etiam cœlum, & ipsum terarū soli profundum uolo caueoq;. CAEP. Haud iniuria, hoc ipsum ago. Pascutius Caulita Pasculli Caulitæ filius domunculam ipsam euicturum spondet ab infimo solo ad usq; cœli subsellium, cum ipso etiam cœlo, cumq; teræ imis, ac perimis, infernisq;, Segnitio Funestillo Acerrano uiatori, eiusq; posteritati. SEG. Tute & uiatorem interrogato, & illud caueto, anteritatis bene memor uti sies, et item furni, qui est sinistrum ad latus, triangulum enim domiciliū ipsum est, piscationis quoq; diurnæ, nocturnæq;, hamariæ, ac retiaræ. CAEP. Sistet autem in omni foro & causa, festis profestisq;, fastis nefastisq; diebus. Segnitioq; ac Segnitij posteris euincet, aduersarios uero uinciet. Pro quo præstando prædia, suppellectilemq; suam, & cum ea bacem, cofinos, riscum, ac rete triplumbatum obligat, seq; staturum in prætorio ad iudicem. Tu Pascuti fuste illum inuestito. Tu Segniti fustem ipsum manu capito. hæcce uti uera sunt, sciens, uolensq;, suæq; spontis, atq; ex conuento, utq; inter bonos decet, uterq; agitis, meq; ut scribam rogatis, iureq; iurando cuncta hæc confirmatis uerbis conceptis, quæ ego præeo. Dice tu Segniti, Per Pedianum Deū, qui noctu primus iter iuit, primusq; cauponam est cauponatus. Sequere tu Pascuti. Per & Verronem, quem pastores colimus, primus sues maiales qui fecit, primusq; & fabam torruit, & glandem deglubiuit. Hæcce acta sicce sunt. Testes adsunt de more aciti, rogatiq;, uiri utiq; probi, Actius Syncerus SannaZarius, Franciscus Pudericus,

dericus, Ioannes Pardus, Gabriel Altilius, Petrus Compater, Paulus Prassicius, Petrus Summontius. Hecce sicce conuenere, hisce uerbis, hisce conditionibus acta & transacta sunt hosce inter, assentiente uxore Pignatia, ut par est uiros inter bonos bene agier. Memores actorum estote, perinde uti ab utroq; ad hæc ipsa arcessiti & rogati estis, uobis enim arbitris ita testabor actum, Cal. Quintilibus, prætore Gallo. ACTIVS. Atqui o' bone Cæpari ut nostrum tibi omnium nomine respondeam, negotium profecto rebus tuis maximum, maximeq; periculosum comparasti à sacerdotibus, dum in illorum iura irrumpis, contemptis, ac despectis legibus, iure Deorũ prorsus adempto. An ignoras, sacerdotibus duntaxat, ut Deum ministris licere, fasq; esse, uenale cœlum facere? iisdemq; etiam solis de intimis terræ locis permissum esse agere, quippe cum in eorum manu sit ablegare quos uoluerint ad inferna loca. Qua igitur lege, scito'ue, decreto'ue, Senatus'ue consulto de cœlo stipulatus fueris, deq; infernis locis, etiam atq; etiam uide. Nos abimus bene conuentorũ memores.

ACTIVS SYNCERVS.

dIVI Boni, uestrum ego utrunq; Petre, ac Paule appello, quo'nam, quo abijt gentium, Christianæ religionis tanta illa simplicitas? locorum ubi delituit, summa, ac peculiaris Christianorum innocentia, atq; integritas? Audet scrofarius pastor in emunda casula, cœlestem illam Dei sedem euinci sibi deposcere, prætoriumq; ipsum humanarum actionum, ac diuinæ iustitiæ, non timet rusticanus notarius scripto etiam testatum hoc posteritati relinquere. Tædet me, pudetq; temporibus his, tempestate tam corrupta editum, luceq; impurissima oculos contaminasse nascentem. Iure igitur quotidieq; magis etiam, ac magis desyderio angor Ferrandi Ianuarij, eiusq; oratio me uehementius in dies commouet, quam ille paucis ante quàm è uita decederet diebus apud se mecum habuit, cum adesset unà Franciscus hic Pudericus, quem uidetis. Cum enim ab Innocentio Octauo Pontifice Maximo Abas creatus nuper esset Ferrandus, paucisq; ante diebus è Roma, Pontificisq; è conspectu Neapolim in patriam regressus, in eo sermone, qui tum de religione est ab eo habitus, exorsus ipse à primis illis Pontificibus, tum Prouincialibus, tum Romanis, Diui boni, Diui, inquam boni, quàm multa, quàm etiam memoriter de illorum simplicitate, paupertate, innocentia, rerumq; humanarũ con-

temptu & retulit, & disputauit, Ac ne uideretur ueterum illorum patrum exemplis tantum, soláq; antiquitatis authoritate inniti, plurima de Francisco, de Dominico, deq; illorum sectatoribus, qui tum quoq; uiuerent, summa etiam cum admiratione audientium ita disseruit, uti qui aderant commiseratione omnes horum temporum in lacrimas uerterentur, Nam & Ferrandus apprime disertus erat, & indignationis maior ipsa uis, commiseratióq; indignationi haud indecenter coniuncta, uerba quidem ipsa, mirificámq; illam uerborum affluentiam, ad dolorem, lacrimasq; commouendas uberrime, excitatissiméq; subministrabant, non minore cum animorum qui aderamus nostrorum commotione, quàm eius ipsius, qui disserebat, affectu. Qui si conuentioni huic paganorum affuisset hominum, uenundaríq; audisset cœlum, an putatis, quod Cicero etiam indignanter facit, sola eum illa exclamatione fuisse contentum, ó tempora, ó mores. Christum ipsum ab aula illa (mihi credite) euocasset imprecationibus, & manes illos Poeticos uociferatu eruisset heiulatióq; ab inferis. Sed cum illo bene actum quis non uidet? Cum eiusmodi præsertim procella paulo post eius obitum ab alpibus proruperit, quæ & Italiam uniuersam concusserit, & Regnum hoc Neapolitanum exhauserit populis, spoliaueritq; fortunis, excisis funditus, aut incendio uastatis tot urbibus. Itaq; cum illo bene actum cũ iam fuerit, desyderio certe consuetudinis, orationisq; eius uiri afficior quotidie magis, afficiárq; quam diu ipse uixero. PAVLVS. È nostro omnium uultu intellegere uel facile quidem Syncere potes, quàm iucunda nobis fuerit Ferrandi recordatio, Quantum autem quàm etiam ualide fixa insideat mentibus nostris illius memoria, consuetudo quidẽ tam suauis eius, nulliq; non ciuium ac peregrinorum, qui illum nouerant probata, docere te oppido abunde potest. Vt autem sermo de ueterum patrum castimonia, & fide à te tantopere laudatus, desyderium in nobis eius renouat (de me ipse ut loquar) non minus fortasse etiam afficit, & penè dixerim confirmationis simul, atq; admirationis magis, ac magis implet oraculum illud tibi ab eo in somnis editum, quod mihi quanquam Puderico ab hoc fideliter recitatum, audire tamen ex te ipso coràm uel mirifice aueo. Cum ad animæ immortalitatem confirmandam, uel mirandum in modum conferat. & si de ea ita persuasum Christiani habemus omnes, ut illorum qui diem obierunt animas, sua quandóq; redituras in corpora, nosq; item ipsos ubi è uita hac discesserimus, statuto quodam tempore resumpturos nobis illa & teneamus, & pro-

mittamus. ACTIVS. Memoratu quidẽ digna res est, audituq́; iucunda, e' me Paule quam requiris, explicatu tamen difficilis. Multa enim somniantes cernimus, quæ planè referri, qualia uisa ipsa sunt, nequeant, ut figuræ quædam, neq; ipsæ uisæ alias, neq; satis ꝑ se explicabiles, tum nouitate, tum complicatione sua. studebo tamen uoluntati eorumq́; qui hic assunt omnium, quiq; mihi idem hoc innuunt, tuæq́; præsertim Paule satisfacere. Illud tamen uobis cognitum, uestrosq́; apud animos testatum uolo, qua nocte oraculum, ut ipse appellas, est editum, nullas ea quæ noctem antecessit die cogitationes à me initas susceptas'ue de animæ immortalitate, nullas de reuersione eius ad corpora, nullum quàm plurimis ante diebus aut sermonem ijs de rebus cum doctis uiris habitum, aut apud me ipsum modo esse aliquo dubitatum. Liber utiq; curis ab omnibus, atq; ab ijs potissimum cogitationibus uacuus, cum ipse cubuissem solito in lectulo, quæq́; sæpenumero ante cubitum lectio, quidam quasi animi cibus sumitur, nulla prorsus diuinis de rebus præcessisset, ubi diutius quieuissem, & iam Aurora illa Iouiani nostri, quæ cœli postibus affixa est custos, Solem excitasset e' somno, uidere uisus sum, quin hæc loquens uidere ipse iam uideor adesse mihi Ferrandum. Quæras fortasse, unde aduenerit mortuus, qua uia profectus, ac tam repente clausis foribus insinuatus astiterit. nesciam, nesciam, affuit certe, qualem uiuum & uidebam penè quotidie, & alloquebar congredientem, meq́; statim desyderatissime complexus cum esset, ut qui diutius non uidisset, uultu iucundus, risu hilaris, salutatione blandus, & osculo, ut ei mos erat, sanè quàm familiariter petiuisset, An, inquit, consuetudinis me nostræ oblitum rebare, amicitiæq́; tam diuturnæ factum tam breui immemorem? Redeo igitur ad te, & quidem tanquam legatione functus aliqua, ut uiuens consueueram, confecto munere, maximaq́; profecto cum uoluptate ad te redeo. reducem igitur ac sospitem ipse me uides, atque ante expectatum tibi me & uegetum, ualentemq́;, & amicorum, tuiq́; in primis memorem, tuum apud cubiculum sisto. Atque his dictis blandiusculum in modum & surrisit, & penè sublacrimatus est. quod euenire solet inter uiuentes, ubi longa è peregrinatione regressi sunt in patriam, exanclatis periculis reduces, quo tempore natura ipsa contrarios unà miscere affectus consueuit, & præteritorum periculorum, longiorisq́; absentiæ memores, & præsentis uoluptatis, ac lætitiæ indices. Hoc est au-

tem illud Paule, uoſq́; amiciſſimi uiri, hoc inquam illud eſt, quod ne inumbrare quidem ſuis uerbis, nedum figurare queam, aut explicare oratione. Cœpit eodem me puncto temporis mira uo-luptas amici iam reducis, cœpit admiratio, quod mortuum iam du dum illum eſſe ſubijt recordatio, cœpit rurſum dubitatio, quia ui-uum illum cernebam, & loquentem quidem, & uiui hominis mu-nus, ſermone, uultu, affectibusq́; implentem. num mortuum arbi-trarer? an potius illius mihi obitus ſomnianti eſſet uiſus, qui re ipſa iam uiueret? Itaq; dum ipſi inter ſeſe recurſant affectus, mentisq́; in diuerſum abit cogitatio, meq́; ſilentij longioris pudet, unà & in hilaritatem pariter profuſus ſum, & in lacrimas iam prorupi. Ve terem igitur, atq; deſyderatum amicum arctius complexus, ut per-egre redeuntem, ut ſoſpitem, nec minus etiam ſubueritus, quæ ſom-niantium eſt conſuetudo, ne, quod haud multo poſt contigit, repente euaneſceret, multa quidem, proq́; ueteri noſtra conſuetudine, paucas cum eo tamen, non minus iucunde, quàm pie, domeſticeq́; tranſegi, mutuoq́; ille mecum peramanter & grate, quodq́; Ferrandus ipſe dum uiueret, quotidianis in diſceptationibus multa ſæpe de animæ immortalitate quærere eſſet ſolitus, ſubijt, tempus eſſe idoneum in-terrogandi illius, eorum'ne de quibus olim dubitaſſet, factus eſſet iam certior, nec auſus ipſe in primo ſtatim orationis ueſtibulo, ac ue luti ex abrupto hoc ipſum exquirere, cœpi prius ſciſcitari, num ea quæ traderentur de mortuis tam acerba, de pœnarum magnitudi-ne, de ſupplitiorum immanitate, cruciatuumq́; perpetuitate, uera eſ ſent, ut ea ipſa ſunt prodita. Tum ille ſuo de more, ut quippiam aſ ſeuerantius erat dicturus, ſupercilijs obductis, ſilentioq́; pauliſper habito, quaſi etiam præſagiret quæ ſciſcitanda poſt à me eſſent. Dicam, inquit, Syncere Acti, dicam uere, fatebor ingenue, aſſeuera-bo conſtanter, nos qui è uita iam migrauimus, eo deſyderio teneri, in uitam illam remigrandi, quæ animæ cum corpore eſt commu-nis. Atq; his dictis, demiſſis, ijſdemq́; conniuentibus oculis, ac ſuper cilijs quaſi abiens ſalutaret, diſceſſit. Ego ſtatim ſomno ſolutus ſum. Habes Paule ſomnium quale meum illud fuerit, plenum, ut opinari te etiam uideo, diuinitatis, ex eo mihi & uita hæc habita eſt ſua-uior, quæ perfectio quaſi quædam animæ uideatur, nec mors futura eſt tam grauis, poſt quam ſuo quidem & ſtatuto tempore membris hiſce uernaculis, ſibiq́; peculiaribus, quorum miniſterijs principio ab ipſo uitæ, ſocietatisq́; eſt uſa, ſit iterum quoq; uſura, corporeq́; in hoc,

perinde atq; in domo ac patria sua rursus etiam diuersatura. Fungamur igitur eo libentius in hac ipsa animæ corporis'q; societate uiuentes, uitæ ipsius muneribus. quod'q; medij quasi quidam ex anima consistimus ac corpore, mediocritatem sequamur eam, quæ digna sit homine. Et quanquam degener est corpus, illud tamen ita colamus, uti solertes ac boni agricolæ agrum, ijs ferendis frugibus, quarum anima, ut'q; Ciceroni magis placet, animus sator est idem, & cultor. Nihil ciui bene instituto patria sua est carius, quoniam in ea honores assequitur ac titulos, rem'q; illic familiarem cumulat, peculium'q; omne sibi comparat. Corpus autem hoc nostrum, perinde ut proprium illi domiciliũ et pene patria est, quocirca corporis ipsius non immemores ita quidem erimus, ut hospitium & quasi patriam eam animi ipsius, domum'q; uita in hac existimantes, bene illud constituamus, quo animus ipse honores, magistratus, munera'q; ciuilia, dignas'q; homine actiones in illo gerere, eius'q; etiã opera exercere, atq; administrare cum dignitate ac decore ualeat suo, quam diu hospitio illius, & tanquam patriæ utetur beneficio, Ac postquam ex eo migrauerit, quam diu etiam absens fuerit, ut illius ipsius memor, desyderio remigrandi ad illud eo uehementius teneatur. Quemadmodum ciues boni, qui quo sua ipsorum patria est honoratior, eo absentes maiore tenentur cupiditate in illam reuertendi. PAV. Et oraculum ipsum summa à te cum fide recitatum, plenum est diuinitatis, & oratio hæc ipsa tua, te'q;, atq; oraculo tali digna. De ipso autem Ferrando maior in dies futura est apud me existimatio, existimationi'q; coniuncta ueneratio, cultus'q; memoriæ, ac nominis tanti uiri. Inter amicos uero plurimos quibus ille omnibus perfamiliariter utebatur, quod tui præcipue memor in somno se tibi, tam familiariter inuisens ostenderit, & mecum gaudeo plurimum, & tibi ex animo gratulor, neq; enim mediocrem tibi excitationem additam uideo, nobis'q; item alijs, qui hæc nouimus excolendis animis, uita hac dum fruimur, quando animi ipsi eo tenentur desyderio redeundi in corpora, in quibus constituti, & quorum etiam ministerijs, atq; ope usi, id assequentur, uti humanarum, diuinarum'q; rerum naturas, causas, potestates'q; cognitas ac perspectas habeant. Quid enim excellentius, quàm in hoc perexiguo tam uasti æquoris meditullio, quæ tera dicitur, habitantem hominem, & teras, & maria, & spiritum, & cœlum omne, tot, tantos'q; stellarum orbes ac globos, tantam uniuersi molem, rerum tantam infinitatem cognitioni suæ subiecisse? mortali'q; in corpore im-

mortalem ſubeũtem perſonam id curare, ſciſcitari, peruestigare, comprehendere, tandem ſcire, quod deorum eſt munus proprium, ac peculiare, ab iјſq; in homines translatum beneficium. Idq; ita eſſe declarare multa quidem poſſunt, illud uero cum primis, quod dij quidem ipſi excellentibus quibuſdam uiris uiſi ſunt fuiſſe præſentiores, excellentiæq; illorum & gloriæ permultum ſtudioſi. Neq; enim de nihilo opinio illa peruetuſta de Genijs apud priſcos tam conſtanter eſſet defenſa & habita, nec apud nos Chiſtianos, ne apud Iudæos, aut Arabes quidem illos, niſi permulta, eaq; maxime obſcura monſtrata, perſpecta, cognita, his ipſis docentibus fuiſſent mortalium generi, quæ nunc audiendo, ac legendo diſcimus. Vt autem prætereamus maiora quæ ſunt, & audiſti Syncere ſæpius, & audire coràm etiam num potes ex amiciſſimo uiro, cuius familiaritate, ac communitate ſtudiorum quis te ipſo magis utitur? quanquam & nos quoq; ualde utimur, non adoleſcentem modo ſe, ſed iuuenem, ſed ætate iam prouectiorẽ, cum ſæpenumero interpretandis ueterum ſcriptorum libris hæſitabundus non haberet certi quid traderet, in ſomnis ſe à Genio ſub imagine ueteris cuiuſpiam nunc Grammatici, nunc aut Poetæ, aut Philoſophi, ueritatis admonitum? Quod ſiquis hæc forte contemnat, idem hic quo'nam ore negauerit, maximos quoq; duces monentibus in ſomno dijs aut maximas inſperatasq; ſibi comparaſſe uictorias, aut euitaſſe, ne uicti ipſi eſſent, copijs profligatis. Ad hæc non pauca etiã ſæpe monſtrantur nobis inter dormiendum quorum antea cogitatio nulla præceſſerit, nihilq; illa priuatim ad nos ipſos, resq; noſtras attineant, quæq; neq; ſenſus ipſi uerſandis, atque examinandis illis agitati ante, poſt dormientibus offerunt, nosq; laceſſunt etiam in quiete. Sacerdos equidem ipſe ſum, nec à ſtudijs, quibus tantopere delectari te mirifice lætor, omnino alienus. plena eſt hiſtoria ueterum illorum patrum oraculis, plena uiſionibus, tum adhortantibus ad fortitudinem, ad pietatem, ad contemptum rerum humanarum, tum à uitijs deterrentibus, quibus ego, confirmandis his quæ dicta ſunt, commodiſſime uti poſſem, uerum neq; in hoc præſertim conuentu neceſſe eſſe duco, Chriſtiani enim cuncti ſumus, ſolamq; pietatem ſequimur, Teq; Parde uideo iam pridem penſitare, quid ad hæc dicturus ſis. itaq; te ipſum potius audiamus. PARDVS. Penſitantem me Paule Praſſici quæ à te dicta non minus ſunt recte, quàm à nobis grate accepta, ſubijt Ariſtotelicum illud, fieri quidem poſſe, ut ob mundi ipſius conuerſionem, habitu aliquo indu-

cto, quæ fera sunt animantium genera, ea ut mansuescant singula, idq; usu uenire in locis nonnullis, ut ob insitam bonitatem, sponte sua, nullo quidē cultu adhibito, mitiora illic nascantur, quàm quæ alibi summo etiam studio, operaq; adhibita diligentiore mitescunt. In tanta igitur nascentium multitudine, tam uaria etiam locorum diuersitate, mundiq; ipsius agitationibus tam continuis, ijsdemq; tantopere uariantibus, cum natura ipsa semper ad unum aliquod suo in genere perficiendum contendat, quid mirum, & si rarum, tamen in multis quoq; seculis, oriri aliquem, cui natura, & studio cum primis suo, & bonitate seminis, stellarumq; ipsarū, hoc est mundi ipsius beneficio, & opera, omni è parte genere in illo consulat aut facultatis, aut scientiæ? Cum nulla uirtus corporis, nulla sit animi ingeniiq; præstantia, nullus honorum, aut externorum bonorum gradus, in quo non diuersis quamuis temporibus, naturæ ipsius summus ille conatus, effectu ipso non sit etiam manifesto & cognitus, & perspectus, pro temporum uidelicet, nationum, patriæq; constitutione, & cœli ipsius à quo cuncta mouentur agitatu. Abstinebo exemplis, ipsa enim res est per se quàm notissima. Verum naturæ ipsius opera, præsertimq; excellētissima quæq;, Deum ad ipsum referenda mihi uidentur, idq; si cuiq; nationi, genti, sectæ, Christianæ cum primis religioni conuenire arbitror, quæ uirtutum omnium, earum dico, quæ ad animum referuntur, & fuit, & est quàm studiosissima. Hæc habui quæ pensitabundus apud uos dicerem, aliâs fortasse eadem hac de re, commodior offeretur quærendi, ac disserendi locus. Quoniam autem, ut scitis, toto sum corpore, ac pedibus præsertim imbecillis, considendum hac sub porticu censeo, de more maiorum nostrum, considentibus enim nobis, otio magis tranquillo & & quærere licuerit & disputare, & qui prætereunt, tum ad sedendi otium, tum ad certamen disserendi inuitare, honestius multo fuerit. COMPATER. Ego uero quoniam à consuetudine huiusce porticus, meoq; ab instituto recessurus non sum, præsertim cum pransi hic consederimus, sequendum illud arbitror, quod præstantissimi etiam uiri secuti leguntur, uti leuioribus de rebus deq; grammaticis præcipue post accubitum dissererent, primumq; cognoscere ex te Paule aueo, quid (malum) quasi latinitatis oblitus paulo ante dixeris, plena est historia oraculis, plena uisionibus. An non puellulus eructabas Terentianum illud unum, Ac Ciceronianum alterum, Plenus rimarum sum, &

haud magna cum re, ſed plenus fidei, Adde &, Stultorum plena
ſunt omnia. PAV. Et de more Compater tuo fecꝛris, & nobis
non ingratum, ſi quanquam ſtudijs maioribus deditus, tamen meri-
diani quoq; temporis memor ab his ad ea nos aduocaris, quæ cum
leuiora ipſa ſunt, tum ijs etiã è ſtudijs, quæ pueris nobis prima in-
hæſere. Quócirca ne diutius te ſuſpenſum teneam, & ſi tentabun-
dum loqui te certo ſcio, dicas uelim, ſis ne & ipſe oblitus Ciceronis
tui ſcribentis ad Tironem, Noctem habui plenam timoribus ac miſe
rijs, & ad Atticum, Ex tuis literis plenus ſum expectatione de Pom
peio, quid nam de nobis uelit ut oſtendat, & ad Plancum. Sub eas
ſtatim recitatæ ſunt tuæ, non ſine magnis quidem clamoribus, tum
rebus enim ipſis eſſent, & ſtudijs beneficijsq́; in rem publicam gra
tiſſimæ, tum grauiſſimis uerbis, atq; ſententijs plenæ. Qui ſi conten
tus his minime futurus es, Tacitíq; haudquaquam meminiſti dicentis
in dialogo de oratoribus. Illud certe concedet inſtructum, & ple-
num his artibus animum longe paratum ad eas exercitationes uen
turum, Item in libro hiſtoriarum. XVII. Opus aggredior ple-
num uarijs caſibus, atrox prœlijs, diſcors ſeditionibus, et paulo poſt.
Magna adulteria, plenum exilijs mare, & Plinij in quinto natura
lis hiſtoriæ. Polybius annalium conditor, ab eo accepta claſſe ſcru-
tandi illius orbis gratia circumuectus, prodidit à monte eo, occaſum
uerſus ſaltus plenos feris, quas generat Africa. Poteris tutemet re-
uocare tibi in memoriam alia quoq; Ciceronis loca, in quibus legi
tur, plenus officio, plenum uigilantia, celeritate, diligentia. Poteris
authorum item aliorum meminiſſe, qui & ipſi principem inter La-
tinos ſcriptores locum obtinent, Ac nihilominus quoniam in hunc
ſermonem uolens incidiſti, potes et de alijs huiuſmodi ſciſcitari, ſiqua
dubium tibi forte animum, atq; incertum faciunt. COM. Bene
profecto à te ſatisfactum arbitror, nec arceſſendis opus eſt teſtibus,
aut comprobatoribus, ubi Cicero eſt ipſe author. Quo igitur ince-
ptum proſequamur, explicari à te peruelim Parde, Qui nam ma
iorum noſtrum potius quàm noſtrorum paulo eſt à te ante dictum,
cum uſurpatiſſime ſcriptum legatur maiores noſtri. PAR. Nec in
epte hoc ipſum à te Compater queritur, nec à me ſine magnis qui-
dem authoribus dictum eſt, Cum etiam à Salluſtio ſcriptum lega-
tur in oratione illa Lepidi, Clementia & probitas ueſtri Quirites,
quibus per cæteras gentes maximi, & clari eſtis, tametſi ſcriptura
ipſa, ut iam uideo, deprauata eſt à literatoribus, quod in alijs quoq;

compluribus animaduerti, & ab illis præſertim, qui noua hac ſcribendi ratione libros hodie imprimendos curant. Qua in re Salluſtius etiam Græcorum loquendi morem ſecutus uideri poteſt, Verũ ne à Cicerone noſtro recedamus, quid ſi à me ita pronuntiatum eſt noſtrûm, ut ſit noſtrorum, ut ſeſtertiûm, numûm, numorũ, ut duûm uirûm, duorum uirorum, ut Deûm fidem deorum, ut præfectus fabrûm, fabrorum. hac enim uerborum contractione uetuſtas illa uehementer gauiſa eſt, nanq; apud eundem Ciceronem leges ueteris poëtæ dictum, Patris mei meûm factûm pudet, pro meorum factorum. Item, Ciues antiqui amici maiorum meûm, hoc eſt meorũ, quæ quã quam obliterata magna ipſa è parte iam ſunt, tamen in paucis quibuſdam è Ciceronis ſententia, & plenum uerbum recte dicitur, & imminutum uſitate. COM. Accipio & rationem, et authoritatem, uideoq́; quod à priſcis illis longius deflexerimus, multa recentibus ab his literatoribus magis damnari ob ignorantiam, quàm repudiari ob uetuſtatem. Oblatus eſt mihi diebus his libellus ſanè peruetus, in quo ſcriptum erat, Rhinocerontis, uetuſtis enim in codicibus dictiones has Rhinocerontis & Aegocerontis ubiq; inuenias. N'. literam retinere, quam quidem literam à Grammatiſta neſcio quo, quod Græcum inodoratus aliquantum eſſet, attramento oblitam animaduerti, uidelicet quod recentiores Græci, quiq́; Atticæ loquantur, Aegoceros Aegocerotis, & Rhinoceros Rhinocerotis enuntient, Neq; tamen argutulus hic id animipendit, quin ignorare ſe confeſſus eſt, è Græca fuiſſe olim gente, ut Siculos, Italicam nationem, ut Calabros, qui dicerent, Aegoceron, & Rhinoceron, & Minon, atq; huiuſmodi alia, indeq́; eſſe Rhinocerontis, Aegocerontis, & Minonis, quod Cicero etiam ipſe protulit, Accepta igitur à priſcis Latinis terminatio hæc Sicula manſit apud noſtros, nec eſt cur accuſetur, ſiquis morẽ tot ſeculorum ſeruatum à maximis authoribus & ipſe quoq; ſeruauerit, quando cognitum, ac certum eſt græcos quoq; authores Siculos ſcilicet, ac Brutios ita eſſe locutos. Cum etiam abunde notum ſit, quanta inter græcos ſit ipſos uarietas & terminandorum, & flectendorum nominum. Quin etiam Germanicus Arateo in carmine protulit Aegocerus, ut cum ait.

" Et ſedem Aegoceri Cythereius attigit ignis, Item
" Clara ſagittiferi tetigit cum lumina ſigni
" Aegoceri ſemper cœlo leuis excidit imber.

Audiui non ſemel, & quidem perſancte iurantem, eruditum appri

me, & obseruantem uetustatis hominem, se complures codices et Ho
ratij, & Ouidij, & aliorũ poetarum legisse pene` uetustate ipsa con-
sumptos, in ijs'q; scriptum obseruasse non Clius, sed Clios, non Di-
dus, sed Didos, non Eratus, sed Eratos, quod priscis illis temporibus
maiores nostri genitiuis casibus Græco more his in nominibus mi
nime uterentur, Cum qui Græce sunt Didoos, Eratoos, Clioos, con-
traherent in o productum Didos, Eratos, Clios, qui casus Atticæ
sunt Didus, Eratus, Clius. At nunc quis est e' literatoribus adeo com
positis moribus, quin ora sinus'q; ipsos impudentius conspuat, ubi
quem aliter locutum senserit. Me ipsum maledictis quoq; incessitum,
nedum acrius increpitum satis quidem scio, quod Sapho uno idest
simplici tantum. P'. ac non uti à Græcis scribitur & ipse scripsissem,
nec animaduertunt erudituli uiri Latinam linguam post. P'. statim
alterum. P'. non admittere, cui tamen insit aspiratio. Itaque dum
græci nimium esse uolunt, Latinum quid uelit, non uident, neque
enim patribus, ac principibus illis Latinæ locutionis cura maior fu
it ulla, quàm ut peregrina lenirentur nomina, uti'q; Palæmon usur-
pat, quàm ut Latinitatem musicarent, quo uoces lenius illaberentur
in aures. hinc qui Græce est Ὀδυσσεὺς, factus est Vlysses, Ἀχιλλεὺς,
Achilles, Αἴας, Aiax. Ἀσκληπιὸς Esculapius. Πολυδεύκης, Pol-
lux. alia'q; id genus plurima, eo` autem uecordiæ, ne dicam ignorã
tiæ processum est à supinis quibusdam ingenijs, ut inobseruato Ci-
cerone, ne dicam contempto mordicus incursent, siquis ita locutus fue
rit, uti coniunctiones has, Et si, & Quanquam præterquam indi-
catiuis temporibus coniunxerit, cum & optatiuis, & coniunctiuis
modis passim coniunctas apud illum inuenias. Audite quæso æquo
animo Ciceronem tam multis in locis non uni duntaxat modo, hoc
est indicanti coniungentem, Ad Atticum enim quadam in episto-
» la. Sed postea quam primum Clodij absolutione leuitatem, infirmi
» tatem'q; iudiciorum perspexi, deinde uidi nostros publicanos facile
» à Senatu disiungi, quanquam à me ipso non diuellerentur. Alia in
» epistola. Rhodum uolo puerorum causa, inde quam primum Athe
» nas, & si Etesiæ ualde reflauerint. Ad Dolobellam quoq;, Quan-
» quam mi Dolobella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas
» (si modo sunt aliquæ meæ) laudes ad te transtulerim, quàm ali-
» quam partem exhauserim ex tuis. Ad Seruium Sulpitium, Acce-
» dit eo`, quod Varro Murena magnopere eius causa uult omnia, qui
» tamen existimauit, & si suis literis, quibus tibi Manlium commen

» dabat, ualde confideret, tamen mea commendatione aliquid acces-
» sionis fore. Ad Marcum Varronem, Etsi quid scriberem, non ha-
» berem, tamen amico ad te eunti, non potui nihil dare. In primo Aca
» demicorum libro, Certe enim recentissima quæq; sunt correcta &
» emendata maxime, quanquam Antiochi magister Philo magnus uir,
» ut tu existimas, ipse negaret. Item, Tertia deinde philosophiæ pars
» quæ erat in ratione, & in disserendo, sic tractabatur ab utrisque,
» quanquam oriretur à sensibus, tamen non esse iudicium ueritatis in
» sensibus, mentem uolebant rerum esse iudicem. Et in secundo de
» Oratore, Erantq; multi, qui quanquam non ita se rem habere arbi
» trarentur, tamen quo facilius nos incensos studio dicendi à doctrina
» deterrerent, Libenter id quod dixi de illis oratoribus prædicarent.
» Item sese, siquam gloriam peperisse uideatur, tametsi ea non sit ini-
» qua merces periculi, tamen ea non delectari. Ad hoc Ciceronis testi
» monium & si aliud nullum abs te requiri certo scio, non præter-
» mittam tamen quæ è Sallustio, Liuio, Tacitoq; mihi nunc in mentẽ
» ueniunt, Sallustij enim uerba sunt hæc, Nam ui quidem regere pa-
» triam aut parentes, quanquam possis, & delicta corrigas, tamen im
» portunum est. Et Liuij. XXVI. Itaq; quanquam omnibus omnia
» deberet, præcipuum muralis coronæ decus esse eius qui primus mu-
» rum ascendisset. Et libro. XXIX. Mauris inde secuti conuene-
» rat retro ad Regem remissis, quanquam aliquanto minore spe mul-
» titudinis nec unquam tantam rem aggredi satis auderet. Taciti au-
» tem quæ sequuntur, Non numerauerim inter Germaniæ populos,
» quanquam trans Rhenum, Danubiumq; consederint eos qui decu-
» mates agros exercent. Item uera statim, & incorrupta eloquentia
» imbuebantur, & quanquam unum sequerentur, tamen omnes eius-
» dem ætatis patronos in plurimis & causis, et iudicijs cognoscebãt.
Tamen hæc tolerabiliora. Discissum, dilaceratumq; ab ijsdem sa-
tis scio haud indoctum hominem, quod particulam Nedum, ac Ne
modo, præponere sit in scribendo ausus, nec meminerunt Ciceronem
scribentem ad Atticum, nec Balbum et Oppium ad Ciceronem, eo-
rum quidem alterum dixisse. Tu quoniam quartana cares, et nedũ
morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te uegetum nobis in Græ
cia siste, alteros uero, Nedum hominum humiliũ, ut nos sumus, sed
etiam amplissimorũ uirorũ consilia ex euentu non ex uolũtate à ple
risq; probari solent. Liuius quoq; libro. XXIX. inqt. Hanno nequa
» quam satis ualido ne modo ad lacessendũ hostem sed ne ad tuẽdos qdẽ

» à populationibus agros equitatu accepto id omnium primum egit, ut
» per inquisitionem numerum equitum augeret. Nec alienum forte
» fuerit Plinij quoq; uerba è nono naturalis historiæ libro adducere.
» Lolliam Paulinam quæ fuit Caij principis matrona, ne serio quidem
» aut solenni cærimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam
» sponsalium cœna uidi smaragdis, margaritisq; opertam. Hæc autem
» quanquam sunt huiusmodi, mouent tamen doctos uiros, Indignan-
» tur enim non permutti sibi maiorum authoritate uti, tutoq; euagari
» per orationis latinæ fines, qui latissimi quidem sunt, Nam etsi pos-
» sunt conscientia ipsi sua contenti esse, tamen nescio quomodo præstan
» tibus in ingenijs usu uenit, quod in equis generosis, ut nolint pungi,
» auersentur flagella, ad scuticæ sonitum exæstuent, Nanq; ipsi etiam
» reges muscas fugitant equidem memini, quin uidere quidem uideor
» digladianteis grammaticos super Virgiliano uersu, qui est
» Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant. Dum quid instar significet, parum intellegunt.
Neq; enim Ciceronem animaduerterunt scribentem ad Atticum.
» Mearum literarum nulla est synagoge, sed habet Tiro instar septua
» ginta, & quidem sunt à te quædam sumendæ, eas ego oportet perspi
» ciam, corrigam, tum deniq; edentur. Et in oratore ad Brutum.
» Nam inuenire, & iudicare quid dicas, magna quidem illa sunt, &
» tanquam animi instar in corpore, Quid idem cum dixit Cicero ex
» ore Antimachi in Bruto, Plato enim mihi unus instar est omnium,
an sibi uult aliud? quàm quod Platonis unius audientia idem uale-
ret apud eum, tantumq; haberet authoritatis, quantum si uniuersus
Atheniensis populus ad audiendum conuenisset, intentusq; recitan-
tem spectaret, quodq; inuentio, ac iudicium in oratore idem quidem
polleat, quod in corpore ipso animus. Verum hæc à nominis ipsius
deductione aliquanto sunt remotiora, Cum tamen & Cicero, et Vir
gilius eam innuant, ut quæ instar aut sunt, aut habent, ea quasi ocu
lis, ac menti instent, illisq; perinde, ut exemplar quoddam sint pro
posita. Quod fabris, atq; artificibus usu uenit, qui propositum ad exē
plar fabricantur, ad illudq; opus suum dirigunt, id quod Virgi-
lij uerba præseferunt dicentis equum illum Troianum ædifica-
tum ea uastitate, ut quasi uasti imago montis fuisset proposita ædifi-
catoribus, quam & ipsi imitarentur, et equus ipse illam referret, quod
ipse alibi declarat cum ait.
» Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
» Roboribus textis, cœloq; educere iussit.

Et Cicero

Et Cicero cũ respõdet attico, habet Tiro instar septuaginta, an aliud significat? quàm quod cum ipse efflagitaturum ab illo epistolarum nullum haberet penes se exemplum, originales quidem epistolæ (sic enim hodie non pauci loquuntur) quasq; ipse dictasset, à Tirone asseruarentur, quodq; de exẽplaribus illis ut pote archetypis exẽplũ esset
» sumendum. Idem Cicero declarat hoc apertius, scribens ad Varro-
» nem, Equidem hos tuos Thusculanos dies instar esse uitæ puto, Ac si
» diceret uitæ genus dierum illorum quibus fuisti in Thusculano, esse
» alijs uitæ suæ exemplum ac specimen debere iudico. Itaq; tum exemplar, tum exemplum uidetur instar significare, quod & Virgilius confirmat cum dicat, Quantum instar in illo. Recentiores tamen, ut Plinius Secundus, alia quadam ratione, uidentur hac usi dictione, neq; improprie tamen, neq; indecenter, ut cum ait de Traiano, Instar refectionis existimas mutationem laboris, nam & apud Ciceronem legitur, instar mortis, itemq; & alibi. Instar ulctionis uideretur cernere laceros artus, truncata membra. Item maximum beneficium uertebatur in grauissimã iniuriã, ciuitasq; Romana instar erat odij, & discordiæ, & orbitatis. PVDERICVS. Ego uero Petre Compater facile sum passus, ægreferentem te Grammaticorum importunam diligentiã euagatum longiuscule, omnis tamen dicendi oblectatio uacare debet tædio cum primis audientium, ac defatigatione, Quamobrem redeat iam Pardus ad insomnia, quo Horatianum illud punctum, dum iocis miscemus seria, è dictionibus his nostris, ab ijs qui audiendi nobiscum hic gratia consederint, referamus, sintq; posthac res inter nos Grammaticæ, leuatio quasi quædam rerum difficiliorum, quæ in sermonem uenient, non autem disserendi materia. PAR. Reuocas me, ut uideo, Puderice ad somnia, uel potius aut impellis, aut trahis, Atq; equidem uereor ne de his disserentem me uberius, ad somniandum adigas etiã uigilantem. Dicam tamen quæ sentio, quæq; ut probentur à multis desyderari quidẽ potest, utinam uero id consequamur ut à paucis. Externam quidem esse mentem putat Aristoteles, eamq; ueluti peregre aduenientem (ut sentire illum arbitror) in animos hominum illabi, idemq; animis præstare ipsis officiũ ad cogitandum, peruestigandumq;, deniq; ad iudicandũ, quod artificibus ipsis ad conficiendũ destinatum opus præbeat dextera. Ac mea quidem sententia perinde, ut de luce per orbem à Sole diffusa lumen oculis accenditur ad uidendum, atq; discernendum ea, quæ oculis obiecta sunt, nam & lux externa, idest cœlestis res est, eq; cœlo à Sole diffusa peregre ad nos aduenit, Sic à cœli ipsius, syderumq;

commotionibus, per eam quæ συμπάθεια Græce est, Latine contagione fecit Cicero, mihi magis placet appellare contagem, quando contagio in malam ac pestilentem hodie partem accipitur, sic inquam à cœli stellarumq; agitatu perpetuo, animis nostris mens idest uis illa cogitandi tã acuta, & solers, tamq; etiã sibi constans, dono dei infunditur, Nec uero ea quæ nunc dico accipi sic uelim, ut non et ipse de Deo, deq; animæ immortalitate, eiusq; creatione ea sentiam, quæ Christiani sint hominis, & pij quidem hominis, sed differentem de somnijs, par est quædam tanquam somniantem afferre in medium. Neq; uero oblitum te illorum arbitror, quæ paulo à me ante dicta sunt de monitis, persæpe sanctissimus illis patribus à Deo traditis inter dormiẽdum. Ne igitur à proposita re discedam longius, Quæ in somnis offeruntur simulacra, & uisa, ea partim à cupiditate, studio, affectionibusq; hominum maioribus excitantur, quod uidemus etiam in canibus, & ut Claudianus ait.

» Venator defessa toro cum membra reponit,
» Mens tamen ad siluas, & sua lustra redit.
» Furto gaudet amans, permutat nauita merces,
» Et uigil elapsas quærit auarus opes,
» Blandaq; largitur frustra sitientibus ægris
» Irriguus gelido pocula fonte liquor.

Est enim locum hunc Poeta ille luculentissime prosecutus, partim etiã à quadam tum colluuie humorũ, tum malo ab habitu corporis, hiq; excitantur in corpore, cum dormitur, unde etiam uisa ac simulacra illa non nisi conturbata uidentur, & persæpe terrent, multum quoq; ad hæc ipsa cõferunt tempestates, syncærus'ne sit, an pertubatus aëris ipsius status. anni quoq; partes, qualis est autumnus propter inconstantiam, ac uarietatem, ut in somnis quidem contingant ob has ipsas causas pleraq; omnia quæ nostrorum sunt sensuum, cũ et uigilant, et exercentur. Quippe cum dormientes uidemur etiam cœnare, potare, Veneris rebus uti, ridere, lætari, timere, lacrimari, sequi, fugere, audere, demum quæ uegetantis, quæq; sentientis sunt animæ, pleraq; inter dormiendum ipsis in uisis accidere, ut hæc ipsa fere sine sympathia illa cœlesti fiant. At quomodo inquam fient, quomodo absq; syderum contage & cœli, uisiones illæ diuinæ quidem, ac sanctitatis plenæ? futurorumq; cognitionis, atq; (ut Christiani dicimus) arcanorum mysteriorum? Quemadmodum igitur mens illa cœlitus Sibyllis offertur, uatibusq; præclarissimus, perquam remotissimas quoq; res, nihilq; ad se spectanteis, ne cogitatas quidem prius, nec concupi-

tas uates ipsi & prædicunt, & præuident. eundem ad modum cœ
litus uisiones illæ offeruntur dormientibus, ijs quidem ut nullis occu
patis aut curis, aut cogitationibus, ipsis uero sensibus ita liberis, ac ua
cuis, ut nihil utiq; humanum eis inesse uideatur. Sicuti recte quidem
à poetis describitur furor ipse uaticinantium, qui quod præter huma
nos fiat sensus, furor est appellatus. Qui igitur in uatibus furor est,
in dormientibus caret nomine. pie tamen magis quàm proprie à bo=
nis quibusdam uiris, tum uisitatio, tum apparitio diuina dicitur, quasi
Deus in somnijs illos inuiserit, aut numen ijs aliquod apparauerit
quiescentibus. quo factum est, ut monita ipsa périnde, ac diuino ex
ore prolata, quidam appellarint oracula. Vt autem non omnibus,
sed perquam paucis diuini illius spiritus concessa est familiaritas, uisq́;
ad uaticinandum, sic non multis est attributa somniandi ueritas, uel,
ut rectius loquar, sanctitas, atq; castitudo. Quam paucissimi uel raris
simi potius existunt Poëtæ, quorum ingenij etiam uis è cœlo ma-
nare credita est. Quibus itaq; diuinis cum uisionibus hæc inest fami
liaritas, & tanquam hospitij ius, & illa quoq; eisdem inest à cœlo in
formatio, accipiendis apta uisis, quæ de cœlo per contagem illabun-
tur. Qua de re ab illis qui syderalis scientiæ, quæ ἀστρολογία græ
ce dicitur, studiosi sunt, per multa traduntur, quæ nos ad illorum
hac in parte disciplinam relegamus. Te ipsum equidem Paule Pras
sici dicentem audiui sæpius, multum hanc ad rem conferre tum Ve
neris stellam. tum Iouis, magis autem Veneris, qualem scilicet à sese
in genitura habuerit, præsertim aduersus signum illud, qualemq́; si-
gnum illud fuerit, quod nonum tunc cœli locum tenuerit aut pri-
mum, cum quis in lucem uenit. Inter signa uero omnia, cui Virgo
nomen est inditum, illud esse diuinationi huic quàm accommodatissi
mum, Quippe quod eam in constituendo corpore retineat temperatio
nem fermentandis humoribus, qualem fermentationem esse oporteat
fabricæ illius, quæ simulacrorum huiusmodi familiaris futura sit,
atq; hospita. Omnino autem fermentatio illa corporis quæ bilis atræ
secum habet permultum, rei huic est perquã apposita, de cuius natura
quædam etiam admiranda traduntur ab Aristotele, Ea enim ipsa
terrenã ob qualitatẽ, quod atro in uino apparet, ubi concaluit iã, spu
mã quandã uberiorẽ excitat, de cuius excitatione spiritus, et quidem
uehementiores gignuntur. Atq spiritus qdẽ ipse aerius cum sit (nã q
Græco noie est ἀὴρ, Latino dicitur spiritus) efficitur, ut quẽadmodũ p
aerẽ à natura ipsa uisus, qui oculorũ est sensus exercetur, et qui auriũ
est auditus, item et olfatus, eundẽ ad modũ cõtages ipsa cœlestis, super=

na'q; illa affectio per aerem, perq; spiritus illos tantopere suscitatos se se insinuans exercet mentem in uaticinantibus, plus tamen, minus'ue, pro natura fermentationis ipsius, eius'q; temperatione, quod item efficiatur in dormientibus, pro fermentationis eiusdem ratione & habitu, corporis'q; illorũ concretione. Itaq; neq; Augustinus summa tum doctrina, tum etiam sanctitate uir, neq; doctissimi è nostris theologi, neq; è philosophis Stoici, acutissimi, ijdem'q; disputaces homines (utar enim nouo hoc nomine, quando eiusmodi Academia quidem fuit) somnia uisiones'q; probare dubitauerunt, quæ'q; in somnis traduntur monita, quæ quidem etiam sunt qui uocauerint oracula, neq; defuere qui arbitrati sint, Prophetarum pleraq; per somnia eis, & oracula diuinitus demonstrata, Et Syllam felicissimum tum ciuem tum imperatorem consulenti Lucullo, in re militari quid seruaturus esset potissimum, somnia cum primis animaduertenda respondisse boni authores tradunt. Hæc igitur Puderice siue suasus à te, siue compulsus, quando & Syncero satis iri factum intellegebam, de somnijs dixi, abstinebo à pluribus, ne quod paulo ante dixi uel uigilans uidear somniare. Quod'q; Poetica uis uaticinantium habetur persimilis, unde Poëtæ & ipsi uates dicuntur, Synceri ipsius, Poëticæ quàm studiosissimi, uel Poëtæ potius & quidem elegantissimi officiũ neq; indignum fuerit, neq; ingratum, si et ipse consessũ in hoc de Poëtis afferet in medium aliquid, quo consessores hos dormitanteis iam auocet à somno, quando loquens ipse de ijs quæ inter dormiendum offeruntur, somnum iam uideor audientibus prouocasse. Quam ad rem locus ipse non minus quàm oratio hæc mea adhortari te debet Syncere Acti, quem et Panhormita olim Antonius dum uiueret, et senex nũc hic noster dignũ uterq; uel iudicauere, uel fecere ipsi potius, in quo de omni disciplinarũ genere disputaretur à doctis uiris, q́ non minus libenter, q̃ ad eũ sæpe conueniũt. ACTIVS. Et exuscitasti nos Parde à somno dum de somniorũ natura et causis argute non magis quam uere disseris, & nunc me ad dicendum excitas, de'q; ijs præsertim studijs, quæ (quod pace dictum sit uestra) quãquã fateor esse communia, tamen quod in ijs ita laboraui hactenus, diesq; laboro ac nocteis, sum'q; sedulo laboraturus, si mea ea dixerim, uidear iure ipso dixisse. Est tamen hæc ipsa res maioris otij, curæ'q; uigilantioris, disserere de Poeticæ excellentia, quo utar autem hoc uerbo, senis nostri authoritas efficit, quem finientem sæpius audiui, Poetæ siue officium, siue finem esse, dicere apposite admirationem. Nihil autem nisi excellens admodum parit admirationem. Quod nisi tanta illa moueret Aristotelis

ret Aristotelis

ret Aristotelis me maiestas, uel ausim abdicare à mediocritate Poëtã, quæ tamen in hoc ipso alio quodam modo & requirenda est, & laudanda. Quod'q; admiratio ipsa multis, ac maximis comparatur uirtutibus, quibus explicandis haud est satis idoneum nunc tempus, cum sit res ipsa multiplex, ac laboriosa admodum, multæ'q; animi pensionis, ne non Pardo tamen uel petenti, uel iubenti morem geram, eius attingam uel magis seligam eam partem, quæ tota uersatur in numeris. Etsi numeri sunt ipsi è uerbis, quæ uersum constituunt, quibus inter nostros quidẽ eminere uidetur Virgilius. Numerus autem ipse cum primis, & mouet, & delectat, & admirationem gignit. Eius autem prima illa laus est quod uarietatem parit, cuius natura ipsa uidetur fuisse uel in primis studiosa, quid enim uel inertius, uel, ut ita dixerim, oscitantius, quàm eodem semper sono, ac tenore syllabas, & uerba compangere? Quo uitio è posterioribus Poëtis sunt qui laborauerint, quæ res non minus modo illos reddidit admirabiles, uerum etiam longe minus graues. Siquidem ipsis è numeris, tum collidendis uocalibus, tum substinendo, ac remorando sono, aut contra uocibus syllabis'q; præproperãdis comparatur etiam dicendi quædam tum grauitas, tum ea quæ dignitas suo est nomine. quanquam harum utraq; artibus etiam alijs comparatur. Hæ autem admirationis ipsius præcipuæ quidem sunt nunc comites, nunc uero & duces. Quæ res quoniam exemplo quàm dictione fit manifestior, sumã principio ex ipso Aeneidos uersum illum.

" Multum ille & terris iactatus & alto.

Plenus hic quidẽ est uersus, canorus, grauis, numerosus, quæ laus tota existit de collisione uocalium statim repercussa, ea'q; ingeminata. Quod si dictionem eam subtrahas, quæ est, ille, ac dicas, Multum'q; & terris iactatus & alto, mirum est, quantum de uersus ipsius dignitate, grauitate, magnitudine detrahatur. Quod quidem ipsum fit etiã ob accentus unius detractionẽ. Etenim pars ea, quæ est, multũ'q;, unũ tantum secum adducat accentum, eũ'q; subinclinatũ, at multũ ille duos, quos utiq; collisio ipsa et coniungit simul ambos, et eos efficit tum pleniores, tum etiam magis sonoros. Videamus & alium, qui est,

" Multa quoq; & bello passus, dum conderet urbem.

Qui si dicas, Multa etiam bello passus, tu met intelleges, quanta fiat sonoritatis imminutio & quidam quasi langor, ob soni ipsius exilitatem, quàm dictio illa, quoq;, non solũ exterminat, uerũ ipsum et auget & implet sonum, quem nequaquam etiam implesset, si dixisset, Multa quidẽ et bello passus, nam paulo ante cum dixisset, Multum

ille, in ea quæ statim sequebatur copulatione, non erat à numeri plenitudine corruendum. dixit igitur, Multa quoq; nam tum, etiã, tum, quidem, sonum faciunt satis exilẽ, contra dictio quoq; implet eum. Quo'circa uel exquisitissime exigitur in Poeta literarũ delectus ac selectio. Habet autem uersus tot accentus, quot & uerba, & si particula, q;, &', ue', non faciunt ipsæ per se accentum, sed illum ad se trahunt præcedentibus à syllabis. qua e're à grãmaticis dictæ sunt inclinatiuæ. Quo fit, ut quatuor hæc uerba, Multa quoq; & bello, quatuor etiam accentus habeant. at, Multa etiam bello, treis tantum. Nam præterquam quod sonant tenuiter, uno etiam superantur accentu, hãc ipsam autem soni, ac literæ plenitudinem, haud multo post, quod locus ipse ab illa esset alienus, Virgilius reiecit, solertissimarum aurium solertissimus subblanditor, dicens,

» -Tot adire labores.

Qui si obire dixisset, in asperitatem quasi quandã, & confragosum incidisset sonum, coniungens statim, tot & ob, Cum alibi quod extollenda uox esset, dixerit,

» Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Tenuitas enim antecedentis syllabæ suffragio egere subsequentis uidebatur. Sed omittamus nunc quæ tum ad literas spectant, tum ad syllabas. Quid causæ fuit, quid inquam causæ? cur exponere se Virgilius maledicentiæ grammaticorum uoluerit, cum dicere,

» Fluuiorum Rex Eridanus.- Maluit, quàm Eridanus fluuiorum Rex, quod per uersum licebat, an quod aurium pluris faceret uoluptatem, quàm tetricum literatorum iudicium? Languet enim sic uersus, sordescitq; in ore quodammodo, consyderatis præsertim, & quæ statim præcedunt, & quæ post sequũtur dictionibus. Quo'circa implere illum maluit artificiosa uerborum commutatione. At uide te q̃ concinne inter dictiones quæ ambæ quatuor constarent e' syllabis, interiecit, Rex, quæ est unius, quippe quæ post collocata, et structuræ ineptitudinem argueret, & sonoritatem illã tam suauem auribus ipsis inuideret. Hac igitur e' commutatione uersus ipse redditus est spectabilis, qui aliter ridiculus esset, atq; abijciendus. Claudit sæpenumero Virgilius plureis uersus sustinendo sonum, illumq; remoratur, ne ipsa aut deliqueat sonoritas, aut præcipitetur. at uidete obsecro q̃ apposite, q̃ studiose, præstruit tribus e' dictiõibus uersum, ijsq; disyllabicis, & tanquam prima in acie spondeũ collocat solutũ quidem, ac liberũ, indeq; præterita secunda alterũ, atq; alterũ in tertia & quarta acie. Inter primum autem spondeũ, ac secundũ,

unum quidem ſecunda in acie ſtatuit dactylum, & ait,

» Tantæ molis erat Romanam condere gentem. & alibi,

» Siqua fata ſinant, iam tum tenditq; fouetq;.

At ſi inuertas, Molis erat tantæ, et, Fata ſinant ſiqua, omnis illa uocalitas iam exhalat, quod Virgilius ut prohibeat, ſolutum ab omni cõnexione ſpondeum in principio collocat, ut alio in loco cum ait,

» Curru iungit Aleſus equos. –

Potuiſſet cum dicere, Iungit Aleſus equos curru. Numeris tamen maluit, auribusq; conſulere. Dilabi enim uidetur ſonus, & penè fugere, cum dicit, Iungit Aleſus equos, tali præſertim in loco, apparet enim Elegiacus ſemiuerſus, contra uero conſiſtit uox, et ſibi ipſi præſidio eſt, ne (ut dixi) exhalet, ac diffluat, cum dicitur, Curru iungit Aleſus equos. An ſe ipſum aureſq; ignorauit ſuas Virgilius, cum dixit,

» – Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Cũ enim hac in ſtructura, ſingulisq; indictiõibus diſyllabis primas ad ſyllabas ſtatuatur accentus, quadrato quaſi agmine (quaterni nãq; accentus è quaternis illis diſyllabis dictionibus in aciẽ ſimul prodeũt) quaterni ſimul accentus eodẽ ſpatio cõſonãt. At nihil generoſum habuerit, nihil ſelectum, ſi protuleris,

» Ferrea cum ualida criſpans haſtilia dextra,

Plebeiusq; hic uerſus fuerit, Ille uero Maronianus, Et cũ alibi dixit,

» Contra tela furit. – An non poterat? Tela furit contra, ſed noluit eſſe in accinendo præproperus. Sic cum dixit.

» Turno tempus erit. – &,

» Parcæ fila legunt. –

Poſſem hac in parte excitare è ſomno aliquos, qui dormitare mihi uiſi ſunt in hoc ipſo genere numerorum, à quo quidem conſilio longe ipſe ſum alienus. Sat mihi fuerit, dum Pardo, uobisq; qui hic adeſtis morem gero, explicare paucis quæ ſentiam, quæq; à me ſtudio quodam Virgilianæ diligentiæ fuere obſeruata. Claudit penè iiſdem numeris conſtructionem illam Valerius Catullus.

» Cum lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis

» Auratam optantes Colchis auertere pellem,

» Auſi ſunt uada ſalſa cita decurrere pupi,

» Cærula uerrentes abiegnis æquora palmis.

Sanè q̃ ridiculum uideatur, ac deſpicabile, ſi narrare incipias, Auſi ſunt uada ſalſa cita decurrere puppi Cũ lecti iuuenes. Ac nihilominus Virgilius et ipſe duce tamẽ dactylo (tãta eſt ĩ numero ipſo uis) incipit explicationẽ illã cõiunctis ſtatim quinq; uocibus, iiſq; diſyllabis,

» Larga quidem semper Drance tibi copia fandi.
Etsi alibi incipit à spondeo, ut,
» Salue sancte parens, iterum saluete recepti.

Adeo ubiq; consulendæ sunt aures. An forte quod à conuicio exordiretur, remorari uocem magis, ac magis numeris illis quinquies eodem tenore, & spatio ingruentibus uoluit? Quod mihi quidem satis fit probabile. An non idem ipse duce quidem dactylo à crebritate eadem numerorum cœpit, in enarratione illa tam eximij apparatus?

» Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
» Contemptor diuûm Mezentius, agminaq́; armat.

Quo in loco rem ipsam ut magnam, ut horribilem futuram, quo adæquaret numeris, taliq; principio finis quoq; ut consonaret, intulit, Agminaq́; armat. parum nanq; consumatissimus aurium eius sensibus uisum est, si conclusisset, Agmen & armat, aut Agmina cogens. Itaq; ab ipsis extulit pulmonibus, Agminaq́; armat. Vide igitur q̄d collisio faciat, suo in loco adhibita, quid artificiosus assultus contundentium sese uocalium? Numerus igitur alibi sedatus esse debet, perinde, ut oratio, ut uerba, è q̀bus oratio ipsa constat, quales sunt narrationes eæ, in quibus non exigitur uel magnificentia uerborum, uel pondus sententiarum, sed paratur tantum audientium attentio, ut Rhetores præcipiunt, qualis est illa,

» Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.
» Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.
» Infandum regina iubes renouare dolorem.

Fluūt uerba, labitur oratio, nihil confragosum, nihil cæsum, aut ex arte ut uideatur collisum habens. Quid explicatione illa mundius?

» Sic fatur lacrimans, classiq; immittit habenas,
» Et tandē Euboicis Cumarū allabitur oris. Quid alia illa sedatius?
» At regina graui iam dudum saucia cura
» Vulnus alit uenis, & cæco carpitur igni.

Fluunt itaq; numeri ipsi, quibus nihil profecto lenius, ut nulla uideatur ars adhibita, nulla ipsi appareant cura temperati. At subrigendum supercilium cum fuerit, et magno tonandū ore, numeri ipsi conferti, tanquā conferta in pugna milites esse debent, atq; ubi est opus ut & ipsi quoq; horrorem incutiant, quin & literæ, & syllabæ uastiores conquirendæ sunt, nonnunquam etiam asperiores, aut hiulcæ. Age quæso quid tibi hac ipsa de exaggeratione uidetur?

» Iam Deiphobi dedit ampla ruinam

" Vulcano superante domus, iam proximus ardet
" Vcalegon, Sigæa igni freta lata relucent.
" Exoritur clamorq; uirûm, clangorq; tubarum.

Quæ uerborum, quæ tum literarum, tum syllabarum selectio, clamor, clangor, uirûm, tubarum, qui accentus pene quaterni tam accommodati, Sigæa igni freta lata. Quid ille qui e uestigio sequitur duarum dictionum ab eadem litera incipientium connuocalis sonus?

" Arma amens capio. –

An est Parde quod aures ultra exigât tuæ? Sed adhuc aduerte quæso admirabilem in ijs uerborum conquisitionem, uoces illæ ambæ dissyllabæ, clamor, et clangor à syllabis incipiunt rigidioribus, desinût in horridis, illæ alteræ uirûm, & tubarum, quæ copulationem finiût in syllabis desinunt subobscuris, obscuritas uero omnis horrorem incutit, quod idem poeta seruauit in illa tempestate cum dixit,

" Clamorq; uirûm, stridorq; rudentum.

Quo in uersu singulæ dictiones uersum constituentes, literam habent asperam, qua multiplicata, horror quasi quidam gignitur loco illi debitus, ipsæ quoq; inclinatiuæ particulæ, dum accentus ad se rapiunt, horrori etiam ipsi non parum adiungunt, clamorq; stridorq;. Quâdo autem properare numerus debeat, & quomodo properatio ipsa fiat, docet uersus ille,

" Atq; leuem stipulam crepitantibus urere flammis.

Cupiens enim poeta artificiosissimus flammarum, concremationisq; illius celeritatem numeris suis reddere, uersum e dactylis struxit, coegitq; dictiones celeritati perquam accommodatas. Quid? quod ut strepitum quoq; accensarum referret stipularum, selegit etiam syllabas interstrepenteis, quales sunt primæ stipulæ, & crepitantis, nulla arcessita collisione, aut adhibita inclinante particula. Rursus qua uia sistendum sit, & tanq̃ standum in acie, habent rei huius instar in sequentes uersus.

" Stabant orantes primi transmittere cursum. &,
" Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt. &,
" Extemplo Aeneæ soluuntur frigore membra.

Qua etiam ratione seruanda sit mediocritas, collocatio quidem ipsa dactylorum mistim, alternisq; cum spondeis monstrare potest, qualis scilicet est uersuum, qui sequuntur.

" Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento.
" Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.
" Talia perstabat lacrimans, fixusq; manebat.

» Illa solo fixos oculos auersa tenebat.
» Talia flammato secum Dea corde uolutans.

Quo tamen in uersu quasi erigere supercilium iam pararet, treis illas disyllabicas dictiones in acie quasi media collocauit, omnis igitur illa siue dignitas, siue grauitas, magnitudóq; numerorum à numerositate ipsa gignitur accentuum, de dictionum collocatione, syllabarumq; delectu profecta. Quippe cum syllabæ, dictionesq; accentum, accentus uero numerũ, numerus autẽ et plenum, et generosum, et admiratione dignum uersum statuat. Quãquam autem ne dum Cicero ipse eloquentiæ pater accentum uocat, sed etiam literatores uniuersi, quorum quidem proprium est loqui de literis, syllabis, dictionibus, atq; earũ qualitatibus. utimur tamen hoc nomine eo libentius, q͛d canere dicuntur Poetæ, & Virgilius exordiens uerbo est hoc auspicatus, Arma uirumq; cano. Licet uidere in uersibus, quos paulo post afferam, quandam quasi fluctuationem, nunc sistentium, nunc profluẽtium dictionum, qua è re necesse est, ut accentus quoq; ipsi incertitudine, ac uarietate fluctuent sua, inuicemq; alternentur.

» Quis globus ó ciues caligine uoluitur atra?
» Ferte citi ferrum, date tela, & scandite muros.
» Hostis adest, eia. ingenti clamore per omneis
» Condunt se Teucri portas, & mœnia complent. Alibi,
» Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
» Tundit humum expirans, infractáq; tela cruentat.
» Atq; idem fugientem haud est dignatus Orodem
» Sternere, nec iacta, cæcum dare cuspide uulnus.
» Obuius aduersóq; occurrit, seq; uiro uir,
» Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
» Tum super abiectum posito pede nixus, & hasta,
» Pars belli haud temnenda uiris, iacet altus Orodes.
» Conclamant socij lætum Pæana secuti,
» Ille autem expirans non me quicunq; es inulto
» Victor, nec longum lætabere, te quoq; fata
» Prospectant paria, atq; eadem mox arua tenebis,
» Ad quæ surridens mista Mezentius ira,
» Nunc morere. ast de me diuûm pater atq; hominum Rex, Viderit.

Quæ igitur uocum uarietas. accentuumq; fluctuatio his sit in uersibus ipsi uidetis. Dicentem audiui sæpius senem hunc nostrum, quoties locus incideret aliquis, in quo sordescere posset oratio, numeriq; relanguescere, sustentandum illum esse crebritate accentuum, nó

minus quàm uerborũ delectu, quibus spondei quidem permuniti essent, eosq; ueluti grauem armaturam primos statui in acie oportere, inde dactylos summitti, qui tristitiam illã exhilararent. Quod ipse secutus esset in toto illo loco, qui est de Pristice.

» Ipsi de rate turrigera, aut è puppibus altis
» Ferratis instant hastis, iaciuntq; tridentes
» Pinnigeros, imo referunt sese icta profundo. Nec multo post,
» Agmina perturbat, uideasq; indagine in una
» Vrgeri armentum uasti æquoris. ille trucidat
» Ense ferox, hic sublata secat ossa securi,
» Aut unco trahit ad litus, prædaq; superbus
» Ingentis media tauros resupinat arena. Post etiam subdit,
» Hic latis strata in tabulis, suffixa'ue ad uncos
» Ferratos, duplici horrescunt pendentia dorso,
» Et squamosa rigent duris ad tergora pinnis,
» Vrbs ipsa armentum ad Nerei, & spolia effera currit,
» Ac montana ruit longe ad spectacula pubes,

Extulit idem hic exilem sane rem, solis quidem numeris, delectu tamen uerborũ adhibito, conquisitisq; rebus aliquanto remotioribus, in primisq; literarũ sonis, è qbus numeros et graueis, et plenos elicuit,

» Ast Tingin, Bochiq; domos, habitataq; Mauris
» Tecta, deosq; humeris, cœlumq; Atlanta ferentem,
» Insignisq; auro & pomis radiantibus hortos
» Hesperidum, ac deserta siti Getula, leonumq;
» Arua fame, Mars armipotens, & Scorpius ardens
» Inspectant læti cœlo, & sua iura tuentur,
» Hic chelis, ille ense potens.

Quid autem exilius? quàm quod dicturus erat, Getuliam ac Tingitanam subiectas esse Scorpio? Afferam & alium locum huius simile, cum dicturus esset Africam, ac Numidiã Cancro esse subiectã,

» Ac Cancer, noctisq; decus Latonia uirgo
» Lotophagum sedes tenet, & quos Bragada saltus,
» Infidusq; secat Cyniphs, & punica late
» Litora, quaq; uagus se soluit in æquora Triton
» Et formidatas olim Carthaginis arces,
» Ac latebras Masinissa tuas, cauaq; antra leonum.

Scimus etiam eundem ipsum fuisse solicitum eo de uersu, qui est in Andromeda.

» Virginibus præferre maris sese ausa, suumq;

» Ostentans decus.- Sic enim initio scripserat. Verum quod tristem iudicaret ac lugubrem materiam, tarditate potius numerorum, quàm festiuitate prosequēdam esse ab exordio præsertim ipso, commutatis dictionibus remoratus est celeritatem, Etenim, ut Aristoteles etiam asseuerat, celeritas acumen soni gignit, tarditas grauitatem. Itaq; subtracta inde dictione quadrisyllaba, ac commutatis locis, collocauit ibi dictiones disyllabas quidem duas, adiecitq; statim monosyllabam, ac dixit,

» Ausa maris se uirginibus præferre, suumq;

» Ostentans decus, æquoreas armare sorores. Quo factum est, ut Tenor ipse primi pedis, qui uno constabat ex accentu, ac fluitabat, altero statim adiecto substentaretur, atq; ingrauesceret. Siquidē è Virginibus, unus tantum consonabat accentus, At Ausa, cum unum ex sese accentum efflet & quidem circunflexū, Maris alterū, eumq; acutum, efficitur ut sonus ipse dactylicus duplicetur, Qua è re tenor ipse & sistitur, & ingrauescit. Idem hoc seruauit alio in uersu, q primo fuerat,

» Et de marmoreis guttas stillare colūnis.

Cumq; iudicaret eo in loco opus esse soni remoratione, usus est eadē commutatione dictionum,

» Et guttas de marmoreis stillare columnis. Numerus enim ille è Marmoreis, quadrisyllaba dictione constitutus quod esset ipse festinantior, reddebatur aliquanto fluentior & penè lubricus, at terni illi accentus tribus è dictionibus conflati, confertimq; assonantes, alter alteri, quasi manum de proximo sibi porrigunt, aciemq; ipsam sustinent. Attulimus hoc præsertim in loco è senis nostri libris exempla, quod consilia eius ex eodem ipso cognouimus. Nam ueterum poëtarum, Virgilijq; ipsius suspicari quidem illa tantum possumus. Inest et suū quoq; numeris decorū, ut cum uel aspera, uel suauis, uel miserabilis, uel iucunda res, uel grauis, uel contra leuis uersatur in manibus, uel suis alijs affectibus mista, et tēperata. Vide igitur qbus Virgilius usus est numeris in prognosticatione illa futuræ tēpestatis,

» Heu qui nam tanti cinxerunt æthera nimbi.

Ad metum, ad dolorem, ad ducis curam exprimendam coëgit tres simul monosyllabas dictiones, summisit deinde disyllabam post alteram, atq; alteram trisyllabam, Iunxitq; quatuor simul spondeos. Quid hac aut uerborum conquisitione diligentius, aut animi conquestione grauius? Nec me quorundam authoritas mouerit asseuerantiū à Virgilio scriptum Heu qa, non, qui, cum nos iudicemus, neq; qa,

neq; quid, sed qui fuisse à Virgilio scriptum. nam & litera. D. pleniusculum nescio quid sonat, quod hic ipse numerus nunc renuit, & quia, breuitate plusculum festinat sua, cum uox ipsa uideatur in dolore sistenda. Sed de hoc sit suum cuiusq; iudicium, nostra quidem hæc est opinio. Decorandos igitur ad numeros tum literæ, tum syllabæ, nedum uerba integra maximum habent pondus, et quod nõ multo ante diximus in illo uersu.

» Insequitur clamorq; uirûm, stridorq; rudentum.

Nulla ex illis dictionibus asperiore caret litera. Nãq; aliarum principium, aliarum finis, aliarum & principium, & pausa trahit secum asperitatem literæ rigidioris. Quid quod cum in tempestate obscuritas terrorem augeat, uirûm, & rudentum ultimæ sonant etiã nescio quid subobscurum. Animpendite quæso uersus illius numeros, qui est,

» Monstrarat caput acris equi. sic nam fore bello
» Egregiam, & facilem uictu per secula gentem.

Qui præcedunt tres uersus, & huius ipsius dimidium tribus clauduntur accentibus, ijsq; disyllabicis. Ne igitur à grauitate descisceret sua, conflauit binis è monosyllabis, totidemq; è disyllabis dictionibus accentus quatuor, quodq; satis est rarum, octo uersum illum locupletauit accentibus, quo fit ut tardius pronuntietur, tarditas autẽ, ut diximus, grauioris est soni causa, ꝑinde, ut acutioris cele.. ..us. Acutũ autem et graue in ijs quæ auditus sunt, habentur à Phys.cis opposita. Qua tamen in re, quo modum retineret, copulauit statim binos dactylos, qui tarditatem illam moderarentur. Sunt autem uersus hi.

» Lucus in urbe fuit media lætissimus umbra.
» Quo primum iactati undis, & turbine Pœni
» Effodere loco signum, quod regia Iuno
» Monstrarat caput acris equi. sic nam fore bello
» Egregiam, & facilem uictu per secula gentem.

In tertio quoq; loco digne idem fit uocalium concursus. ut,

» Ni faciat maria, ac terras, cœlumq; profundum.

ut item,

» Contigit oppetere. o' Danaum fortissime gentis.

& ut,

» Erramus uento huc & uastis fluctibus acti.

Magnam utiq; grauitatis partem amiserit, si mutaueris,

» Erramus uento & uastis huc fluctibus acti.

Itaq; hoc quidem modo erit hiatus ipse copulandi tantum necessitate factus, ille uero implendi, ac sistendi sonoris gratia, ab arteq; profectus. At in quarto & quinto pede quoties fit, atq; in sexto & ad

pausam, & uersus ipse suo cum numero mirifice assurgit, quadam ēt cum magnitudine, & rara quædam inde comparatur numeris ipsis dignitas, quod uersus illi declarant.

» Franguntur remi, tum prora auertit. Item,
» Et uera incessu patuit dea. ille ubi matrem. &,
» Fundamenta locant alij, immanisq; columnas
» Rupibus excidunt, scænis decora alta futuris. &,
» Troes te miseri, uentis maria omnia uecti. &,
» Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos. &,
» Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector, ubi ingens. &,
» Contemptor diuûm Mezentius, agminaq; armat. Item,
» Aerea cui gradibus surgebant limina, nexæq; Aere trabes.–
» Et magnos membrorum artus, magna ora lacertosq;
» Exuit.– Item,
» Iamq; iter emensi turres ac tecta Latinorum
» Ardua cernebant.– &,
» Inseritur uero nucis è fœtu arbutus horrida,
» Et steriles platani malos gessere ualentis.

Affert autem raritas hæc hiandi cum insequenti uersu non sine aurium uoluptate, etiam dignitatem. nam & nouitas delectat ipsa per se, & assultus ille hinc uersum inchoantis, illinc terminantis uocalis suam quoq; uocalitatem auget, qui fit præsertim absq; detractione, ut in illis,

» –Classemq; sub ipsa
» Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ. &,
» Talem diues arat Capua, & uicina Vesæuo
» Ora iugo.–

In horum autem uersuum commemoratione nō possum non ridere opinionem uel asseuerationem potius eorum, qui dicunt fuisse à Virgilio scriptum, Vicina Vesæuo Nola iugo, mutatum uero post ob denegatam sitienti aquam. Neq; enim Virgilius qui Nolanum planè agrum sterilem nosset, minimeq; triticum alere, sed milij solius, ac secalæ feracem, inter fertiles eum numerasset, Campanoq; coniunxisset, quin uicinam orā nominans, campos innuit Acerranos, qui subipsum iacent Vesæuum, oracsum uersus, suntq; fertilissimi. Suos igitur numeros suorumq; concentuum suauitatem sequebatur cum scripsit, Vicina Vesæuo Ora iugo. Collisio igitur uocalium quam & Contusionem, et Concursum à re ipsa uocare possumus fieri singulis in pedibus, eorumq; concisionibus potest, uocamus autem concisiones, ipsas pedum inter se complicationes, Græce nomen ha=

bent à numero syllabarum Tritimemeris, Heptimemeris, Enneamemeris, eáq; duobus fit modis, cum aut eædem concurrunt uocales, aut cum diuersæ ubi eædem sese collidunt, extruditurq́; è uersu altera, ea tum Ademptio, tum Extrusio recte uocatur, non minus fortasse proprie Explosio. Ipsum autem Concursum Cicero Hiatum uocat, & uocales ipsas dicit hiare, At cum permanent, neq; trudūtur loco, Boatum sunt è literatoribus qui uocauerint, rectius utiq; Complosio uocabitur, quod è resultu geminetur sonus, ut in illo.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossan.

Ipse uero resultus lōge minor existit, cum è diuersis fit uocalibus. ut,

Ionio in magno.-

Atq; ego quidem libere uobiscum ut loquar, præterquam quod Græcam habet imitationem, affertq́; uarietatē, quæ per seipsa delectat, & naturalis est, non uideo, cur à Latinis Complosio magnopere sit probanda, cum uix delectet nisi in ijs quæ à Græcis sunt accepta. qualis ille uersus.

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ. &,

Dardanio Anchisa.- &,

In Actæo Aracyntho. Raritas tamen ipsa & quam dixi uarietas potest reddere illam & uenustam & suauem, suo tamen accommodatoq́; in loco, ac uerbis idoneis. Cum autem concursus fuerit in primo pede, ea è re numerus ipse fit solidior, cum quadam etiā iucunditate, præsertim ubi eædem concurrunt uocales. ut,

Ille ego qui quondam,- &,

Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu. &,

Illi indignantes magno cum murmure montis.

At cum diuersæ uocales hiant, numerus solidescit ipse quidem, non eadem tamen cum uoluptate audientium. ut,

Credo equidem nec uana fides.- &,

Cuncta equidem tibi rex.-

Solidiorem autem, stabilioremq́; numerum inde fieri manifesto apparebit, si dixeris, Cuncta quidē tibi rex. Qua è re numerus ipse statim languescet. Interdum collisione ex ipsa uel extruditur, uel exciditur potius integra syllaba, uel eius bona pars, idest uocalis cum consonante litera M. ut,

Postquam introgressi.- &,

Illum expirantem transfixo pectore. Item,

Illum & labentem Teucri.

Ex hoc si detraxeris. Et. déq; altero. Ex. dixerisq́;, Illum labentem

Teucri. Illum spirantem transfixo pectore, curtum nescio quid au-
res statim offenderit. Hoc autem ideo dicimus, quod non ubiq; colli-
siones ipsæ fiunt necessitate carminis, sed arte potius, atq; aurium ob
sequio, idest numerorum gratia. Cur autem syllabæ ex uocali &
M'. compactæ deturbentur ubiq; nunc è uersu (nam priscis illis secu-
lis non semper excludi esse solitum) uersus ille Ennianus docet,

» Et milia militum octo. –

Videtur causæ illud esse, quod propter M'. terminalem, obtusum nescio
quid, ac subobscurum sonent, quod aures uix patiantur in fine uo-
cum. Itaq; nec mirum est si è dictione, Sed, quæ olim fuit Sedum, de
truncatio facta est, quando populi quidam finalem M'. compluribus
è dictionibus sustulere, Quod ipse aliquot in monimentis summæ
uetustatis animaduerti, ut Beneuenti in lapide, in quo scriptum est.
INFELIX FATV, PRIOR DEBVI MORI MATER, Et
Telesiæ, MATER MISERA HOC MONVMENTV EX-
TRVXIT OLYMPIAS AMENS, In quibus & fatum & mo
nimentum, sunt absq; M'. referam uerba epigrammatis. APPOL
LONIA QVAE VOCITABAR LAPIDE HOC INCLV
SA QVIESCO, VNVM SORTITA MARITVM, SERVA
VI CASTA PVDOREM, MATER MISERA HOC MO=
NVMENTV EXTRVXIT OLYMPIAS AMENS. An non
prisci illi fecerunt gelu, & cornu, quæ prius erant gelum & cornu?
quorum priori Lucretius non semel utitur. Iidem literam S'. frequē
tissime explodebant è uersu, ut idem Lucretius testis est. Græci ter-
minationibus ijs carent, quæ in M'. desinunt, Latinis autem eæ sunt
familiarissimæ, & ut aduerti etiam Aethiopibus. Sed redeamus un
de digressi sumus, Eiusmodi quoq; literarum hiatus fiunt in secun-
do pede sustentandi tenoris, atq; implendi numeri gratia, etiā cum
dignitate, nullam tamen ob necessitatem, ut in illo.

» Ductoresq; ipsos primum capita alta ferentis.

Potuerat enim dicere, Ductores ipsos, & in illo,

» Præterea, aut supplex aris imponat honorem? Videbitur au
tem tenor ille flaccescere, si dixeris, Præterea, supplex'ue aris impo
nat honorem. Cū in illa collocatione non solum hiet. A'. uerū alte
rū. A'. qđ est primū elementum in uoce, aris, de proximo loco hiatum
ipsum assonādo adiuuet. In tertio quoq; maiore fit cū uocalitate, ut,

» Ni faciat, maria ac terras cœlumq; profundum. Sordescet pla-
nè numerus, si dixeris,

» Ni faciat, pelagus terras cœlumq; profundum.

At in quarto & quinto pede quoties fit, in sexto item, & uersus ipse mirifice assurgit, quædam etiam cum magnitudine, & rara quædã inde comparatur numeris ipsis dignitas, quod declarant Virgiliani illi,

» Hæc ait, & dicto citius tumida æquora placat.
» Fundamenta locant alij, immanesq́; columnas
» Rupibus excidunt, scænis decora alta futuris.
» Et uera incessu patuit dea, ille ubi matrem
» Agnouit, tali fugientem est uoce secutus.
» Troes te miseri uentis maria omnia uecti.
» Omnibus exaustos iam casibus omnium egenos.
» Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector, ubi ingens.

Hiatus etiam ille atq; complosio quæ fit cum in sequenti uersu, ut dictum est, raritate sua affert etiam cum aurium uoluptate dignitatem. Nam & nouitas quasi repente edita delectat per se, & assultus ille hinc uersum inchoantis, illinc terminantis uocalis suam quoq; uocalitatem accumulat, ut,

» -It clamor ad alta, Atria.- &,
» Expectata dies aderat, nonamq́; serena
» Auroram Phaëtontis equi iam luce uehebant. &,
» Famaq́; finitimos, & clari nomen Acestæ Excierat.- &
» In medio sacri tripodes, uiridesq́; coronæ,
» Et palmæ pretium uictoribus.- &,
» -Manifesto in lumine uidi, Intrantem muros.-

Verum ego longior forte & ambitiosior explicandis his fui, feci hoc tamen eo libentius, quod scriptum de his adhuc sciam à nemine. Quanquam & multa quoq; à me præterita sunt, quæ post alij & inquirent ipsi acutius, & apposite magis explicabunt. Sat etiam scio, esse è uobis longe quam ego sum rerũ harũ qui sint studiosiores. Itaq; quod hic conuenerimus te præsertim Parde authore, relinquendus est cuiq; suus etiam dicendi locus. PAR. Mihi quidem Syncere Acti si inficias irem, satis à te non esse factum, inique fecerim. Satisfecisti profecto, nec minus docte, quàm copiose. Sunt uero etiam qui uultu iam ipso præseferant allaturos aliquid, quod se, quod hoc ipso conuentu dignum iudicent, quodq́; locus quidem ipse uel exigit sedentibus nobis, uel etiam per se postulat. Atq;, ut risu ex ipso præsentio, Summontius hic noster egregium aliquid meditatus iam exurgit, uerecundiæq; est tuæ, dare locum dicenti. SVMMONTIVS. Ego uero Parde arbitror Syncerum nostrum multa nos celare uelle, quo

post, ut mercatores consueuere, longe pluris uendat, quod in arca-
sepositum est, uiliori merce iam diuendita. Explicasti uel enucleasti
potius nobis Acti, & quidem non iucunde minus quàm memori-
ter Hiatus et Explosiones, quiq; inde gignantur numeri, quotam autẽ
partem Poeticæ? Virglianæq; potissimum numerositatis? Resera igi
tur arcas, mercemq; nobis selectiorem explica, qđ te per manes ipsos
Virgilij obtestatus oro, perq; locum in quo ille iacuit, quem ipse &
inuisis sæpissime, & reuerendissime ueneraris. ACTIVS. Per
calluisti Petre Summonti, qua me esses arte eam ad rem tracturus,
quæ fuerit ab hominibus nostris hactenus uel omnino despecta, uel
parum certe animaduersa, aut cognita, dũ mercatorum mecum exẽ
plo uteris, atq; consuetudine. Scis enim nobilitas hæc nostra omnis
ab mercaturæ ipsius nomine quantopere abhorreat. Ne tu me igitur
aut mercatorem existimes, aut auarum, explicabo consilia tibi mea,
quæq; indagandis Poeticis numeris à me fuere diligẽtius obseruata.
non ut arbitrer me tamen assecutum, quod & ipse uoluissem, & uos
forte audire nunc exspectatis. Prosequar itaq; susceptam de nume-
ris ipsis partem, quodq; per Virgilij tantum me es manes obtestatus,
Virgilij ferè unius exemplis agam, quando unus hic de nostris Poe
ticarum uirtutum instar est omnium, ac maxime numerorum. Omni
no Poeticus numerus carminis ipsius structuram sequitur, structura
uero ipsa constat è dictionibus, dictiones autem accentum constituunt,
singulæ singulos. ipsi quoq; accentus dictionum, ac syllabarum se-
quuntur tempora, quibus & lenitas adiuncta est, & lenitati con-
traria asperitas, aliæ item qualitates pro syllabarum natura, litera
rumq; è quibus sunt dictiones constitutæ. Vna quæq; autem dictio
aut ex una tantum, aut è duabus, aut etiam è pluribus constituitur
syllabis, sigillatim tamen omnes unico duntaxat à Grammati-
cis suoq; signandæ dicuntur accentu. Sunt uero accentus ipsi duo, sibi
è fronte aduersi, alter Acutus, Grauis alter. quodq; in hac controuer
sia liceat medium quoq; aliquod constituere, q medius est accentus, ex
hisq; cõflatur duobus, et dictus est, et habitus moderatus, nomine alio
Circunflexus, quod nomen ductum est à propria eius peculiariq; in
scribendo nota. Tempora igitur syllabarum sint cum tantum duo,
breue, ac productum. ex hoc id existit atq; efficitur, una quæq; ut syl
laba aut breuis sit, aut producta, nonnullæ tamen cómunitate quasi
quadam præditæ et produci possunt, et spatio enuntiari breuiori. His
igitur in hunc modũ explicatis, ad usum numerorũ uenio. qua in re
nihil tam aut exigitur, aut spectatur, quàm uarietas, cũ enim omni

studio fugiẽda sit satietas, ea ne sequatur, uarietas ipsa præstabit. Cõplicationes autẽ sententiarũ et nexus illi qui tum sẽtẽtias ipsas, tum sententiarũ partes ac mẽbra cõnectunt, et in sequẽtibus uersibus per gradus quasi quosdã ductas eas claudũt, ut nũc alterũ, nũc tertium uersum catena quasi quadã uinciãt, assidua è cõtinuatione uiciũ satietatis præcipue afferũt, quæ ut raræ, ac suis quibusdã in locis terminatæ demulcent aures, sic è contrario continuatæ ubi fuerint, satietate afficiunt. Ponam uersus aliquot è Proserpina Claudiani, Poëtæ tum summi quidẽ studij, tum magni etiã exercitatiq́; ingenij, q̄ sunt.

» Dux herebi quondam tumidas exarsit in iras
» Prælia moturus superis, quod solus egeret
» Connubio, sterilesq́; diu consumeret annos,
» Impatiens nescire torum, nullasq́; mariti
» Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.
» Iam quæcunq; latent ferali monstra baratro,
» In turmas aciemq́; ruunt, contraq́; Tonantem
» Coniurant Furiæ, crinitaq́; sontibus hydris
» Thisiphone, quatiens infausto lumine pinum,
» Armatos ad castra mouet pallentia manes
» Pene reluctantes iterum pugnantia rebus
» Rupissent elementa fidem, penitusq́; reuulso
» Carcere, laxatis pubes Titania uinclis
» Vidisset cœleste iubar, rursusq́; cruentus
» Aegæon positis arcto de corpore nodis
» Obuia centeno uibrasset fulmina motu.
» Sed Parcæ uetuere minas, orbiq́; timentes
» Ante pedes soliumq́; ducis fudere seueram
» Canitiem, genibusq́; suas, cum supplice fletu
» Admouere manus, quarum sub iure tenentur
» Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,
» Longaq́; ferratis euoluunt secula pensis.

His autẽ uersibus auspicatus est singularis Poeta enarrationẽ sui carminis. delectat autem carmen ipsum, nã et spatiatur libere, et cõstat sibi ipsi, quanquã in uerbis præsefert nimiũ fortasse studium eorum conquirendorum. Exemplum tamen Virgilij si iusta ponatur, admonebit nimiæ nos continuationis nexuũ ipsorũ, de quibus nunc loquimur.

» Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
» Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.
» Cum Iuno æternum seruans sub pectore uulnus

» Hæc ſecum, me ne incœpto deſiſtere uictam,
» Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?
» Quippe uetor fatis? Pallas ne exurere claſſem
» Argiuum, atq; ipſos potuit ſubmergere ponto,
» Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.
» Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
» Diſiecit'q; rates, euertit'q; æquora uentis,
» Illum expirantem transfixo pectore flammas
» Turbine corripuit, ſcopulo'q; infixit acuto.
» Aſt ego quæ diũum incedo regina, Iouis'q;
» Et ſoror, & coniux una cum gente tot annos
» Bella gero et quiſquam numen Iunonis adoret
» Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?
» Talia flammato ſecum dea corde uolutans
» Nimborum in patriam, loca fœta furentibus auſtris
» Aeoliam uenit. hic uaſto rex Aeolus antro
» Luctanteis uentos, tempeſtates'q; ſonoras
» Imperio premit, ac uinclis & carcere frenat. Verſus ſunt ferè totidem, Locus ipſe ſatis ſimilis, hic præſefert ſummum numerorum, ac uarietatis ſtudium. Ille unius connexionis, uerſuum'q; complicandorum, ut præterquam q̃d à dictione monoſyllaba cœpit, quæ eſt. Dux, ut Virgilij. Vix. nullum eius ſit exemplum ſecutus. Ipſius autem complicationis qui ſunt nimio plus ſtudioſi, eorum quæ admirationem præcipue pariunt, ut obliuiſcantur neceſſe eſt. Excurrit ille tanquam populabundus, nec ſiſtens aliquando pedem, nec ut regionem circunſpectãs, ſui ipſius rationem habet. At Maro ſeruandæ grauitati intentus, ſecundum ſtatim uerſum referſit uocibus duarum, ſyllabarum, è quibus octo accentus extudit, & ad quintum pedem è ſyllabis, re & ru, inuicem ſibi alludentibus penè expreſſit remorum ſtrepitum quæ annominatio quaſi quædam mirifice blanditur auribus. Ad hæc ſingulis penè uerſibus ſenſus ſuos & grauiter, & magnifice claudit, ſiſtit'q; pro tempore, ut cum ait.
» Hæc ſecum. - & cum,
» Quippe uetor fatis. -

Ac ne uarietatis appareret immemor, poſt uerſus aliquot tam appoſite structos, tam examuſſim quadratos, inſonuit uerſum longe illorum diſſimilem.
» Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

Quid, quod ubi connexionibus utitur, ſtat, ut,

» Aeoliam uenit. – &,
» Circum claustra fremunt. –
Ille uero praeteruolat, suae tantum excursioni deditus, nullo hiatu uel ad efferendam uocem, uel ad sistendum tenorem usus. At Virgilius, ad stabiliendum etiam numerum, quaternos ad spondeos bis diuerti tur, in altero uersu explosionem adhibens.
» Illum expirantem transfixo pectore flammas. In altero, hiatu nullo usus.
» Luctantes uentos, tempestatesq; sonoras. Quid cum summisit,
» Illi indignantes magno cum murmure. &,
» Ni faciat maria ac terras. –
Quantum utroq; hiatu addidit numerorum grauitati? Quid quod disyllabarum dictionum memor, illarumq; numerositatis quater illos arcessiuit in auxilium, nunc senos, ut,
» Vela dabant laeti, & spumas salis aere ruebant. Nunc quinos,
» Circum claustra fremunt. celsa sedet Aeolus. Alibi quaternos, ut,
» Quippe uetor fatis Pallas ne. – Alibi ternos, ut
» Secum Dea corde. – In delectu autem uerborum ac selectione Virgilius iudicari potest & studiosus, & prudens. At ille rancidum nescio quid uidetur sapere. Verũ de delectu, ac structura dicere ocij est maioris, operaeq; magis elucubratae. Varietas igitur affert suum numeris ornatum, ac decorem, eaq; paratur multis ac diuersis modis, de quibus in uniuersum praecipi hoc à me potest, ne scilicet iisdẽ in numeris sit diutius consistendum, quo satietas prohibeatur, ne ue aures longa de continuatione fatigentur, quo uitio non pauci laborant. Particulatim autem attingam complura, nam omnia, infinitum penè id esset, nec necessariũ iudico, quãdo uia ipsa è paucis commostratis satis patefiet, uobis praesertim, quibus studia haec sunt familiarissima. Vnisyllabae uoces, & inchoandis & finiendis uersibus uarietatem afferunt numerorum, ualideq; illos sistunt, si à spondeis foueãtur, auspicando praesertim uersu. stabiliunt enim sonorem, qui unus est in unius syllabae uoce, quod Virgilius frequentissime seruauit in principijs enarrationum praecipue, ut,
» Vrbs antiqua fuit. –
» Est in conspectu longo locus. –
» Rex arua latinus. –
» Est specus ingens. –
» Est curuo anfractu uallis. –
» Vt belli signum. –

» Sic fatur lacrimans-
» At regina graui-
Non quod non dactylus recte, & commode iusta collocetur, ut,
» Tu quoq; literibus nostris- &,
» Mos erat Hesperio in Latio. - &,
» Nox erat, & somnus-
Verum aures si consulueris stabilimentum illud soni ab ipso initio tanquã à fundamento firmiter iacto, nescio quid amplius plenitudine delectat sua. In fine quoq; eadem collocatio, dum tamen sit rara, delectat etiam uarietate ipsa, præponendus tamen est dactylus, qui eo in loco idem habet instar ad tarditatem temperandam, q̃ ad moderandam in illo celeritatem spondeus ibi tamen sequitur, hic præit. ut,
» -Præruptus aquæ mons, &,
» -Fractæ uires, auersa Deæ mens. &,
» -Ruit oceano nox, &,
» -Diuûm pater atq; hominum Rex.
Sed nec Lucretius est, ueritus spondeum præmittere, cum dixit,
» -Et Ingrati genitoribus inuenti sunt.
Eædem quoq; monosyllabæ binæ simul collocatæ maxime post dactylicam aliquam properationem numerosæ sunt in medio, sistunt enim tenorem, quem etiam uarietate condiunt. ut in illo,
» Monstrarat caput acris equi, sic nam fore bello. &,
» Præcipue cum iam hic trabibus contextus acernis. &,
» Visa uiri, nox cum terras obscura teneret. Item.
» Quæ relligio, aut quæ machina belli? &,
» Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?
In principio similem in modum, ueluti ab ipso fundamanto tenorem stabiliunt. ut,
» Quam tu urbem soror hanc cernes. &,
» Nos te Dardania incensa. &,
» Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus.
In fine quoq; id præstant, ut dactylicam aliquam properationem contineant, ac maturent pausam. ut,
» Dardanium'q; ducem, Tyria Carthagne qui nunc. &,
» -Manibus'q; meis Mezentius hic est. &,
» Quam pro me curam geris, hanc pater optime pro me
» Deponas.-
Atq; hic quidem uersus & in principio. & in fine, atq; in ipso medio monosyllabis instructus est, magna cum dignitate. Illo uero quid

blandius? cumq; sit uersus maxime artificiosus, sponte tamen sua maxime etiam fusus apparet.
» I' decus, i nostrum melioribus utere fatis.
Duarum autem syllabarum uocibus suus ubiq; decor inest, quæ ubi binatim fuerint, aut ternatim collocatæ, aut forte quaternatim, quinatim'ue, siue etiam senatim, siue inchoandis, siue finiendis uersibus, siue intertexendis, mirũ est quantopere delectent, repellunt enim satietatem illam auribus tam improbe inimicam. ut,
» Monstra Deum refero.- &,
» Thure calent aræ.- &
» Proijce tela manu sanguis meus.- &,
» Et campos ubi Troia fuit, feror exul in altum. &,
» Ipsa canas oro, finem dedit ore loquendi. &,
» Constituam ante aras uoti reus, extaq; salsos. &,
» Procubuit subito, & cœlum tonat omne fragore. &,
» Quid tum sola fuga nautas comitabor.-
Quid quod historici quoq; uoces huiuscemodi perlibenter uidentur fuisse cõplexi, ut Sallustius. Arma, tela, equi, uiri, hostes atq; ciues permisti. Trium syllabarum uerba ternatim collocata uariant etiam numeros, quadam cum moderatione. ut,
» -Taciti uentura uidebant. &,
» -Croceo uelamen acantho.
Qua in collocatione & textu si adhibeatur, aut hiatus uocalium, aut explosio, non parum sibi grauitatis numerus ipse adiunget, quadã etiam cum generositate. ut,
» -Si omnis uno ordine habetis Achiuos. &,
» -Oculis Phrygia agmina circumspexit. Item &,
» -Troiæ supremum audire laborem.
Inprimus quoq; carminis partibus, adiuuat textura hæc numerositatem. ut,
» Mutemus clypeos, danaumq; insignia.-
Quod si collisio inciderit, tenorem utiq; uersus efferet. ut,
» Vndiq; collecti inuadunt.- &,
Gemini Atridæ, Dolopumq; exercitus. Huiusmodi autem dictiones binæ ubi collocabũtur, nõ est cur de his magna habeatur ratio, præsertim in principio, at ubi quaternæ, numerũ bene implẽt. ut,
» Lubrica conuoluit sublato pectore terga. &,
» Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Magnam uero generositatem præsefert numerus, quoties primas, me

dias, & ultimas uersus partes terna possederint trisyllaba. ut,
» Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.
Quem & contextum & numerum nunquam meo iudicio satis digne laudare quisquam poterit. Licet etiam cum dignitate & auriũ gratia implere uersum quinq; etiam trisyllabis. ut,
» Talia narrabat relegens errata retrorsum
» Littora Achæmenides.—
Tot uero trisyllaborum continuationi magno fiat cum delectu, uersum reddet ignobilem, Virgilius tamen ne parte ex aliqua uarietati deesset, protulit hunc,
» Occurrit, ueterem Anchisen agnouit amicum.
In quo præter uarietatis studium, ac trium dictionum ab uocali. A. incipientium assonantiam, nesciam quid insit quod iure laudetur. Inerit autem quod laudetur etiam uehementer, si post duo trisyllaba tetrasyllabum collocabitur. ut,
» Currite ducentes subtegmina currite fusi.
Nec uero is sum, qui negare ausim huiusmodi multa faciendis uersibus sponte sua, ac pene fortuito occurrere, multo etiam plura ex habitu, exercitationeq;. Verum tempus ipsum, & artifex rerum harum est omniũ & iudex. Itaq; nec temere ab Horatio præcipitur nonum premi in annum opus debere. Quid enim numero hoc uel iucundius, uel grauius?
» An Deus immensi uenias maris, & tua nautæ.
Qui cum sit constitutus primum è monosyllabo, inde disyllabo. deinde duobus è trisyllabis, post sequatur disyllabum ibiq; soluatur, deinceps exurgat rursus monosyllabum duobus cum disyllabis, fieri quidem potest uti similis eius uersus sponte aliquando sua proueniat, plureis tamen uix repentinus ille impetus effundet, quos longa quidem meditatio, diuturniorq; cogitatio, & cura. quæ habitus ipsius, artisq; comites, atq; ancillæ sunt, & sæpius, & suo in loco construxerint. Quis enim domum omnem fortuito ædificatam, aut nauem dixerit? Num casus insequentem fecit uersum, an ars, diuturniorq; pensitatio?
» Numina sola colant, tibi seruiat ultima Thule.
Qui constent è dactylico trisyllabo primum, tribus inde disyllabis, post duobus è trisyllabis, item dactylicis, ultimo è disyllabo, habeatq; secum annominationem syllabarum, quæ est ex primis, tibi, & Thyle, & ex media dictionis, quæ dactylum quintum constituit. Dictionum quæ è quatuor constant syllabis ea ratio haben-

da est, ut neq; ipsæ mussent, neq; uastitatem faciant aliquam, Virgilius eas libenter in quarto, & quinto pede collocat, & sistunt enim & implent numeros, temperant'q; celeritatem, siqua forte antecesserit. ut,

» Tacitæ per amica silentia lunæ. – &,
» – Toto'q; ingens extenditur antro. &,
» – Danaumq; insignia nobis. &,
» – Paribus curis uestigia figit. &,
» Per tot ducta uiros, antiquæ ab origine gentis. Item,
» Pocula siquando sæuæ infecere nouercæ. &,
» Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui. &,
» Pergameam'q; uoco lætam cognomine gentem. &,
» – Manibus'q; meis Mezentius hic est.

Collocat easdem libenter in primis etiam locis, subijcit'q; sæpenumero spondeum, ubi dactylicæ uoces illæ fuerint. ut,

» Interea Aeneas urbem designat. – &,
» Incipiam. fracti bello. – &,
» Insequitur, clamor'q; uirum. – &,
» Funereas inferre faces. –

Non quod non dactylum subnectat quandoq;, adeo nihil in ijs perpetuum est, quæ ad uarietatem pertinent. ut,

» Myrmidonum Dolopum'ue. – &,
» Threiciam'q; Samum.

Quin etiam spondeos aliquando iungit. ut,

» Argumentum ingens. –

In quibus omnibus consulendæ sunt aures, uidendu'q; ubi aut celeritate maiore, aut tarditate aliqua opus sit. Ad hæc quoties aliquot simul eodem in uersu collocantur, interijciendæ sunt dictiones aut duarum, aut unius, aut trium syllabarum. ut,

» Misenum Aeoliden, quo non præstantior alter. &,
» Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant. &,
» Olli discurrere pares discrimine nullo. &,
» Virginei uolucrum uultus, fœdissima uentris Proluuies. &,
» Mittimus Eurypilum scitatum oracula Phœbi. &,
» Qualis populea mœrens Philomela sub umbra. &,
» Præcipitat, suadent'q; cadentia sydera somnos.

Sed nec Lucretianus ille prætereundus hoc loco est uersus,

» Squamigerum genus, & uolucres erumpere cœlo.

Vsus est Virgilius mirabili artificio, cum uellet duas quatuor sylla-

barum uoces, easdemq; dactylicas simul connectere, praemisit enim monosyllaba duo inter se copulata, dixitq;,

» Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.-

Quibus numeris quid excogitari potest. hilarius, uel quod auribus tam adulanter blandiatur? In quinto quoq; & sexto mirifice huiusmodi dictiones implent aures, praesertim ubi fuerint spondaicae. ut,

» Palantis proaui de nomine Palanteum. &,

» Pilumno, quos ipsa decus dedit Orithya.

Quid cum idem Poëta tres simul collocauit quatuor syllabarum uoces, insonuitq;?

» Cornua uelatarum obuertimus antennarum.

Vtq; sonus esset uocalior, & explosionem adhibuit, cum dicere posset, uertimus, & id praestitit, mediae ut syllabae assonarent ultimis. Hilarem profecto, ac maxime gratum numerum exhibuit Lucretius, duobus è tetrasyllabis, iisq; dactylicis, interiecto trisyllabo, post quoq; collocato monosyllabo, inquiens,

» Omnigenis perfusa coloribus in genere omni.

Lucretiano hoc si non hilariorem, pleniorem certe Maro effudit, cum dixit,

» Continuo uentis surgentibus, aut freta ponti.

Sed agite quaeso, quos subdam uersus consyderate, dictionumq; è quibus constant, collocationem, ac pedum solutiones, & loca in quibus solutiones ipsae fiunt.

» Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis

» Montibus audiri fragor, ac resonantia longe

» Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur. Quibus consyderandis neutiq; negligenda est, literarũ syllabarumq; assultatio illa, & tanquam annominatio, Agitata tumescere. & longe litora. Egregium quoq; peperit & Virgilius numerum post dictionem tetrasyllabã in quarto collocatã, praepositis disyllabis tribus, cũ subdidisset monosyllabum, ac disyllabum, è quibus dactylum constituit, cecinitq;,

» Victor equus, fontisq; auertitur, & pede terram

Quam decenter igitur, atq; apposite, quanta etiam numerorum cura diuersis in locis tetrasyllabas dictiones Virgilius disposuerit, declarant qui sequuntur uersus,

» Interea medium Aeneas iam classe tenebat

» Certus iter, fluctusq; atros aquilone secabat,

» Moenia respiciens, quae iam infelicis Elisae

» Collucent flammis, quae tantum accenderit ignem
» Causa latet, duri magno sed amore dolores
» Polluto, notumq; furens quid foemina possit,
» Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt. In illis quoq;,
» Arma diu senior desueta trementibus aeuo
» Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum
» Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
» Aedibus in medijs, nudoq; sub aetheris axe
» Ingens ara fuit, iuxtaq; ueterrima Laurus
» Incumbens arae, atq; umbra complexa penates.
» Hic Hecuba, & natae nequicquam altaria circum,
» Praecipites atra ceu tempestate columbae
» Condensae, & diuûm amplexae simulacra tenebant.
» Ipsum autem sumptis Priamum iuuenilibus armis
» Vt uidit, quae mens tam dira miserrime coniunx
» Impulit his cingi telis, aut quo ruis? inquit.
» Non tali auxilio, nec defensoribus istis
» Tempus eget, non, si ipse meus nunc afforet Hector.
» Huc tandem concede, haec ara tuebitur omnes,
» Aut moriere simul. – Est eiusdem Poëtae uersus,
» Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum.

Quem ipse nouem refersit accentibus, tot monosyllabas ac disyllabas uoces in eum congessit, quod est rarissimum. Itaq; dum uarietati consulit, nihil est quod non praestiterit, cui condiendae summum adhibendum à poeta est studium, singularisq; diligentia.

Earum dictionum, quae pluribus quàm è quatuor constant syllabis, magna quoq; habēda est ratio. Prisci Latini Graecos secuti authores ijs frequentissime ad ultimos usi sunt locos, q̄bus scatet Lucretius. ut,
» Quae mare nauigerum, quae terras frugiferenteis. &,
» Nata sit, an contra nascentibus insinuetur. &,
» Vt puerorum aetas improuida ludificetur,

Quin etiam locis ut his satisfacerent, soluebant diphthongos, uocalesq; simul coactas. ut,
» Effice ut interea fera munera militiai.

Quin etiam intermiscebant superfluentis syllabas. ut,
» Inter se nexu magis aut minus indupedita.

Aliquando et Horatius auribus hunc suis numerum exhibuit. ut,
» Olim qui magnis legionibus imperitarint.

Sed neq; Virgilius numerum hunc omnino reiecit. ut,

» Quarum quæ forma pulcherrima Deiopean. &,
» -Nec Thesea Pirithoumq;. &,
» His Laodomia.- &,
» -Graue olentia Centaurea.

Nihil est enim quod non raritas approbet, auribus tædium, ac satietatem recusantibus, Cum præsertim Græca lingua numeris his mirifice lætetur. Sed nec tamen debet raritas uacare diligentia. Enitet apud Virgilium nobilissimus hic dactylicus,

» Panditur interea domus omniparentis Olympi.

Quo in uersu quod desyderare iure possis, omnino nihil est. nam quod detrahitur accentibus, id uero suppletur multitudine syllabarum, ut etiam in hoc alio,

» At Danaum proceres, Agamemnoniæq; phalanges.

Et hunc quoq; uersum eadem multitudine syllabarum numerosum reddidit, trisyllabum statim pentasyllabo coniungens,

» Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas.

Alium item, in quo simul illigat disyllaba etiam plura,

» Armentarius Afer agit, tectumq;, laremq;,

Implentur etiam numeri, quoties quartus, & quintus locus occupantur ab huiusmodi dictionibus aut spondaicis, aut dactylicis. ut,

» -Immedicabile uulnus. &,
» -Tempestatibus actas. &,
» -Lychni laquearibus aureis.

Cui numero multum est splendoris additum ab insequenti diphthongo, quod facile intelleges si dixeris, Laquearibus altis. &,

» Corybantiaq; æra. &,
» Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora.

Versus autem ille Petronianus, & si non abijciendus, uideri fortasse potest aliquanto uastior,

» Et periturorum deiecit tela Gigantum.

Prisci illi ut fuere polysyllabarum studiosi dictionum, quo uti commodius illis possent, syllabam quandoq; externam ac superfluentem interposuere, ut dixi, hinc manauit Induperator, Indugredi, Induperditus. Arte autem collocatæ dictiones huiusmodi spondaicas post si trahant syllabas, siue dactylicas, uenustatem profecto suam retinent. Atq; uti spondaicæ implent, sic dactylicæ suapte natura exhilarant. ut,

» O' fortunatæ gentes, Saturnia regna.
» Fortunatus & ille, Deos qui nouit agresteis. &,

» Acrisioneis Danae fundasse colonis.
» Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas. Quid ille?
» Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.
Quanto est temperamento conditus, dactylorum celeritate, spondaicæ tarditate temperata. Item,
» Ora modis Anchisiades pallentia miris. Quid & hic?
» Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ.
Quam est generosus, nedum canorus & plenus, quod præstat tum syllaba, eus, in diphthongum coacta, tum particula ac, quæ si inde eijciatur, sonus ipse in medio pronuntiationis cursu concidet. Est etiã ille admodum plenus & grauis,
» Amphitrioniadæ magno, diuisq; ferebat. Itemq;,
» Laomedontiadæ bellum ne inferre paratis?
Itaq; ut primus in locis collocata & implent sonum, & uersum honestant, sic in fine faciunt illum quodammodo exilire nimiam ob celeritatem. sunt enim pene lubrica, ni polysyllaborum ipsorum natura, hoc est literæ syllabæq; e quibus constant, tenorem sustentent, quale illud,
» Hirtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis. &,
» -Nec Thesea, Pirithoumq;. &,
» Quales Threiciæ cum flumina Thermodoontis,
Quo circa ars, adhibita idustria, potest ubiq; numeris subuenire. ut,
» Ille pedem referens, & inutilis inq; ligatus.
Suffecit multitudine syllabarum quod aliter in pausa subtractum esset accentibus. Lucretius quoq; non indecenter excoluit illum suum & disyllabis, & monosyllabo, & literarum syllabarumq; annominationibus,
» Multa siti prostrata uiam per, proq; uoluta.
Non sine summa animpensione collocauit Virgilius in quarto & quinto loco polysyllabum, e cuius primis syllabis statueret spondeum,
» -Vnus Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.
Horatius quoq; prudenter, artificioseq; temperauit illum suum,
» Diuisit medium fortissima Tyndaridarum.
Versus hi Lucretiani declarare possunt, quàm sordescant huiusmodi numeri, nisi dictiones ipsæ sustentent eos.
» Materies ut suppeditet rebus reparandis. &,
» Sed magis æterna pollentia simplicitate. &
» Tandem deducunt in tales disposituras.

Dat autem illi ueniam uetustas numerorum rudis, nec minus etiam materia ipsa tam humlis, quàm certe est. Quid ille alius?

» Id facit exiguum clinamen principiorum. Item alius?

» Et erunt & crescent, in'q; ualebunt.

Multa possent ijs subijci, sed neq; Poetam nunc instituimus, & uos paucis his iure contenti esse potestis. Quocirca attingamus etiam alia, cum præsertim è uitio comparetur aliquando laus, quæ uirtutis est propria. Constat uersus Heroicus, quem non improprie agnominare generosum possumus, sex è pedibus, unde Græco nomine ἑξάμετρος, nostro Senarius est uocatus. singuli pedes singula constituunt metra. Probantur uersus illi maxime qui inter dimetiendum inueniuntur complicatis inter se pedibus, inuicem'q; insertis, ut pes pedi sit tanquam catena uinctus. Nihilominus quibusdam qui in locis soluti inueniuntur reprehensione uacant, ut cum post primum, & quintum pedem solutio fit, est'q; ipsa dactylica, nimia tamen, importuna'q; solutio uitiosa est. Ac nihilominus placet adeo uarietas, ut interdũ etiam solutione ab ipsa quæratur numerositas, carminis'q; ipsius decorum, quod accuratior ars facile quidem præstat, id quod suis in locis, ijs'q; singulis conabor ostendere. ut in hoc,

» Iussi numina magna Deûm ueneramur, & inde.

Non eo inficias primum pedem sæpissime solutum incedere, ac sine ullis uinculis, præcipue cum uoces illæ aut triũ fuerit syllabarũ. ut,

» Vnius ob noxam– Aut etiam unius syllabæ. ut,

» Hæc sunt quæ nostra liceat.–

At cum sunt duarum, et spondaicæ, uidetur sine aurium offensa uicium hoc fieri minime posse. Etenim Lucretianus ille nescio quomodo tanquam deficiente hanelitu in pronuntiando concidit,

Fulmen detulit in terram mortalibus ignem.

Nihilominus & hinc quoq; numerum sibi egregium in uersu, quẽ dixi, Virgilius comparauit, conferta post acie tot dactylis, quod idẽ seruauit in alijs qbusdã uersibus, quos tamen disyllabis honestauit.

» Tantos illa suo rumpebat pectore questus. Item,

» Tanta mole uiri turritis puppibus instant.

Etsi in his secundus sit pes complicatus, qui in illo est solutus, qua e re duplex illic facta est solutio, quam utranq; fecit etiam in hoc,

» Hic uir hic est tibi quem promitti sæpius audis.

Vterq; tamen pes est dactylus, quam ob causam cum plures in hoc monosyllabæ insint uoces, solutiones ipsæ minus apparent. Quod idem contingit etiam in hoc,

» Illi hæc inter se dubijs de rebus agebant.
Tū propter monosyllaba, tum etiam propter hiatum, & in hoc quoq; propter dactylum, & monosyllabam uocem,
» Terres. hæc uia sola fuit, qua perdere posses.
At in hoc quia duo præcedunt monosyllaba, sequiturq; dactylus, apparet manifestius.
» Sed tu desine uelle, Deūm præcepta secuti.
Quid ille? in quo tres factæ sunt solutiones, eæq; dactylicæ,
» Scilicet omnibus est labor impendendus.
Temperauit tamen celeritatem illam iterati dactyli tertius utiq; dactylus è monosyllabo disyllaboq; compactus, duos secum accentus afferens, tertiam uero solutionem moderatus est, statim subdendo tetrasyllabum, è quo & struxit spondeum, & inde adiecto monosyllabo, quartum conflauit dactylum, duplicem quoq; secum accentum trahentem. Quæ uero post secundum statim locum fiunt solutiones, eæ quoq; fiunt etiā cum dignitate, quadamq; aurium gratia, præsertim ubi insequuntur duo, plura'ue disyllaba, numeriq; ipsi sunt dactylici. ut,
» Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri. &
» Nec iam se capit unda. uolat uapor ater ad auras. &,
» Extremi sinus orbis, ubi aera uincere summum.
Aut etiam unum, uidelicet cum alterum præcedit disyllabum, alterum subsequitur. ut,
» Apparet domus intus, & atria longa patescunt.
Quo in uersu triplex etiam fit solutio. Magnam quoq; præsefert luculentiā ubi terna subsequūtur trisyllaba uno cū monosyllabo. ut,
» Artificis scelus, & taciti uentura uidebant.
Impletur mirum etiam in modum numerus, ubi subsequūtur spōdei, non sine monosyllabo. ut,
» Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ. &,
» Visa uiri, nox cum terras obscura teneret.
Deniq; nō caret dignitate, quacunq; rōne solutio hac in parte fiat. ut,
» Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis. &,
» Classibus hic locus, hic acies certare solebant. &,
» Quo fremitus uocat, & sublatus ad æthera clamor. &,
» Nunc positis nouus exuuijs, nitidusq; iuuenta. &,
» Impleri nemus, et colles clamore relinqui. &,
» Coniugium uocat, hoc prætexit nomine culpam. &,
» Quo Phœbus uocat errantes, iubeatq; reuerti. &,

» Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Quo in uersu duo illa monosyllaba trium dactylorum præprope ram festinationem magna cum auriumuoluptate remorantur. Persimulis huius uidetur Lucretianus hic,

» Vociferantur, & exponunt præclara reperta.

Vt autem celeritatem in Virgiliano temperant bina monosyllaba inter dactylos constituta, sic in Lucretiano tarditatẽ condit duos post dactylos monosyllabum duplici cum spondeo. Itaq; solutiones hæ ad secundum locum dum sint artificiosæ, sunt non solum gratæ, uerũ etiã desyderabiles ob uarietatem. Tertio quoq; in loco solutio non fit sine dignitate, præcipue si tertius ipse locus fuerit dactylicus, et qui post sequuntur pedes fuerint & ipsi dactyli. ut,

» Horrescit strictis seges ensibus, æraq; fulgent.

Quo in uersu quartus quoq; soluitur. Implet aures nescio quid etiam amplius, si subsequatur statim monosyllabum, aut pes ipse tertius si stat in monosyllabo. ut,

» Vna dolo diuûm si fœmina uicta duorum. &,

» Externum tulit, aut cruror hic de stipite manat.

Habet & hic duplicem solutionem. Item,

» Interclusit hiems, & terruit auster euntes.

» Intactamq; coli dedit, & contemnere uentos.

» Demens, & cantu uocat in certamina diuos.

» Venturum Ausonios, en hæc promissa fides est?

Hoc in uersu & tertius desinit pes in monosyllabum, & cum alterum monosyllabum quartum ordiatur pedem, pausa ipsa conquiescit etiam tertio in monosyllabo, qui sextum claudit pedem, Est etiã uersus ille numerosus, atq; ut ita dixerim, affabrefactus,

» Da deinde auxilium pater, atq; hæc omina firma.

In quo quartus quoq; pes liber incedit. Non caret etiam dignitate propter spondeos, ac uocalium concursus uersus ille.

» Nereidum matri, & Neptuno Aegeo,

Sed raritas est quæ Latina in lingua huiusmodi uersus condiat. Ad quartum locum facta solutio gignit magnitudinem, quodam etiam cum supercilio, præcipue si accesserit etiam collisio, aut monosyllabum subsequatur. ut,

» Vela cadunt. remis insurgimus. haud mora nautæ. &,

» Mortalis hebetat uisus tibi, & humida circum. &,

» Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi. &,

» Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus.

Quo in

Quo in uerſu tertius quoq; pes liber eſt, habet pondus quoq; ſuum, ubi quartus ipſe pes ab altero icapit diſyllabo, deſinitq́; in alterū. ut,

» Vela damus, uaſtumq́; caua trabe currimus æquor.

Hoc autem uſu uenit propter accentus ipſos, qui numerum augent, quod manifeſto cernitur in his, qui ſubſequuntur uerſibus, neq; enim eam retinent magnitudinem.

» Regia portabat Tyrijs duce lætus Achate.
» Inſontem infando indicio, quia bella uetabat.
» Prædixit, uobis furiarum ego maxima pando.
» Dant maria, & lenis crepitans uocat auſter in altum.

Contra quod ineſt ſubſequentibus pondus?

» Inſideat quantus miſeræ Deus, at memor ille.
» Et campos ubi Troia fuit, feror exul in altum. Item,
» Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſáq; & artus.
» Et Bellona manet te pronuba, nec face tantum.

Magna quoq; ineſt, & huic grauitas, tum propter finale monoſyllabum, tum etiam propter exploſionem.

» Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox.

Longe huic alteri maior, propter terna tetraſyllaba, eáq; dactylica, etiam ad ſolutionem ipſam adiecto monoſyllabo, qui numerū ipſum profluentem ſiſtat,

» Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis.

Cui numero ne ſyllabarum quidem annominatio defuit, ut ante diximus. Deniq; quid hoc ipſo uerſu luculentius?

» O' patria, o' diuûm domus, Ilium, & inclyta bello
» Mœnia Dardanidum. –

Præſefert ſupercilium quaſi quoddam & hic,

» Aſpectans ſiluam immenſam, & ſic ore profatur.

Cum enim exploſio, tum monoſyllaborum duplicitas ſpondaicis ipſis numeris pondus adijciunt, quod idem præſtant dactylicis in illo,

» Lapſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto.

Quam ad rem non parum etiam confert prior ſolutio, quæ fit ad tertium pedem. Numerorum igitur uarietas diuerſis modis quærenda eſt, nec una tantum ratione complectenda, quam nunc pedum eorundem continuatio, nūc uariatio illorū pariat. Spondei nanq; continuati numeros ſtabiliunt, redduntq́; illos ſubtriſtiores, neq; enim fluere illos ſinunt. Contra dactyli properare illos cogunt, & hilaritatem quaſi quandam afferunt. eorum uero miſtura illos temperat quæ tamen & ipſa fit non uno modo, ſed nunc alternis, hoc

est alterum post alterum collocando, nunc geminatim, aut ternatim, alias hunc quàm illum præponendo selectius, aut posterius statuendo. Voces item ipsæ aut unius, aut duarum, aut plurium syllabarũ nunc in hoc, nunc alio, atq; alio in loco dispositæ, uarietatem pariũt. Vnius enim syllabæ uoces sistunt, ac sustentant, duarum uero pro natura temporum, aut remorantur, aut festinant, aut etiam moderantur, nam binatim, ternatim, quaternatim'ue dispositæ referaunt sonis uersum, atq; illustrant numeros, è tribus uero, aut è quatuor, aut compluribus è syllabis constitutæ uoces, similem in modum sequuntur naturam temporum, quæ in ipsis sunt inconstantiora. Solutiones igitur, & complicationes, nexus'q; illi pedum, collisiones item, atq; explosiones, hiatus'q; illi, atq; complosiones quantum conferant, loci etiã ipsi carminis, ex iis quæ dicta sunt, iudicari abunde potest. Mirum est etiam quantum tum literæ, tum syllabæ aut adiungant numerositati, aut demant ab ea. Cum uocalium aliæ sint plenæ, ac sonoræ, aliæ exiles, claræ aliæ, aut contra subobscuræ, omnes deniq; pro natura coniunctarum consonantium aliam, atq; aliam qualitatem suscipiant, pro'q; loco collocationis ubi primæ ultimæ'ue, aut mediæ fuerint in constituẽdis dictionibus. Ad hæc consonantes quoq; literæ causam afferunt lænitatis, asperitatis, obtusionis, exibilationis, qualitatum'q; aliarum, quæ syllabis inhærent, & item uocibus. De quibus quoniam satis scio expectari à uobis aliquid, præstabo & hoc perlibenter, idq; quanto fieri breuioribus poterit in re præsertim parum obseruata & tenui, quæq; uberiorem uideatur explicationem requirere. Ea igitur siue figura, siue ornatus condimentum quasi quoddam numeris affert, placet autem nominare Alliterationem, quod è literarum allusione constet. Fit itaq; in uersu, quoties dictiones continuatæ uel binæ, uel ternæ ab iisdem primis consonãtibus, mutatis aliquando uocalibus, aut ab iisdẽ incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis uocalibus. Delectat autem Alliteratio hæc mirifice in primis & ultimis locis facta, in mediis quoq;, licet ibidem aures minus sint intentæ. ut,

" -Sæua sedens super arma. &,
" -Tales casus Cassandra canebat. &,
" Insontem infando inditio.- &,
" -Longe sale saxa sonabant. &,
" -Magno misceri murmure pontum. &,
" Quæq; lacus late liquidos.-

Fit interdum per continuationem insequentis uersus, ut in his Lu-

cretianis,
» –Aduerso flabra feruntur
» Flumine.–
Atqui alliteratio hæc ne Ciceroni quidem displicuit in oratione solu
» ta, ut cum dixit in Bruto, Nulla res magis penetrat in animos, eosq;
» fingit, format, flectit. Et in secundo de Oratore, Quodq; me sollici-
tare summe solet. Quid quod ne in iocis quidem illis tam lepidis ne
glecta est à Plauto? ut cum garrientem apud herum induxit Pœnu
» lum, ne tu oratorem hunc pugnis plectas postea. Atq; hæc quidem
Alliteratio quemadmodum tribus in ijs fit uocibus, fit alibibi etiã
in duabus simili modo. ut,
» –Taciti uentura uidebant. &,
» Turno tempus erit.– &,
» Impulit impulsu.– &,
» –Victu uenatus alebat. &,
» –Duris dolor ossibus ardet. &,
» –Formæ conscia coniunx. &,
» –Vasta se mole mouentem. &,
» Castra fugæ fidens.– &,
» Per loca senta situ.– &,
» –Quo turbine torqueat hastam. &,
» –Quem metui moritura.
Cicero idem eloquẽtiæ Romanæ princeps eadem hac in coagmentan
dis duabus una dictionibus Alliteratione delectatur, ut cum dixit
» in Bruto, Sed dicere didicit à dicendi magistris. & Iouẽ, sicuti aiũt,
» si Græce loquatur, loqui. Habet etiã suauissimum condimentum quo=
ties Alliteratio ipsa eodem geminatur in uersu, per diuersas tamen di
ctiones, ac syllabas. ut,
» –Magna manes ter uoce uocaui. &,
» –Pharetramq; fuga sensere sonantem. Et apud Lucretium,
» –Multa munita uirûm ui.
Fit geminatio interdum eiusdem alliterationis eodem in uersu, eaq;
nec uacua est iucunditate. ut in hoc,
» Nunc rapidus retro, atq; æstu resoluta resorbens.
» Quid cum fit per insequentis uersus allusionem? ut,
» –Verba uocantis
» Visa uiri.– Atq; ut apud Lucretium,
» –Et fera ferri
» Corpora constituunt.–

Virgiliana quoq; alliteratio ea & rara est, & aures non parum mulcet, quæ constat partim ex continuatione, partim ex interuallo annominantium syllabarum.
» -Lætũ siliqua quassante legumẽ. Neq; insuauis est Lucretiana illa,
» -Vesco sale saxa peresa. Neq; item alia hæc,
» -Vera ratione repulsa. Aut,
» -Clara loca candida luce. Aut alia illa,
» Tenuia sputa minuta croci contacta colore.
Nam Virgiliana illa ex continuatione est quàm suauissima,
» -Agitata tumescere.
Sed nec inconcinna est illa, quæ fit cũ interuallo dictionis unius. ut,
» Concessit mœsta ad manes.- &,
» Si nunc se nobis.- &,
» Olli discurrere pares discrimine nullo. &,
» -Pleno se proluit auro. Quid autẽ annominatione illa iucundius?
» Ipsa canas oro. finem dedit ore loquendi.
Quid etiam illa? quæ ex continuatione constat, atq; interiecta dictione.
» Quàm fessis finem rebus ferat.- &,
» -Aut ulla putatis Dona carere dolis Danaum-
Non indecore, nõ insuauiter fit etiã alliteratio hæc cum allusione primarum literarum, syllabarum'ue, ultimæ ac primæ uocis, & desinentis, qui antecedit uersus, & statim subsequentis. ut,
» Tenuere coloni,- Carthago.- &,
» -Luco tum forte parentis Pilumni.- &,
» -Credere sensus, Sola uiri.- &,
» -Maxima rerum Roma colit.- Ac eadem hæc Alliteratio syllabarũ affert quandam (ut ita dixerim) auribus titillationem contextu in ipso, ubi desinente hinc, illinc continuante dictione eadem hac sibi ratione utraq; alludit. ut,
» -Aere ruebant. &,
» -Lato te limite ducam. &,
» Loricam ex ære rigentem. &,
» -Sydera retro. &,
» -Frustra moritura relinquat. &,
» -Coniux iterum hospita Teucris. &,
» Ditis tamen ante.- Non insuauiter etiam concursus earundem syllabarum mulcet aures, est enim genus quoddam complosionis.
» -Ruit oceano nox. &,

Fama

» Fama malum.– &,
» Date tela.– &,
» –Cerno te tendere contra. &,
» Stupea flamma manu.– &,
» –Glauca canentia fronde ſalicta. Interdum ultima deſinentis uerſus ſyllaba concurrit, conſonatq́; cum ultima uocis inchoantis inſequentem. ut,
» –Diuerſa in parte furenti,
» Turbantiq́; uiros.–

Vt autem concurſus ipſe ſyllabarum delectat, propter complosionem earundem literarum, ſic etiã, ac multo magis earundem uocalium. Quippe cum ex ipſa complosione magna fiat uocalitati acceſſio. ut,
» Si pereo hominum manibus, periiſſe iuuabit. &,
» –Imponere Pelio Oſſan. &,
» Nauticus exoritur uario hortamine clamor. &,
» –Sub Ilio alto. Verum complosio hæc Græcorum eſt linguæ quàm noſtræ familiarior. cui exploſio magis eſt peculiaris. ut,
» Dixerat & genua amplexus.– &,
» Cum Troia Achilles.– &,
» –Nec dum fluctus latera ardua tinxit. &,
» –Cœlo capita alta ferentes. &,
» Porta aduerſa ingens.–

Videtur res ſanè ridicula, rara tamen et affabrefecta. ſubblanditur enim auribus quædam quaſi ſtrepens literarum inter ſe ſiue concurſatio, ſiue conflictatio, ac nonnunquam etiam ſyllabarum, quæ uis ipſis potius ineſt conſonantibus, quàm uocalibus, quæ ſyllabas eas ineunt. exemplum eſt.
» Conuulſum remis, roſtriſq́; ruentibus æquor. &,
» Criſtaq́; tegit galea aurea rubra. &,
» –Fluitantia tranſtra. &,
» Ora puer prima.– &,
» Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum. &,
» Quod fieri ferro.– &,
» –Præfractaq́; quadrupedantum. &,
» –Infeſta ſubit obuius haſta. &,
» Tribuſq́;–
» Tranſiit intextum tauris opus.– &,
» –Fugit illicet ocyor euro.

Ac mihi quidem uidetur in pangendo carmine atq; condiendis nume-

ris illud idem usu uenire, quod in puellari cultu, atq; munditijs, ut non modo gemmæ cuiuspiam nitidioris, uerum flosculi unius accessio permultum adijciat cultui, atq; munditijs. Subijciam itaq; exēpla quædam Virgilianarum obseruationum in parte illa tum alliterationis, tum conflictionis, perexigua sane res, tamen nec peruulgate populari terq; animaduersa, sed quæ & obseruata delectet, nec ulla sit ratione prætermittenda conanti quacunq; possit arte audientium auribus subblandiri. Nunquid non etiam perquam suauis est allusio illa postremarum syllabarum?

» Sterneret æquor aquis. — Item illa mediæ, & ultimæ.
» — Animam abstulit hosti, Alia item mediæ, ac primæ.
» — Qua semita monstrat.
» — Foliorum exuberat umbra.
» Vulnificusq; chalybs. — Nam de primis dictum est.
» — Vellere uallum.
» Quid cum primarum & ultimarum simul?
» — Volat uapor ater. —

Quid cum etiam primarum duarum, & mediæ dictionis inter utranq; interiectæ? ut,

» — Relegens errata retrorsum.

Quid etiam conflictationes ipsæ quàm sunt loco suo gratæ? ut quidam quasi flosculi rariores inter prata niteant. ut,

» — Fulmineus Mnestheus. — &,
» Inter tela, rotasq; uiros. — &,
» — Stabula alta Latinus. &,
» — Insertabam aptans. — &,
» — Nota intra tecta refugit. &,
» — Cristaq; tegit galea aurea rubra.
» Sed nec pœnituerit subiunxisse Lucretianum illum,
» Nix acri concreta pruina.

Neutiq; fortasse ad numeros, quod subdam, sed magis ad Poëtæ prudentiam spectabit, Nihilominus numeros quoq; ipsos illustriores reddit. hoc autem tale est, ut numeris ipsis fiat satis etiam cum dignitate, exprimendis affectibus, ut cum Virgilius Camillæ uellet pedum celeritatem exprimere, pedum quoq;, ac syllabarum usus est celeritate.

» Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Et quod initio diximus, uolucrem illum flammæ strepitum his uerbis ac numeris explicuit,

» Atq; leuem stipulam crepitantibus urere flammis.

Certum habeo senem nostrum ægre hoc laturum, referam tamen. Is cum uellet Lepidinæ illius suæ tardos, ac defatigatos gressus innuere, uersum ita statuit, ut uerba ipsa pedes'q; uideantur quodammodo ægræ se trahere,

» Nam defessa traho uix genua, & inepta canistri
» Sarcina me grauat. –

Quid enim his & uerbis, & numeris aut tardius, aut defatigatius? Idem ipse Virgilius euaporantis aheni æstum, ebullitionem'q; illã uix sese intra labrum continentis aquæ, cum explicaret, uersum ita dilatauit, uix ut se ipsum capiat, quippe quem decem usq; ad accentus extenderit, nec habuerit quo amplius.

» Nec iam se capit unda. uolat uapor ater ad auras.

Quod idem seruauit in Mezentio irato, et sæuiente. præpeditur enim lingua iratorum ob excandescentiam, ut hæreat, & consistat, & remoretur sonum ac uerba, interrumpat'q; sermonem, ac concidat orationem ipsam.

» Nunc morere. ast de me diuûm pater, atq; hominũ Rex Viderit. –

Quid enim est hoc ipso uersu, aut hæsitantius, aut uerbis interruptius, aut numeris etiam concisius? Quæ quidem omnia præstantissimo cuiq; ingenio summa cura uidenda esse censeo. Quin etiam idem ipse Virgilius quacũq; posset arte auribus ut satisfaceret, Græcos imitatus, struxit quandoq; tres simul uoces in, E, desinenteis. ut,

» Quatuor ex omni delectæ classe carinæ. &,
» Stant terræ defixæ hastæ. – Alibi quatuor. ut,
» Ite solutæ, –
» Ite deæ pelagi. – Quid cum dixit?
» Degere more feræ. –

An est qui inficias eat numerum hunc summo fuisse studio conquisitum. Aliquando treis item coniunxit uoces eadem à uocali exordienteis. ut,

» Insulæ Ionio in magno. – &,
» Ire iterum in lacrimas. –
» Aliquando etiam diuersas diuersa à uocali incipientes. ut,
» Rgum æquabat opes animis. – Quid cum dixit?
» –Oẽs uno ordine habetis Achiuos. Illud uero omnino Homericũ,
» Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Est & hoc tenerrimum in aures suauitatis infundibulum.

» –Lacerum crudeliter ora,
» Ora, manus'q; ambas. – & alibi. ut,

» -Vultum uidit morientis, & ora,
» -Ora modis Anchisiades pallentia miris.
Neq; parum etiam, neq; insuauiter mulcetur auditus, numeriq; ipsi condiuntur, ubi ultimæ uersum dictiones, itemq; primi, secundi, tertij & quarti loci inuicem consonant in ultimis syllabis. ut,
» Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.
» Venerat, extinctam ferroq; extrema secutam.
» Vix adeo agnouit pauitantem, & dira tegentem.
» -Longarum hæc meta uiarum.
» Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
» Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum.
» Ad genitorem imas herebi descendit ad umbras.
Nam qui statim sequuntur uersus quoties uel recitari audio, uel mecũ eos ipse sucino, & aures & animum titillari mihi sentio,
» Terribilem cristis galeam, flammasq; uomentem,
Fatiferumq; ensem, loricamq; ex ære rigentem,
» Sanguineam, ingentem.-
Sed hæc fortasse ad uerborum collocationem spectant, et ad structuram carminis, potius quàm ad numeros. Quamobrem ad ea quæ reliqua sunt transeo.
Delectus ipse uerborum Poetæ nobilitat suppellectilem, uerum satis non est delegisse, nisi etiam seligas, fit enim delectus plerunq; è multis, selectio uero è paucis. Itaq; & uoces & syllabas, etiam literas seligere oportet, quo uersus ipse undiq; sibi constet, ex eoq; tanquam in quadram redacto numerum perficias, id quod uersus hi paucis indicabunt,
» Illum expirantem transfixo pectore flammas.
An non poterat etiam sic, Traiecto pectore, suo quidem ac proprio uerbo? sed cum ante collocasset uocem illam. Expirantem, post uero, flammas, refertam utranq; consonantibus literis, uoluit etiam in medio collocare uocem, quæ similibus quoq; literis consonaret. Quippe cum in dictione, Traiecto, ea non esset consonantium literarũ copia, nec similitudo, quæ utraq; est in transfixo.
» Talia flammato secum Dea corde uolutans.
» Cur non? Talia succenso. Nimirum quia uocalis. A'. clarum è se edit sonum, at V'. uocalis subobscurum. Itaq; si. V'. post duplex. A'. subdidisset, claritatem quam affectabat eo in loco subobscurasset, eamq; ob rem submittendo alterum atq; alterum. A'. adauxit literæ claritudinem. quid si dixisset? Flammanti, atqui claritas illa erat

» -Loca fœta furentibus austris.
» Cur non? plena. Videlicet quod alliteratio delectet magis aures.
» Aeoliam uenit. hic uasto rex Aeolus antro.
Potuit sic, et cum præterito tẽpore, Aeoliã uenit. uasto hic Rex Aeolus antro. Præterquam autem quod præsens tempus repentinam, uehementemq; Iunonis commotinem indicat, magis quàm præteritum, quando res ipsa geri iam uidetur, & hiatus ille, & monosyllaborum duplicatio eo in loco, tum uersum, tum numerum nimio plus stetissent, quod ipsum pronuntiando sentitur.
» -Celsa sedet Aeolus arce,
» Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras.
In eo quod est, celsa sedet, & Sceptra tenens, simul insunt & alliteratio, & conflictatio, quæ aures submulceant. Quod uero dixit Mollit, potius quàm lenit, hoc uidetur fuisse causæ, quod uocalis. E'. cum sonorem demittat, si, lenit, dixisset, eam trigeminasset, indeq; generosus ille canor, supra quàm oportebat. demissus penè contabuisset, quem plenitudine sua uocalis. O'. & substentauit, & illustrem reddidit, hac eum ratione moderatus. Ex his igitur quanquam paucis licet cognoscere quanta maturitate & studio sit cum literis cumq; auribus habenda ratio. Qua de re dictum à me sit hactenus, nam progredi ulterius. quid nam esset aliud, quàm structuræ, collocationisq; campum ingredi? Quæ materia haudquaquam est loci huius, magnũq; uolumen sola desyderat, ut de ijs omnino taceam, quæ ad admirationem comparandam pertinent. Quo circa ad id quod reliquum uidetur, transeo.

Numerus ipse quoniam celeritate constat, ac tarditate, quarum alteram dactylus, alteram spondeus secum habet (Est autem sermo hic noster omnis heroicis hoc est generosis de uersibus) ex his opportune collocatis, prudenterq; simul mistis manat dignitas illa, quæ laudabile carmen reddit, quibus si accesserit uerborum delectus, selectio syllabarum, de quibus pauca quædam dixi, prudentia item, & uerborum, et syllabarum temperandarũ, ad hæc magnitudo sententiarum, explicatio rerum iucunda & grauis pro loco ac re, & hæc ipsa numerorũ artificiosa uarietas, decorumq; illud, quod in omni nõ modo uitæ genere, uerum etiã disciplinæ, ac facultatis à natura ipsa exigitur, ut de inuentione, distributione, iudicioq; hac in parte taceam, nimirum admiratio illa plena laudis, quam Poëticas senex noster proponit studijs, multa etiã cum commẽdatione, ac fama comparabitur, quam sequẽdam ab illis duco, qui in hac ipsa facultate excellere eminenter cu-

piunt. Has autem res omnis & præstabit ars ingenio coniuncta, et eas perficiet, ac pertinax illa, & diligens cura, quæ optimo cuiq; inesse debet artifici, quod'q; pace omnium dixerim, quanquam tibi Par de hoc ad aurem dictum uelim, & Cicero oratorum maximus, & Ouidius Poëtarum maxime ingeniosus nolunt ipsi quidem artem apparere, Ego uero non ibo inficias in ijs hoc probandũ artibus, qbus proposita est sola persuasio. At ipse nostris his in studijs laboro, contendo, enitor, meum ut carmen appareat etiam admirabile, ut industria innotescat mea, ut celebretur artificium, dici quoq; de me ut possit, Eris ab illo alter. Dissimulat hic orator, alibi contra simulat, quæ sunt in causa, quo à iudice iure uel iniuria, dicendo tñ uel assequatur quod quærit, uel extorqueat. At in hoc dicendi genere insidiæ insunt nullæ, nullum præterquam famæ compendium. Cupio igitur et auenter quidẽ cupio, appareat industria mea in carmine, appareat diligentia, labores laudari peruelim meos. Incendor cupiditate gloriæ, ut'q; inter earundem rerum studiosos euadam etiam primus.
An inficiatus est hoc Virgilius, cum decantauit?
» Primus ego in patriam, mecum modo uita supersit,
» Aonio rediens deducam uertice Musas. Non inficiantur uel minores authores Ouidius, atq; Horatius, uterq; tñ suo in genere abũde clarus,
» Exegi monumentum ære perennius. &,
» Iam'q; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
» Nec ferrum poterit, nec edax abolere uetustas.
Nolim tamen intellegatur ars mea ante quàm lectorem mei carminis in admirationem eius traxerim. At postquam factus est illius admirator, uel introspiciat ipse consilia, laudet, commendet, extollat quæcunq; etiam lineamenta. Quis statuarius, fusor, pictor, uult se uideri, dum inumbrat, dum colores primos linit, dum primas illas quasi lituras effigiat? post uero consumatum opus, exponit illud, & ambit publice laudari, præponi'q; ob adhibitum studium cæteris artificibus omnibus. Etenim ab arte artifices sunt dicti, finis'q; ipsius artificis, qua artem exercet, non qua lucrum inde quærit, est bene, consumate'q; in illa sese gerere, opus'q; pficere à se susceptum. À Poetis igitur nõ lucrũ quæritur, qua Poëtæ sunt, sed admiratio cũ cõmendatiõe operis, sui'q; ingenij, cuius quando comes est laus, laudari quoq; se & palã, et ore pleno, tum cupient, tũ lætabũtur, quanq̃ etiã si à nemine laudẽtur, possunt tamẽ sola ingenij artificij'q; sui consciẽtia esse cõtenti. Sed elucescat oportet ingenij et artis eorũ magnitudo, ac præstãtia, de quibus fama est proditura, quæ ab illis omni studio affectatur. Sed

cohibebo me ipsum, ne incensus studiorum meorum commendatione, longius ab incepto sermone discessisse uidear. Sit igitur satis hæc me in uestram omnium qui hic adestis gratiam ea de numeris tradidisse. Quo'circa cui sorte sua obtigerit, loquendi possessionem ei trado, ne loci huius consuetudinem existimet, aut neglexisse impudenter, aut contempsisse superbe. PV. Vestrum qui adestis omnium officium arbitror, non laudare solum quæ à Syncero tam exacte dicta sunt de numeris, uerum etiam admirari, dum qua uia incedatur ad admirationem in Poetica comparandam è numeris, tam designanter & monstrauerit nobis illam, & expurgatis etiam scrupulis, ac salebris complanauerit, Id quod uideo à literatoribus nostris prætermissum, uel ignoratum potius. Recte itaq; ab Antonio usurpatum memini, Poetam esse ipsum oportere, Poeticis qui de uirtutibus loqui cum dignitate uellet. SVM. Hoc nimirum fuit Pudericæ causæ, cur qui ipse scirem Grammaticis incomperta hæc esse, Syncerum ad dicendum excitauerim, nec aut importunitatis pœnitet me meæ, aut obsecrationis, per quam quid exanclatum fuerit ipse uides, ut neq; iniuria, neq; præter opinionem qui ea audiuimus admiremur omnes. Vtinam autẽ literatores ipsi etiã in ijs, quæ literaturæ sunt, paulo essent diligentiores. Cum præsertim uideam senem nostrum uel minutissima quæq; pensitantem etiam in Grammaticis. Sed quid senem ad hæc ipsa aduocauerim? qui paucis ante diebus, eadem hac in porticu audiuerim Altilium hunc quædam explanantem, quæ Grammaticorum essent propria. Verum quis est eorum tanta solertia, ut nõ alienis potius quàm suis rimetur oculis artis ipsius secreta? Venit in sermonem Ciceronis, qui causam duplici .S'. scribere esset solitus, quod ipsum Romæ adhuc quoq; uetustissimo in monumento inscriptum legitur. Attendite quæso quibus à principijs est exorsus, non enarrauerim qua suauitate rem expresserit, ne uidear in gratiam eius qui hic adest eloqui, nam mihi quidem Grammatici ab omni uidentur prorsus dicendi suauitate alieni, & si in cognoscenda uocum proprietate, illisq; contexendis, omnis eorum ferè uersatur disciplina. Prisci inquit illi, qui Latium à quo Latinam dictam esse linguam, sunt qui uelint, etiam ante Aborigenes tenuere, pleriq; in cauernis habitabant, quæ à cauando essent dictæ. ijs autem & æstus cauebant & frigora pleraq; etiam alia incommoda, in illisq; se & sua cautius tutabantur. Qua è re uerbũ Caueo ab ijsdẽ esse deductum, quodq; in causa ipsa cauisse oporteret inde ab initio dictam esse cauissam, Post uero subtracta uocali Caussam, noĩe ipso treis adhuc syllabas retinen-

te, poſtremo prima & ſecunda ſyllaba, duabusq́; illis uocalibus lite-
ris in unum coactis, uocem ipſam factam eſſe diſyllabam, ac nihilo-
minus duplex. S. manſiſſe, quod tandem leniendæ uocis gratia ſim-
plex extitiſſet, quando duplex ipſum poſt au', diphthongum ſonaret
horridius, præſertim C'. conſonante diphthongum præcedente. Ab eo
dem illo uerbo Cauo factam eſſe primo Cauipam, uas uinarium, ab
eoq́; Cauiponam, & Cauiponem, quod cauis in locis, uel cauis dolijs
uinariam exercerent, è quibus poſteriores uocalem. I'. detraxiſſent,
indeq́; eſſe hodie Cupas. au'. in. u'. productum uerſo, ut Claudo,
Cludo, & Cauponam, Cauponemq́;, & Cauponari. Eoſdem illos
locos Fornices dictos à foranda olim uel tera, uel ſaxo, quã à Græco
uerbo malebat, Fornicesq́; ac Cauernas idẽ in initio fuiſſe, pro uarie-
tate linguarum appellatione non una. Venit etiã in ſermonem uerbi
quod eſt Exanclo. Videte obſecro, rem unde uir latinitatis aman-
tiſſimus repetierit, quod ſi quæ eius eſt uerecundia, repeti à me for
te non æquiore fert animo, auertat quæſo à dicente faciem, aut alio
pauliſper inambulet. AM inquit uocula fuit apud priſcos illos
idem illud quod nunc eſt apud nos circum, inde Hamus, & ſi poſt
differentiæ gratia prefixa ei fuit aſpiratio, inde Annus, quod in
circulum rediret, mutata poſt. M'. in ſemiuocalem literam concinnio-
ris ſoni gratia. Eodem è fonte Amnis, quod fluiorum curſus plerũq;
ſint flexuoſi, & Ambio, & Ambulo, & Ambedo, Ambeſusq́;, inde
etiam Anus obſcœna pars corporis ab eius ambitu, & Anulus, &
Anus uetula, quod propter annoſitatẽ ſenilis ſtatus corporis à capite
proclinet in pedes, efficiaturq́; incurua, Ex anno uero ductum eſſe
Anniculum, ut Bimum, ut Trimum, quaſi biamnum, et triamnũ,
quæ res indicat principio ſecundam anni literarum fuiſſe. M. ab
anniculo anniculare, Cumq́; tempeſtate ea hominum uita eſſet agre-
ſtior, magnæq́; daretur laudi fruges ipſas poſt annũ aſſeruaſſe, unde
perannare factum eſſet, formatum primo uerbum Exanniculo, donec
ex eo ſubductum fuit Exanclo quod uerbum relatum eſſet ad la-
bores, ad pericula, ad difficultates. Quid enim difficilius, quã uina,
triticum, poma in alium atq; alium annum illæſa perducere, æta-
temq́; ijs addere. quibus à natura uix aliqua eſſet data? Addam
& hoc. Erat quæſtio, qua ex origine deducta eſſet dictio hæc Im-
becillitas. Animum aduertite quæſo, qua eam uia deduxerit. Via in-
quit dicta principio eſt, quod ea ueherentur & homines, & res quæ
domum deuehebantur, initioq́; fuiſſe ueham, ſic etiam Vehillam, &
Vehicum, quod illuc ueherentur, quæ colligebantur ex agris, ea poſt

mutata sunt in Villam, & Vicum, factum est etiam nomen Vehiculum, quo res ipsæ uehuntur, A uia Vietus, Viator, Viaticum, à Villa Villicus, Villicatio, à Vico Vicinus Vicinitas, Vicinia, Vicatim, qd'q; senes ætate iã confecti, soli absq; subsidio uehi pedibus suis neq rent, sumptus cum esset ab illis fustis uiæ faciendæ hoc est ambulãdi gratia, Baculũ ex eo dictum, quasi Viaculũ, qui alio etiã nomine esset Scipio, à manus scilicet capione, à Baculo'q; factum esse nomen Imbecillũ, cui innixi incederent qui infirmis essent pedibus, quod'q; non absq; labore ac difficultate etiã baculo ueherentur, inde quoq; manasse Vix, quæ uox est difficultatis, ac laboris. Ab habitu igitur imbecilli hominis eius'q; infirmitate deductum esse nomen imbecillitatis commutatione literarum. PV.

E t ex illis quæ Poeticis sunt de numeris à Syncero dicta, & quæ nunc à te Summonti referuntur Grammaticis de rebus, mirandum in modum incendor ardore audiendi aliquid de historia, quæ nullos adhuc præceptores habuerit, cum Grammatica, Rhetorica, Philosophia institutores quidem plurimos, eos'q; maximos ac præstantissimos uiros promeruerit. Ac tametsi scio, dictionem eam esse multiplicem, nec unius fortuitæ'q; confessionis, uelim tamen non oratum modo, uerum etiam exoratum Altilium, uti Actio succedens in dicendi possessione, hac ipsa de re uel edisserat aliquid enucleatius, uel saltem, ut dici solet, de ea nobis innuat, dũ accuratius quippiam de historia uel traditum ab eo accipiamus, uel nutu ipso significatum. Quod tu Altili per Musas rogatus, perq; cõmunem hunc consessum, cuius honestandi fuisti semper studiosissimus, nobis audiendi tui cupientissimus præstare ne recusaris. ALTILIVS. Nec quid ipse mihi oneris Puderice imponas satis cõsyderas, & ego inconsyderatior fuerim, si tanto subire uelim oneri, humeris tam imbecillis. Quis enim ego sum, aut rem ab eminentissimis uiris reformidatam potius quàm intentatam quo aggrediar animo? aut eam aggressus, quo è priscis uel consultore utar, uel authore? Ne tamen aut uobis ipsis expetentibus, aut loco deesse huic uidear, innuens quidem ut tu ipse Puderice exigis, potius quàm præcipiens dicam de historia aliquid, quod'q; ipse quidem multa delectione collegerim, magis quàm quod authore nitar aliquo, quem nullum, ut uideo, in hunc usq; diem habuit historia. Cuius mihi principium à natura ductum uidetur, quando insitum est homini studium propagandi res suas ad posteros, natiua quadam cum cupiditate efficiendi memoriam sui quammaxime diuturnam, qua è re nomen id

ei Græce fuit inditum. Romani uero quod per annos singulos quæ gesta essent mandare literis consuessent, Annales initio uocauere, post accepto Græco nomine, & ab illis quoq; historia dicta est, prisco et Latino nomine pene` obliterato. Eam maiores nostri quandam quasi solutam Poeticam putauere, recte'q; ipsi quidem, pleraq; enim habent inter se communia, ut rerum uetustarum ac remotarum repetitiones, ut locorum, populorum, nationũ, gentium descriptiones, qui etiam illorum situs, mores, leges, consuetudines, ut uitiorum insectationes, uirtutum, ac benefactorum laudes, utraq; enim demonstratiuo uersatur in genere, nec minus etiam in deliberatiuo, quod ipsum conciones indicant ac consilia, quibus tum Poetica tum historia maxime ornatur, gloriatur'q; ex ijs locupletiorem sese bonis ab authoribus redditam. Ad hæc repentini casus, successus'q; ipsi uarij atq; incerti, consilia item diuersa, quæ'q; præter hominum ipsorum opinionem plurima contingunt in uita ac rebus gerendis. Nec uero si Poetica ipsa multa est in explicandis deorum tum consilijs, tum rebus quæ ab illis administrantur, non historia etiam Deorum iras explicat, refert prodigia, placat'q; illos uotis, supplicationibus, ludis, consulit'q; eorũ oracula, utraq; etiam gaudet amplificationibus, digressionibus item, ac uarietate, studet'q; mouendis affectibus, sequitur'q; decorum quaq; in re, ac materia suum. Itaq; neutrius magis quàm alterius aut propositum est, aut studium, ut doceat, delectet, moueat, ut etiam prosit, rem apparet, eam'q; ante oculos ponat, ac nũc extollat aliud, nũc aliud eleuet, Sed nec in deligendis tum rebus, tum uerbis, ijsdem'q; proprie, ac decenter disponendis, collocandis'q;, altera cedit alteri, historia tamen est castior, illa uero lasciuior, nec item in ornatu & cultu non eadem quoq; utriusq; sedulitas est & cura, tametsi historia cultu tantum contenta esse potest suo, eo'q; qui sit matrona dignus, idoneus'q; continentiæ, à fuco'q; abstineat, ac purpurisso, quem quidem in altera illa, theatra persæpe probant, id'q; ut in puella nequaquam aliquando reprehenditur, dum tamen ipsa intellegat, quid ingenuam inter, & uulgarem intersit. In uerbis item, ac sententijs altera castigatior, altera ut etiam in numeris, sic in uerbis nunc liberalior est, nunc etiam affectatior. Nã parum contenta priscis, atq; usitatis uocabus, exultat persæpe nouandis illis, aut peregre afferẽdis, proposito uero omnino pene`, aut maxime profecto differunt, cũ altera ueritati tantum explicandæ, quamuis et exornandæ quoq; intenta esse debeat. Poetica uero satis non habeat, neq; decorum suum seruauerit, nisi multa etiam aliunde comportauerit, nunc ex parte

aut uera, aut probabilia, nunc omnino ficta, neq; ueri ullo modo similia, quo admirabiliora quæ à se dicuntur appareant. hoc tamen ipso mirifice conueniunt, quod utriusq; propositum est, quod susceperit dicendum, illustrare, et quoad possit sempiternum id efficere. Numeros quoq; utraq; suos habet, itemq; dicendi figuras, diuersa tamen ratione. Ordine quoq; enarrandarum rerum differunt inter se, cum historia rerum gestarum ordinem sequatur, ac seriem. At illa altera persæpe à medijs, nonnũquam etiam penè ab ultimis narrandi principium capiat, assumens etiam extrinsecus personas pro rei ipsius natura, ut deorum, nympharum, numinumq́; aliorum, ut uatum, furẽtiumq́;. Quid quod uocem quoq; dat et orationem rebus mutis, diuinitatem tribuit insomniis, Deos etiã ipsos mortalibus instruit affectionibus, quæ quidem omnia apud Græcos Homerus, apud nostros Virgilius passim ostendunt, una uero re potissimum sibi ipsæ conciliãtur, quod utraq; naturam sequitur, qua magistra, et duce ambæ quoq; uarietati student, cum ea ipsa natura cum primis uarietate lætetur, & decorum illud, quod ab eadem rei est cuiq; attributum, cum uenustate sequatur, ac dignitate etiam summa.

H *æc habui quæ dicere in uniuersum de re hac liceat, & tanquam uobis innuens qui unà hic adestis, significare. Reliquum est, quoniã historiam poeticam penè solutam esse quendam de maiorum authoritate dixi, ut quoad uires meæ tulerint, & locus hic patitur, talem esse eam exemplis quoq; ipsis edoceam. Licet autem in Liuio, Sallustioq́; historiæ Romanæ principibus diuersa splendescant claritate, quæ historia digna sunt lumina, dicendiq́; in altero maiestas heroica penè quædam emineat, atq; uterq; fuerit poeticæ admodum studiosus. Cum ille poeticis non solum numeris scripta sua, uerum etiam integris quandoq; exornet uersibus, hic Empedoclea in Latinum, ut Aratea Cicero conuerterit, neq; poeticis abhorreat à figuris. Tamen Liuius in plurimis oratori similior est. Sallustius uero historicis tantum legibus ubiq; uidetur addictus. Vterq; tamen opus suum poeticis auspicatus à numeris, ille à semiuersu dactylico, qui est, Fa-*
» *cturus ne operæpretium. hic uero alter ab integro hexametro, Iugurtina in historia, quem tamen ita refersit spondeis, præterquam quarto in loco, ut uix agnoscatur esse hexameter, grauitatem tamen*
» *illam spondaicam retinuit inquiens, Bellum scripturus sum, quod populus Romanus quæ uerba heroicum senarium, grauem quidem numeris, uerbisq́; maxime accommodatis constituunt. Huius igitur exemplis, si utar familiarius, uestrũ quidem mirari debuerit nemo.*

Igitur cum in unaquaq; ad dicendum suscepta materia primum sit Poetæ officium, proponere qua sit de re explicaturus, quod quidem docuit Virgilius, cum dicere est orsus,

» Arma uirumq; cano.–

Idē à Sallustio seruatum intellego, cum et ipse, quod paulo est ante di
» ctum, cœpit, Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iu
» gurta Rege Numidarum gessit. Atq; ut ille causam susceptæ à se materiæ statim asserit, difficillimos scilicet Aeneæ errores, bellum'q; summis uiribus, maximis etiam periculis ab illo administratum, post quos euentus, multiplices'q; successus, urbs Roma esset condita, hoc enim uersus illi præseferunt,

» –Multum ille & terris iactatus & alto.

» Sic & hic ipse Sallustius suscepti causam reddit operis inquiens.
» Primum quia magnum & atrox, uaria'q; uictoria fuit, deinde quia
» tum primum potentiæ nobilitatis obuiam itum est, quæ contentio di-
» uina & humana cuncta permiscuit, eoq; uecordiæ processit, ut studijs
» ciuilibus bellum atq; uastitas Italiæ finem fecerit. Quid Liuius ab
» exordio quamprimum secundi belli Punici, non'ne heroico quasi quo
» dam cum supercilio ait? In parte operis mei licet mihi præfari quod
» inprincipio summæ totius professi pleriq; sunt rerum scriptores, bellū
» maxime omnium memorabile, quæ unquam gesta sunt me scriptu-
» rum, quod Carthaginenses Annibale duce cum populo Romano ges
» sere, nā neq; ualidiores opibus ullæ inter se ciuitates gentes'q; contule
» runt arma, neq; ijs ipsis tantum unquā uiriū, ac roboris fuit, et haud
» ignotas belli artes inter se expertas primo Punico conserebant bello,
» & adeo uaria belli fortuna, anceps'q; Mars fuit, ut propius periculo
» fuerint qui uicerunt. Altiores quoq; repetitiones, præsenti'q; ab negotio longius remotarum rerum susceptæ enarrationes, & poëticæ, & historicæ facultatis inter se necessitudinem quasi quandā arguūt. Declarant hoc & Virgilius, & Sallustius, alter cum exorditur.

» –Rex arua Latinus, & urbes
» Iam senior longa placidas in pace regebat,
» Hunc fauno & nympha genitum Laurente Marica.
» Accipimus.–

Alter cum Iugurtino in bello, post redditas suscepti à se operis causas, repetendo incipit. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginensium Annibal post magnitudinem Romani nominis Italiæ opes maxime attriuerat. Masinisa Rex Numidarum in amicitia receptus à Publio Scipione. Et in Catilinario, Vrbem Romā sicuti ego accepi condidere, atq; habuere initio Troiani, qui Aenea

duce profugi

» duce profugi ſedibus incertis uagabãtur. Ad hæc quid cognatius quã
quod uterq; & Poeta, & Hiſtoricus affert in medium cauſas, ediſ-
ſeritq́; rationes ante quàm enarrare quam ſcribẽdam ſuſcepit rem=
incipiat. In ipſo Virgilius initio explicat errorum ac laborum Ae=
neæ cauſas, ac Iunonis irarum.
» Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni
Carthago. – Vſq; ad eum uerſum,
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
» Et Liuius. Odijs propè maioribus certatum eſt quã uiribus, Romanis
» indignantibus, quod uictoribus uicti ultro inferrent arma, Pœnis
» quod ſuperbe, auareq́; crederent imperitatum uictis eſſe, quæq; alia
» de Annibalis indignatione referuntur, ob Siciliam, Sardiniamq́;
amiſſas. Idem quoq; indicant deſcriptiones locorum, gentium, morũ,
legum. quod & ipſum Salluſtius docuit, cum dixit,
» Res poſtulare uidetur, Africæ ſitum paucis exponere, & eas gentes,
» quibus cum nobis bellum aut amicitia fuit attingere. Et Virgilius,
» Eſt locus Heſperiam Graij cognomine dicunt
» Terra antiqua, potens armis, atq; ubere glebæ.
» Quid autem ſolutæ poeticæ tam ſimile, quam Liuianum illud? Eaq́;
» uti rata ſcirent fore, agnum leua manu dextra ſilicem retinens, ſi
» falleret Iouem cæterosq́; precatus Deos, ita ſe mactarent, quemad-
» modum ipſe agnum mactaſſet, & ſecundum precationem caput pe-
» cudis ſaxo eliſit. Quid tempeſtatis illa nimbiq́; explicatio? Deinde cũ
» iam ſpiritum includeret, nec reciprocare animam ſineret, auerſi à
» uento parumper conſedere. Tum uero ingenti ſono cœlum ſtrepere,
» & inter horrendos fragores micare ignes, capti auribus, oculis, metu
» omnes torpere. Nam quid per Muſas o' uiri optimi ex omni eſt parte
» magis illo poeticum? Ex propinquo uiſa montium altitudo, niuesq́;
» cœlo propè immiſtæ, tecta informia poſita in rupibus, pecora, iumẽtaq́;
» torrida frigore, homines intonſi, inculti, animalia inaĩaliaq́; oĩa rigẽ
» tia gelu, cætera uiſu quam dictu fœdiora, utq́; poeticũ omnino poſſis
» dicere, heroicis etiã numeris res ipſa clauditur, Ingentẽq́; fugam ſtra
» gẽq́; dediſſent. Fuit enĩ oĩno poeticus Liuius in toto trãſitu in Italiã
Annibalis deſcribẽdo, & cum ipſe tum uiros equosq́; tranſeũtes Rho
danum deſcribit, ingenti ſono fluminis, clamore uario nautarum,
ac militum, & qui nitebantur prorumpere impetum fluminis, et qui
ex altera parte ripæ tranſeunteis ſuos hortabantur, Tum etiam ele
phantes, qbus primus erat pauor, cũ ſoluta ab cæteris rate in altum
raperentur, ibi urgentes iter ſe, cedentibus extremis ab aqua, trepida

tionem aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circunspicientibus aquam fecisset. Animaduertite adhuc quæso, quibus Annibal milites affatur uerbis. Mirari se qui nam pectora semper impauida repens terror inuaserit, nullas profecto teras cœlum contingere, coli alpes, gignere atq; alere animantes, eos ipsos quos cernant, non pennis sublime elatos, alpes transgressos, ne maiores quidem eorum indigenas, sed aduenas Italiæ cultores ingentibus sæpe agminibus cũ liberis, ac coniugibus migrantium modo, tuto transmisisse. Romam orbis terarum caput petentibus, quicquam adeò asperum atq; arduũ uideri, quod inceptum moretur? Quid cum ait? Equi maxime infestum agmen faciebant, qui & clamoribus dissonis, quos nemora repercussæq; ualles augebant, territi trepidabant, & icti forte aut uulnerati adeo consternati sunt, ut stragem ingentem simul hominũ, ac sarcinarum omnis generis facerent. Quid etiam? cum cædendum esset saxum illud, arboribus circa immanibus deiectis detruncatisq; struem ingentem lignorum faciunt, eamq; cum & uis uenti apta faciundo igni coorta esset, succedunt, ardentiaq; saxa infuso aceto putrefaciunt, Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntq; anfractibus mollibus cliuos. His haudquaquam grandiora plenioraq; apud Virgilium leguntur, ubi Aeneam ab Antandro in Italiam deuehit, per tempestates, scopulos, Harpyiarumq; portenta, ac Cyclopum, ne cum ipse quidem ait,

Vastumq; caua trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undiq;, & undiq; pontus. Aut cum,
Tristius haud illis monstrum, nec sæuior ulla
Pestis & ira Deũm Stygijs sese extulit undis.
Virginei uolucrum uultus, fœdissima uentris
Proluuies, uncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.—
Ne'ue, cum intonat,
Hæc loca ui quondam & uasta conuulsa ruina
Tantum æui longinqua ualet mutare uetustas,
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraq; tellus
Vnà foret, uenit medio ui pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaq; & urbes
Litore diductas angusto interluit æstu. Aut cum,
Horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem

" Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
" Attolitq; globos flammarum, & sydera lambit.
" Interdum scopulos, auulsáq; uiscera montis
" Erigit eructans, liquefactáq; saxa sub auras
" Cum gemitu glomerat, fundoq; exæstuat imo. Quid qđ hic idē Liuius quasi gēmis qbusdā, nūc uerbis oīno Poeticis, nūc figuris ac numeris isignit orationē, atq; illustrat historiā? ut cū ait, Anceps Mars. Et, Agitare animo bellum. Et, Tela micare. Et, Dempto hoc fulgure nominis Romani. Et, Circunferebant ora oculosq;. Et Pandi agmen cœpit. Et, non manes, non stirpem eius conquiescere uiri. Et, Hunc iuuenem tanquam furiam facésq; huius belli. Et, Inde equitum certamen erat. Et, Hæc ubi dicta dedit. Et, Cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. Ex his itaq; perpaucis, quāquam uideri hæc ipsa multa quidem testimonio atq; authoritate possunt sua, satis tamen ut arbitror factum est ei parti, quam probandam suscepi, haud male sensisse eos scilicet, qui historiam censeant poeticam quasi quandam esse solutam. Quo circa quod cum uoluntate & gratia Pudericæ fiat tua, horūq; omnium, qui dicente me uel mussantem potius audiere tam attente, &, ut uideo, tantum præseferunt audiendi studium, ad ea iam transeamus, quæ à me potius obseruata quidem sunt, quàm quod ea præcepta quasi quædam, institutaq; scribendæ historiæ existimari uelim aut ex me ipso profecta, & tradita. PV. Et me hoc Altili uolente feceris, & his ipsis qui tam intente, atq; auenter audiunt, præcipue cupientibus. Cæterum Marcus Cicero locuples nobis author esse potest, Poetas alia quadam lingua locutos, Itaq; uidendū ēt atq; ēt relinquitur, si Poetæ alia quàm quæ Oratoris propria est locuti sunt lingua, quonam modo historia poeticæ erit quasi cuiusdam solutæ similis? Locus igitur expurgandus hic tibi prius est, scrupusq; Altili excutiendus, nisi forte post habito Cicerone, Liuius tibi unus satis futurus est ad hæc & credenda, comprobanda. AL. Et Liuij testimonio contenti esse unius possumus, & Cicero minime est abijciendus, uir ad omne genus eloquentiæ genitus naturte ipsius munere, atq; ipsius Liuij magister. & doctor. Ac tute quidem ipse meminisse potes Ciceronē exigere maius qddā in historia, q̄ quod in Annalibus Pōtificū, aut in Fabij, Antiatis, Cælij, ac Sisennæ scriptis appareret. Nam de Sallustio omnino nihil, siue quod post Ciceronis obitum historias is scripserit, siue propter simultates, quodq; ille ipse uiueret, silentio eum præterijt. Ipsum igitur illud maius qđ à Cicerone desyderatur, præstitere postea eorum studia, q Poeticæ ornamenta, et cultum sibi ante

oculos posuerunt scriptitandæ historiæ, nō uerba qdē confragosa illa, et ꝑquā glutinata inter se, theatris apta, nō Senatui, ut Fericlaues postes, ut Hastas belliferratas, ut Spumiuomos fluctus, ut Fluētisona litora, ut talia hæc gignendæ ꝑmultæ admirationi inuēta. Sed magnitudinem Poetarum, sed uarietatem, descriptionesq́; locorum, ac gentium, sed euagationes, amplificationes, digressiones, ornatum, decorumq́; illud præcipue, cui Poetæ in primis uidentur inseruire. An quæso tranandus erat Annibali Rhodanus sine strepitu, clamore, tumultu nautarum, ac militum, sine pauore, et consternatione elephātum, sine casu deniq; unius atq; alterius in amnem è rate beluæ? Videlicet trajicendæ erant Alpes sine tempestate, sine nimbis, frigoribusq́;, non frangendum erat incendio prius, insperso post aceto putrefaciendum saxum illud immane, tantis copijs, tamq́; excellenti duci obuium? non adeundum promontorium illud immane, cœlo proximum, omnis è quo despiceretur Italia, in cuius uertice consitutus Annibal suos cohortaretur, Romamq́; orbis caput illis ostentans diripiendam magnifica etiam oratione obijceret, offerretq́;? Hoc sibi uult igitur solutæ poeticæ similis historia, hoc desiderabatur à Cicerone, hac caruerunt laude et dignitate Cælius, Antias, Sisenna. Ac mihi quidem uidetur Herodotus Poetarum in scribendo instar habuisse, dum contemptis qui ante se scripserant historicis, magnitudinem assecutus est illam & uarietatem, & ornatum, et cultum à Cicerone desyderatum. Et qui dicit Poeticam picturæ esse similem, nū ideo dicit, aut illud sentit, quod Poeta usurus sit coloribus, quibus pictores utantur, adumbrandis, atq; informandis rerum imaginibus? Quin de uarietate loquitur, de collocatione, de dignitate, uenustate, informatione, habitu, quibus in effingendis rebus Poetæ pictorum more, atq; ad illorum exemplum uti debeant. Nec uerba quoq; non sibi à Poeta quandoq; mutuabitur diligens rerum scriptor, pudenter tamen, ac tenerrimo cum delectu, ui cum dixit Sallustius, Tuba hosticum cecinit. Et, Tela utrinq; uolare. Et, Strepitus armorum ad cœlum ferri. Et, Fors omnia regere. Non'ne descriptio illa Africæ mera est & soluta Poetica? Mare sæuum, importuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arboribus infœcundus, cœlo, teráq; penuria aquarum, genus hominum salubri corpore, uelox, patiens laborum, plerosq; senectus dissoluit, nisi qui ferro, aut bestijs interiere. An ne tibi Virgilianum illud uideatur aliud, nisi quod solutum non est?

» Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
» Deferimus, sæuoq́; gelu duramus, & undis.

Venatu

» Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant.
» Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
» At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus
» Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
» Omne æuum ferro teritur, uersaq; iuuencum
» Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
» Debilitat uires animi, frangitq; uigorem.
» Canitiem galea premimus, semperq; recentis
» Conuectare iuuat prædas, & uiuere rapto.

» Quid cum paulo post idem ait, Africam in initio habuere Getuli &
» Libyes asperi incultiq;, quibus cibus erat caro ferina, atq; humi pa
» bulũ uti pecoribus. hi neq; moribus, neq; legibus, aut imperio cuius-
» quam regebantur, uagi, palantes, qua nox coegerat, sedes habebant.
» Quid magis Poëticum dicas, nisi quod Poëticis absq; numeris? Age
» quæso & aliud, Erat inter ingenteis solitudines oppidum magnum
» atq; ualens, nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys memora-
» batur, eius ciues apud Iugurtam immunes, leni imperio, & ob ea fi-
» delissimi habebantur, muniti aduersum hostes non mœnibus modo
» & armis atq; uiris, uerum etiam multo magis locorum asperitate,
» nam præter oppido propinqua, alia omnia uasta, inculta, egentia a-
» quæ, infesta serpentibus, quorum uis sicuti omnium ferarum, inopia
» cibi acrior. Ad hæc natura serpentium ipsa satis perniciosa, siti magis
» quam alia re accenditur. Descendit Crispus Romanæ, ut putant,
» pater historiæ, descendit inquam ad serpentes, atq; illorum naturam
attingit, quæ siti, æstuq; maxime incendatur. Ne hoc mea quidem sen
tentia minus poëticæ, perite, ornate, quàm à Virgilio illustre illud de
Asilo,

» Est Lucos Silari circùm, ilicibusq; uirentem
» Plurimus Alburnum uolitans, cui nomen Asilo
» Romanum est, œstrum Graij uertere uocantes,
» Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
» Diffugiunt armenta.

Libentissime quoq; ac peringenue Sallustius uerba, figurasq;, nume-
ros item à Poëtis mutuatus est, ab illis presertim, qui Annales scri-
» psere, ut cum ait, Signum tuba dat. Et, Ignoto atq; horribili sonitu
» repente exciti. Et, Iamq; dies consumptus erat. Item, Et sane Ma-
» rius illoq;, alijsq; temporibus. qui si, diebus, dixisset, senarium inte-
» grum heroum apte, canoreq; fudisset. Illa uero quantopere heroica,
» Spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi,

» capi, postremo omnia, qua uisus erat, constrata telis, armis, cadaue-
» ribus, & ea inter humus infecta sanguine. Nesciam tamen quonam modo minus hæc extant in Sallustio, nec tam apparent, atq; exposita sunt, quam in Liuio, ut alter quodammodo præseferre uelit artem, Poeticæq; imitationem, alter celare eam, ut tanquam in nubecula delitescat. Et uero Oratoria ipsa quamuis sit à Poetis numerositatem illam generosam, ac dignitatis plenam, ut à primis eloquentiæ cultoribus mutuata, antiquissimisq; dicendi magistris, cum primis tamen rerum gestarum scriptores ea seq; , resq; suas fecere magnificas, ut interdum generositas illa eorum sermonis uideatur solis pene è numeris constare, in ijsq; tantum consistere, ut cum ait Liuius. Nã neq;
» ualidiores opibus ullæ inter se ciuitates gentesq; contulerunt arma,
» neq; ijs ipsis tantum unquam uirium, ac roboris fuit, & haud igno-
» tas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello. Quid his numeris plenius, dignius, addo & generosius? non minus
» tamen Latine, & haud minore cum ornatu dicentur & copia, siquis
» dixerit, Nam neq; ualidiores opibus ullæ inter se ciuitates, gentesq;
» arma contulerunt, neq; in ijs ipsis tantum unquam uirium fuit, ac ro
» boris, neq; ignotas belli artes inter se, sed expertas primo bello Pu-
» nico conserebant. Verũ subtractis ijs spondeis, & numeris commutatis, omnis illa generositas nescio quomodo interit, deciditq; oratiõis superalium. Atq; his quidem numeris excellit in historia Liuius, & tanquam inter alios exultat. Ne te igitur animi dubium Cicero, aut minus tibi te in hoc constantem faciat, quod Poetas alia lingua usos dicat, scrupulum excute omne, atque ex animo eijce, deq; forensibus illum actionibus, haud de historijs locutum tibi persuadeas uelim. Nam & à Roscio illo motum, gestumq; discendum oratori ad imitandum in agendo ubi causa ipsa exigat, non uideatur esse Ciceroni alienum, nec inficiabimur tamen græcos Poëtas, Oratorijs à uerbis, ac dicendi figuris, quàm nostros multo abesse longius, uideriq; alia quasi quadam lingua locutos. PV. Et perpurgatus est hic à te Altili locus, sentesq; excisæ sunt omnes, & euagari iam tuto potes certis, minimeq; labentibus uestigijs neq; uerendæ offensiunculæ, cum libera à scrupis ipsis sit uia. COM. At ego passurus minime sum Altili euagari te ulterius, exultareq; extra præscriptos fines, cumq; sis ipse Grammaticorum Grammaticissimus, tui te oblitum non præferam, dum quæ princeps est disciplinarum omnium, ut historiæ satisfacias, è iure, authoritate, finibusq; pene eijcis. Grammaticã suis. Habenda est igitur & tibi & nobis omnibus qui hic as

sumus illius ratio, conseruandus'q; ei debitus in differendo locus, Antoniana lege hoc ipsum sanciente. Etenim idem ipse Cicero Axillã ait factum esse Ahalam, fuga litere uastioris. Quid (malum) si uastior. X'. est litera, si elementum minime simplex, in multis ea cur abutimur? Cur qui Græce est Ὀδυσσεὺς, fuit'q; apud priscos Latinos Vlysseus. duplicata. S'. litera, factus est nunc à quibusdam Vlyxes? Cur à sessu hoc est sessione si fiat Sexus, quod sedendo, ut quidam uolunt, occulatur pars ea corporis nostri quæ est obscœnior, literas non retinuit suas? neq; enim. X'. refert. S'. duplicatum, sed tum. C'. S'. tum etiam. G'. S'. Scimus omnes per antiquam fuisse dictionem Pessum, à qua dicti pessuli, quasi pedessum à calcandis pedibus, unde pessundare, datum'q; uerbum ipsum opprobrio atq; ignauiæ, de'q; conformatum nomen Pessimus, cur sonum eius euastant. X'. litera accepta? A magno deduxere primi illi magnior, & magnissimus, quæ uoces postea contractis dictionibus, ac subductis literis fuere maior & massimus, cur passæ sunt aures doctissimorum hominum audire tam diu X'. literæ uastitatem? nam si à massa deductum sit nomen maximus, idem erit abusus, cum Massa dicta sit à magno, ea'q; fuerit in initio Magnissa, uel græco modo Maza? Cur Elixare? nam à liquo liquas principio fuit liquasso, ut à leuo leuas leuasso, post subtractis literis Lisso, & Elisso, cur inquam & in his uasta assumpta est, atq; asperius sonans litera? Cur in his quoq; Palus, uelum, paulum, talus, mala. L'. mansuetioris literæ loco, accepta uastiore, abusu ex illo, Paxillum, Vexillum, Pauxillum, Taxillũ, ac Maxillã dicimus? Quando concentus ipsius suauitate capiantur aures, mulceatur'q; audiendi sensus etiã concidendis quibusdam, atq; decurtandis uocibus. fuit primum à sistendo, sistlocus, post stlocus, factus est postremo Locus, repudiato confragoso sonitu. Eadem deductione & uia à sistendo sistilitis, quod sistendum esset in iudicio ad prætorem, inde fuit stlitis, post litis, ultimo Lis, perconcinne quidem, & commode. An non initio, humani oris pars inferior, qđ loquentibus, atq; edentibus, aut etiam hiantibus nobis moueretur, dicta est mouimentum, quæ postmodum fuit Mentum? Quid autem mirum in sono & literis factam esse ruinam? quando in significationibus quoque ipsis haud secus contigerit, neque recentioribus tantum seculis, uerum etiam & priscis. Etenim dictionibus his amabilis, nabilis, flexibilis, uulnerabilis, reparabilis, flebilis, reuocabilis, aptitudo quasi quædã inest ad patiendum, uel innata potius uis quædam apud Latinos homines, non dubitauit tamen Virgilius populo ut morem gereret etiam

aberranti, dicere Penetrabile frigus, quod uim habeat penetrandi. Non alij Poëtæ, Telum exitiabile, quod exitium afferat, non scriptores alij, quibus minus concessum est decedere è uia. Itaq; passim audias, risibilem hominem, hinnibiles equos, sensibile animal, deflexa ad agendum à patiendo significantia, quamuis postremum hoc Lucretiana authoritate non careat. At contra miramur in Virgilio, Incana menta, & Incuruum aratrum, quod in his. In suam augeat significationem, ac si non & Cicero dixerit Infractum, ut qui uehementer esset fractus. Quæ quidem uox, ut nomina omittam, compāgendis, atq; ineundis uerbis augere solet nō imminuere, affirmare non inficiari. Id'q; licet uidere enumeratis uocibus, quacunq; à litera incipientibus, Inhabito, inambulo, imbibo, imbuo, incido, incutio, indo, induco, inhæreo, inest, influo, infero, ingero, ingluuies. est enim Ingluuies à uerbo īglubo, inhio, inijcio, illido, illudo, immitto, immuto, innatus, innato, inolesco, inhorreo, impello, impingo, inquino, inquiro, irruo, irretio, instillo, instruo, intego, ītorqueo, inuro, inuenio, inuado. Quid tu Summonti deffesso mihi enumerandis his nō affers suppetias? non & ipse grammaticæ locum tueris? SVM. Equidem ego illud ubiq; & sensi olim, & hodie quoque sentio, literatores nostros aberrasse non parum ab antiqua enuntiatione et sermone, concedēdum tamen in plurimis esse populo? usum'q; in multis sequendum, potius quàm rationem aut artem, quippe quæ nata sit ab obseruatione. Atq; deuasta ut litera dicam quod sentio, ea elementum minime simplex est, uerū conglutinatio quædam, atq; ad imminuendū in scribendo laborē inuenta, nam initio cum fuisset in primo casu calcis, lancis, arcis, ut plebes, ut scrobes, ut trabes, quæ nunc sunt Plebs, Scrobs, Trabs, post subtracta litera. I'. mansere calcs, lancs, arcs, inde inuēta noua est figura, quæ una duarū subiret, & uicem literarū, & locum, scribiq; cœptum, Calx, Lanx, Arx, Et quoniam in hunc sermonem incidimus, repetam hac in parte pauca quædam, & si fortasse remotiora, neq; iniucunda tamen, neq; aliena ab umbratili hac, æstiua'q; confessione nostra. Sermo cœpit primum noster ab incultis, et rusticanis, immo agrestibus ab hominibus, ut'q; eorum erāt res inopes, angustæ, egenæ, sic quoq; sermo ipse inops, minime'q; affluens, uerborum'q; perpaucorum, ac sine ullo prorsus eorum excolendorum studio, & cura. Crescentibus post artibus, atq; hominum rebus, actionibus'q;, quod sermo esset ipse & componendus, & maturandus, fractæ sunt præcisiones tum syllabarum, tum literarum non ab ipsis modo uocum principijs, uerum etiam desinentibus à

syllabis. Principio enim constitutiones, formæq; appellationum haud quaquam fuere, quales nunc sunt, finalibus præsertim literis. Nam quæ sunt hodie, Fex, Grex, Dux, Rex, Emax, Vendax, Fallax, Minax, fuere primis illis seculis in casu nominante fecis, gregis, ducis, regis, emacis, uendacis, fallacis, minacis, amputatis, contractisq; post literis, decurtatæ terminationes sunt, utar autem Ciceroniano uerbo. Quâ è re id etiam secutum, ut figura hæc, quod dixi, duplex quidẽ ea sit inuenta minuendi laboris gratia, scriptumq; fex, grex, dux, rex, emax, uendax, fallax, minax, quæ uoces prius habuerant. cs. aut. gs. Ex cultioribus enim seculis contraxere Adeps, quod nomen ante adepis fuerat, & Abs, cuius postea locum subijt. Ab. et Ex. cuius loco & uice. E. utimur. & Ast, pro quo quibusdam magis placuit. At. quod sonus ille esset uastior. Quid? quod Donicum fuit, quod nunc est Donec, Sedum, quod est Sed, Sice, quod est sic, Etiam pro quo, Et, Sat quoq; quod fuerat Satis, Lac, quod lacte, Tribunal, quod tribunale, Animal, quod animale, Sal, quod salis, Nil, quod nilum, Far, quod farre. Quid quod forsit pro forsitan, quo non Horatius modo popularibus in sermonibus, sed Propertius in amatorijs ẽ usus, cum dixit.

" Iste quod est ego sæpe fui, sed forsit in hora,
" Hoc ipso eiecto carior alter erit.

Nec uero primarum tantum atq; ultimarum siue literarum, siue syllabarum factæ sunt amputationes, dum aut breuitati consulitur, aut suauitati, uerum à medijs quoq;. Quid nam quæso nunc est Taberna nisi quod olim tabulerna? facta literarum subductione. Quid Venter nisi uehenter? quod se implendo euehat, uel quod uehat in cibum absumpta, unde uentrem exonerare dicuntur, qui excrementa eijciunt, quid Vultus, nisi uoluntus? quod animi uoluntatem indicet, quid Lautus nisi Luatus? à sorde scilicet liber, atq; extersus, quid Coxæ nisi coissæ à coeundo, uel in ipsa libidine uel quod hinc, illincq; coeant ad obscœnas partes, uehendo corpori? Iam uero Fortuna à ferendo dicta & mutatis & subtractis literis, quasi ferentuna, tera Pulla, quasi puluilla idest resolubilis & in puluerem uersa, qualis est tera Campana, ut ait Columella, quæ nequaquam nigra est, ut quidam perperam arbitrantur, sed resolubilis, et putrida, quæq; sæpius arata in puluerem abit. Est & Columna à columine, quæ fuit columina, & à pascendo Pabulum, quod fuit pascibulum, & Panis pascinis, & Pasta panista, & Vinum à uite uitinum, et Vinea uitinea, et à ferendo Ferculum ferículũ quod in pom

pis ferantur fercula. Poculum item potaculum, Flumen fluimen, Teg
men tegimen. Semen ſerimen, Diſcrimen, diſcernimen, nam proſa quid
eſt aliud quàm promiſſa oratio? An quæſo Meditari eſt aliud quàm
in medio itinere aliquid itando aut agere, aut cogitare, qđ eſt occupati
animi, aliudq; quàm iter agitantis? Quid eſt etiam aliud Fœnum,
niſi fouenum, quo ſcilicet foueantur animalia hieme, quid Fœtus niſi
fouetus, quod à matribus foueantur, retinentq; propterea diphthongũ
œ, nam in primo uerbo cum inſit litera. O. ſubtracta. V. litera, re-
linquitur. œ. An non Poſtes ſunt à poſitu quaſi poſites, ac Teſtis te-
cum ſto, aut pro te ſiſto, nam & teſtes ſiſtebant olim apud prætorem.
Tela non'ne texula, ut tegula, ut regula, Cliens non'ne coliens, quod
patronum utiq; coleret ſuum, è Romuli conſtitutione. Caſtra ſunt
qui putent à ſeruanda caſtitate dicta, ambitioſe ſanè, quippe quæ ſint
à claudendo, claudebantur enim uallo & foſſa. Sic & Caſteria lo-
cus in triremi, ſic etiam uallis illa Caudina, quod ſit undiq; clauſa
montibus, hodieq; ex eo uocatur Caudium, Sic quoq; & Caſtellum,
quod foſſa claudatur & muris. Erant etiam in aquarum ductibus
Caſtella, qđ in ijs aquæ concluderẽtur, unde poſt largius effluerẽt.
Atq; ut à dio Dies, ſic à gladio gladies, pro qua eſt Clades, fuitq;
ſtratages, pro qua eſt Strages, & ſtratagulum, pro quo Stragulum,
& ſtratamen, pro quo Stramen, quin etiam ſarriculum, pro quo Sar
culum, & nouiper, pro quo Nuper, & ſequeculum, pro quo Seculũ,
hoc eſt annorũ multorũ ſeries, ac ſequela, qua in uoce q diphthongũ
æ. ſcribũt, male omnino ſentiũt, neq; eni prima eius producitur quod
diphthongũ habeant, ſed qđ ueteres Poetæ geminauerunt in ea uo
ce literã. C. quemadmodum in religione & reliquijs. L. & in pro-
pagine. P. cum harum producunt primas ſyllabas, utq; Lucretius
reſſicit, & redducit. An quia quod imminutum fuit è literis, cum ſe
culum in initio fuerit ut dixi ſequeculum, adiectum ſit poſtea tempo
ri hoc eſt quantitati? quod in multis alijs eſt ſeruatum. Sed dies me de
ficiat ijs enumerandis. Sermonem autem quo utimur ab agreſtibus,
ac rudibus cœpiſſe hominibus, illud declarat potiſſimum, quod ple-
ræq; è primis illis impoſitionibus ſunt ruſticis incomptisq; à rebus
ſumptæ. Iam primum Palàm, Sæpe, E` ueſtigio, ruſticorum quidem
ſunt inuenta hominum, nam quod ſæpes ſpiſſa eſſent & denſa, dixe
runt ſæpe pro frequenter, indeq; & ſæpiſſus ſpiſſus. E` ueſtigio pro
ſtatim, quaſi non minus cito quàm è ueſtigio pes dimoueatur. Palàm
aperte, quod ſit aperta quidem, ac protenta pala, nihilq; cauum ha-
beat, aut complicatum, in quo latere quid collocatum poſſit. Nam pe

nes, ideſt in manu, atq; in poteſtate, fuit olim, quod quidem ipſe iura uerim, peneſt, accommodatum rudibus ab hominibus, ex aſinorum & iumentorũ caudis, aut manu prehẽſis, unde fuit Manucapio, aut capiſtro colligatis inuicem. Mos eſt enim alterum iumentum alterius caudæ illigare, ne digrendiendi illis ſit poteſtas, poſt uero detracta litera. T. manſit penes. Et cernere unde Decernere, & Certare, quæ ſenatoria ſunt, atq; imperatoria uerba, indéq; & Decreta, & Certamina, manauit initio à cernendis leguminibus. Et Serere, & Pangere ruris ſunt, arborumq́; & ſeminum, è rure tamen in urbem, aq; à ruſticis ad urbanos uenere, & Series rerum, & Sermo, & ſermocinatio, & Diſſero & Diſertus, & Pangere uerſum, & Pagina, & pagella. Quin etiam literarum Exaratio, quodq́; paſtores cogerent pecudes gregatim compaſcere nõ ſparſim, inde Cõpeſcere eſt continere, quodq́; uehendis ex agro in oppida & uicos rebus inſtanter darent operã, factum eſt ueheſtigo, quod erat tunc eandem uiam inſiſtere, eaq; ſæpius itare. Nam & uia initio fuit ueha, factum item eſt ueheſtigium, quæ nunc ademptis ſyllabis ſunt Veſtigo & Veſtigium, eaq; ab iumentis, atq; à curribus in ſcolas profecta, à Philoſophis etiam recepta ſunt, Atq; illis quidem ſeculis ſatis habebatur, quali res cumq; appellatione notare, nulla cum eſſet quantitatis, ac temporum, aut ſuauitatis cura, formandis uocabulis. Quam poſt & curam, & cogitationẽ primi Poetæ ſuſcepere, dum urbanitatis ſuſcipiunt patrociniũ, donec Senatus, ac fori maiores agitationes, atq; actiones peperere eam, quæ poſt dicta eſt eloquentia. Qua quidem in explicatione etſi latiſſimus mihi ſeſe offert campus, tamen quod & petenti ſubſidium Compatri uideri poteſt ſatis pro uirili factum eſſe, cum etiam breuis hæc refrigeratio fuerit Altilio noſtro non ingrata, & quod Puderici ſupercilium non eſt contemnendum, quem uideo Grammaticis non ſatis æquum, loquendi poſſeſſionem, tuumq́; ad continuandum de hiſtoria locum Altili, & uolens, & libens tibi reſtituo.

AL. Et refrigeratio ipſa fuit mihi pergrata, & te interim uetuſtiſſimas repetentem res iucundiſſime audiui. Nam & ex iis, quæ explicaſti principiis nata eſt hiſtoria, quæ rudis in initio ipſa fuit, ſine cultu, ſine copia, nulla adhibita artis induſtria, perexigua etiam naturæ. Quippe cum ea cura pontificibus tantum eſſet demandata, iiq; annis ſingulis quæ geſta eſſent, notabant, populoq; exponebãt cognoſcenda. Cui poſt & Piſo, et Fabius, et Cato non ita multum addidere ornamenti, ut generis ſcribendi eorũ magna fuerit à poſterioribus ratio habita. Ne multo qdẽ, q̃ horũ maior habetur à Cicerone Cælii,

nec Sisenna eius implet aures, quanq̃ uocaliorẽ is historiã fecit, cui ut Ciceroni ipsi uidetur, maiorem quendam Cælius sonum uocis addi disset. Ad hæc Sisenna parum libero ore locutus Sallustio uidetur. Cum sit historiæ è Ciceronis sententia prima illa lex, nequid falsi di cere audeat, deinde nequit ueri non audeat, nequa suspitio gratiæ sit in scribendo, nequa simultas. Atque hi quidem progressus Romanæ fuere historiæ ad Ciceronis usq; tempora. Nam de Græca illi uiderint qui Græce præcipiunt, De qua tamen & Cicero ea attigit, quæ satis esse Latinis nobis uideri possint. Itaq; his sic dictis me uobis reddo, siue admonens, siue innuens, pauca quædam, ut dixi, utq; sum pollicitus, potius quàm ut qui uideri uelim præcepta tradidisse.

P rincipio, ut natura ipsa rerum generationi consulens suo quodq; in genere perficere, ac consumare nititur, in alijs tamen aliud eius atq; aliud est propositum, sic dictio omnis, & scriptio eo spectat, ut bene consumateq;, et dicatur, et scribatur, alibi tamen hoc est forensibus in causis, ut consumate dicatur etiam ad persuasionem, alibi ad laudationem, approbationemq;, ut in eo genere, quod demonstratiuum dicitur, atq; in historia, cuius prima cum sit lex, neq; in gratiam loqui, neq; obticere odio uera, aut ea dissimulare, efficitur, ut laudentur quæ sint commendatione digna, suo quidem & loco, & tempore, utq; improbentur turpiter, atq; imprudenter facta, alterum sine spe, sine pretio, alterum sine simultate & metu. Ita uti & tuæ pariter, & illius, de quo suscepta est laudatio, famæ, honoriq; pudenter, ac modeste consulas. Nam qui pretio seruit, ac maliuolentiæ, ueritati quonam pacto studeat? Ac mihi quidem in laudando aut improbando uidetur rerum gestarum scriptor iudicis quasi cuiusdam personam debere induere, ne ab æquo & iusto illo recedat, quod est inter præmium, ac pœnam medium. Et quoniam res ab aliquo gestas, historicus sibi scribendas suscipit, primum uidere illud debet, quod dicendi genus sequi debeat, quod tale mihi quidem assumendum uidetur, quale est genus fusum, lene, æquabiliter incedens, neq; ita compressum, ut inops uideatur & languens, neq; adeo amplum, ut intumescat oratio, & uerba ipsa quodammodo exiliant, utq; incedat oratio, nõ saliat, aut titubet, sitq; incessus ipse non muliebris ac petulans, sed uirilis & grauis.

O mnium autem iudicio laudatur potissimum ĩ historia Breuitas, cum ea sit maxime idonea ad docendum, ad delectandum, ad mouendũ. Nam nec docere bene potest, qui loquaciter atq; ambitiose explicat. parit enim loquacitas ac diffluentia ipsa tum comtemptum, tum etiam

ſatietatem, quæ docilitati aduerſantur, ac delectationi. Nam quis omnino doceri uelit, moleſtia tædioq́; affectus, nec moueri & agi quo uolumus animus eius poteſt, male qui libenter aut audit, aut legit. Ad hæc nimius uerborum tractus, effuſiorq́; oratio, memoriæ quàm officiat, omnes uidetis. De quo natum eſt Horatianum illud.

Quicquid præcipies eſto breuis.–

Quo hæc igitur, aliaq́; uitentur in ſcribendo incommoda & uitia, danda erit opera, ut breuitas ipſa ſit aperta & clara, quæq́; apte colligat, non conciſe, lucide, non obſcure. Nam & Cicero in Thucydide, ac Phyliſto, qui illũ imitatus eſt, non probat eorum quaſdã ſententias, ut conciſas, ut non ſatis lucidas, quæq; contractione ſua officiant. nimioq́; acumine. Equidem hac in parte pudore capior quodam, dicam tamen quod ſentio ingenue, inter uos præſertim, diſſertiones illuſtres illas quidem & puras & appoſitas, eaſdem etiam graues & ſubtiles, ita tamen, nimio acumine ne officiant, non breues uocandas, ſed accommodatas potius, ſed & æquabiles & temperatas, Arbitrorq́; nomen hoc breuitatis inde ueniſſe in uſum uel potius in honorem, quod diffluentia illa & ſuperfluens collectio, rerumq́; aggeſtio ac uerborum tantopere improbaretur, ut eius contraria breuitas fauorem eo maiorem inuenerit. Sed non ſit nobis de uerbo ullo contentio, quod in Ciceronis ſonet ore, dum breuitas intellegatur eſſe appoſita ipſa quidem & uerbis ac ſententijs accommodatis, collectione ipſa, nec arcta nec peruagata, in qua perinde ut in agro bene culto, nullæ inſint ſentes. Quin eniteant in ea ipſa omnia, & uireſcant ſuo tempore, ſuo etiam & floreſcant & matureſcant. Hoc itaq; ſiue breue & appoſitum, ſiue æquabile atq; accommodatum dicendi genus, amplectendum eſt hiſtorico, Conſtetq́; appellatum breuitatem non quia conciſa & manca, uerũ quod multa complectatur, uerbis non ita multis, quæq́; pro rerum, ac ſententiarum complexu appareant etiam pauca. Hoc eſt igitur illud genus quod paulo ante diximus aſſumendum, fuſum, lene, æquabiliter defluens, neq; ieiunum, neq; intumeſcens, atq; corruptum. Etenim fuſa oratio conciſionem lõgius à ſe repellit obſcuritatis ſociam, ſibiq́; aduerſantem, atq; contrariã. Lenis, atq; æquabilis aſpernatur, reijcitq́; ab ſeſe contortus illos, ambitusq́; nimios, ineptasq́;, atq; aſperas uerborum collocationes, ſtrepitusq́; tum uocum, ac ſyllabarum, tum interruptos hiatus, ut quemadmodum ſedatus amnis feratur curſu tranquillo, nullis contortus gurgitibus, aut ſpumantibus obiectu ſaxorum aquis. Ieiuna uero, atq; inops illa, quaſi glarcoſus ager,

quem afferre fructum potest? quando quod laudandum suscepit, reddit contemptibile illud ac ridiculum. In breui autem hoc, & apposito dicendi genere, in repetendis antiquitatibus, in reuocandis memorijs, in describendis locis, in referendis consilijs, in enarrandis casibus, in prœlijs, uictorijs, cladibus memorandis, extollendis præclaris facinoribus, accusandis, ac deprimendis ignauis & perditis, iudicio uetustatis, magnus & clarus existit Sallustius, nam celeritate facile est princeps. In contionibus uero, habendisq; orationibus non idem uideo esse omnium iudicium, quasi parum habita ratione personarum, hoc est militum, populi, Senatus, ad quos orationes ipsæ habentur. ad hæc & scrabrosior in illis iudicatur, & concisior in sententijs, & contractus, ac nimium acutus apud quos minime deceat. Quibus autem (quod de eloquente ait Cicero, quod mirabilius & magnificentius quàm disertus, augebit atq; ornabit quæ uolet) quibus inquam mirabilior ac magnificentior magis placet oratio, ijs uitandum est dicendi genus insolens, affectatum, tumidum, quibus scatet uitijs Marcellinus, quo in genere scribendi Liuius profecto regnat. Quia uero exempla comparationesq; declarant maxime uirtutes, ac dicendi figuras afferam è Sallustio quos memoria teneo locos quosdam, tametsi quicquid dicit, simplex est & unum duntaxat, ut Horatianis utar uerbis. Loci erunt de ingenio
» Iugurthæ & moribus. Qui ubi primum adoleuit, pollens uiri-
» bus, decora facie, sed multo maxime ingenio ualido, non se luxui,
» neque inertiæ corrumpendum dedit, sed uti mos gentis illius est,
» equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare, & cum omnis
» gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad hæc pleraq; tempo-
» ra uenando agere, Leonem atq; alias feras primus aut in primis
» ferire, plurimum facere, minimum ipse de se loqui. Et alibi, Nam
» Iugurta ut erat impigro atq; acri ingenio, ubi naturam Publij Sci
» pionis qui tum Romanis imperator erat, & morem hostium cogno
» uit, multo labore, multaq; cura, præterea modestissime parendo, &
» sæpe obuiã eundo periculis in tantam claritudinem breui peruenerat,
» uti nostris uehementer carus, Numantinis maximo terrori esset, ac
» sanè quod difficillimum in primis est, & prælio strenuus erat, &
» bonus consilio, quorum alterũ ex prouidentia timorem, alterum ex
» audacia temeritatem afferre plerunque solet. Igitur imperator
» omneis ferè res asperas per Iugurtã agere, et in amicis habere, ma
» gis, magisq; eum in dies amplecti, quippe cuius neq; consilium, neq;
» inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi,

& ingenij ſolertia. Singula uerba res penè complectuntur ſingulas, ipſa quidem ita propria, ut nullo appareant modo conquiſita, Structura illaborata, curſus fluens, ac ſedatus, ſonus lenis, auribus maxime gratus, nihil deniq; quod artem præſeferat, Cum tamen oia ſint ex arte, quodq; de Amphionis cithara, murisq; Thebanis in fabulis dicitur, & uerba, & res ſponte ſua ac natura duce in unum confluunt. Referam & Liuianum de Annibale locum. Nunquam ingenium idem ad res diuerſiſſimas parendum, atq; imperandum habilius fuit. Itaq; haud facile diſcerneres, utrum imperatori, aut exercitui carior eſſet, neq; Aſdrubal alium quenquam præficere mallet, ubi quid fortiter, ac ſtrenue gerendum eſſet, neq; milites alio duce plus confidere, aut audere, plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilij inter ipſa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus uinci poterat, caloris ac frigoris patientia par, cibi potionisq; deſyderio naturali non uoluptate modus finitus, uigiliarumq; ſomniq; nec die nec nocte diſcriminata tempora. Id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum, ea neq; molli ſtrato, neq; ſilentio arceſſita, multi ſæpe militari ſagulo opertum, humi iacentem intra cuſtodias, ſtationesq; militum conſpexerunt. Veſtitus nihil intra æquales excellens, arma, atq; equi conſpiciebantur. Equitum peditumq; idem longe primus erat, princeps in prælium ibat, ultimus conſecto prælio excedebat. has tantas uirtutes ingentia uicia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil ueri, nihil ſancti, nullus deûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio. Iudicare his præſertim è locis planè poteſtis, in Salluſtio maius eſſe breuitatis eius, de qua loquimur ſtudium, in hoc altero rerum adiectis uerbis augendarum. Illi curæ eſt proprie, ſimpliciterq; expreſſa res, huic arceſſitum, atq; extrinſecus allatum aliquid tanq̃ excolendæ formæ. Et lenis & fluxu tantum ſuo incitus placet Salluſtio decurſus, At Liuio altior paulo, nec tam aliquando ſedatus q̃ plenus ac perſonans, Ille in id intendit, ut natura uideatur duce loqui, hic ut naturæ bonis attuliſſe ex arte induſtriaq; uideri uelit adminiculum. Vtq; alter ille uirili & Senatorio inceſſu graditur, ac pro loco & ſiſtit interdum gradum, & tanquam proſpectat longius, meliturq; loca ſingula. Sic alter hic & geſtit quandoq;, & uiribus ſuis lætus exultat, præfertq; robur & artis, & ingenij. Declarat hoc manifeſtius Lucij Catilinæ de uirtutibus & uicijs deſcriptio. Locus tamen ille Liuiano huic haudquaquam ſatis ſimilis. Verum de ijs ſit ſuum cuiq; iudicium.

Quoniam igitur, ut Cicero maximus dicendi author sentit, pura, & illustris esse debet breuitas, atq;, ut nos dicimus, aperta, & clara, puritasq; ipsa et claritas uersentur tum in sententijs, tũ in uerbis, è quibus constat orationis contextio, nimirum omni studio fugienda est obscuritas, loquendiq; perplexio, ac dubietas. Euitabuntur autem uitia hæc, si uerba ipsa bene fuerint collocata, eaq; non rancida, non obsoleta, non putida, minimeq; anapitia, cursus non contortus, non uerticosus, non lubricus, non concisa, aut quasi in uoluolum complicata, ut rustici loquuntur, textura, non spinosa sensa, uerum series ipsa fusa & tracta. Quarum ubi rerum diligens habebitur cura, quasi fugatis nubibus, aperta apparebit ac serena breuitatis species.

Est breuitati coniuncta uel potius cognata Celeritas, adeo in historia laudata, eaq; existere absq; breuitate omnino neqt. De qua innuendũ est aliqd, ne partem hãc aut ægre feratis à me præteritã, aut parũ omnino animaduersam existimetis. Audite quæso studiosissimi uiri quæ à me dicentur, nequaquam tamen ut qui noui hausturi aliqd meo de fonte sitis, sed ut ab eo, q ea potius sit uobis in memoriã reuocaturus, de quibus sæpius eodẽ hoc in consessu non minus copiose, quàm diligenter est disputatũ. Differt itaq; à breuitate celeritas, quod breuitas quocunq; inesse in sermone, & oratione potest, celeritas nec ubiq; nec semper potest. Etenim breuis est oratio hæc, Vbi quenq;
» periculum cœperat, ibi stare. At si coniungas statim. Arma,
» tela, uiri, equi, hostes, atq; ciues permisti, nihil consilio, neq; imperio
» agi, fors omnia regere, Erit utiq; celeritas, cuius etiam persimilis est
» illa, Deinde ipse pro re ac loco sicuti è monte descenderat paula-
» tim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistræ alæ
» equitibus esse. Est igitur celeritas breuis & accurata siue complexio,
» siue collectio, conglutinatioq; complurium simul rerum, ac uerborũ,
» & quasi partium, quarum una quæq; per se prolata sensum perfi-
» cit, siue ea conglutinatio sit inconiuncta, & absq; copulatione ali-
» qua, ut quas supra posui, siue copulatione constet, ut hæc, Eodem tem
» pore imperator & aciem instruere, et hosti obuiam ire, & milites co
» hortari, et qd ficere quẽq; uellet imperare, neq; uoce neq; manu usquã
» deesse. Huius autẽ ipsius cõplexionis partes ac mẽbra interdũ singulis
» è uerbis constant. ut, Arma, tela, uiri, equi, hostes, atq; ciues permi-
» sti, interdum è pluribus, qualis ea, Nam uti planities erat inter
» sinistros montes, et inter dexterã rupẽ, octo cohortes in fronte cõstituit,
» reliquarũ signa in subsidijs collocat. Ex his Cẽturiones omnes electos
» et euocatos, præterea ex gregarijs militibus optimũ quẽq; armatũ in

primam

» primam aciem ſubducit. C. Manlium in dextra, Feſulanum quen-
» dam in ſiniſtra parte curare iubet, ipſe cum libertis & colonis pro-
» pter Aquilam aſſiſtit. Atq; hæc quidem ipſa celeritatis ſpecies minus
apparet, nec tam alliciat lectorem, nihilominus uarietas eſt quæ eam
condiat. Cõtra mirifice trahit ad ſe legentem, ubi partes ipſæ miſtim
» conſtituentur, & è ſingulis, & è pluribus uerbis. ut, Quibus rebus
» permota ciuitas, atq; immutata facies urbis erat, ex ſumma lætitia atq;
» laſciuia, quæ diuturna quies pepererat, repẽte omnis triſtitia inuaſit.
» Feſtinare, trepidare, neq; loco, neq; homini cuiquam ſatis fidere, neq;
» bellum gerere, neq; pacem habere, ſuo quiſq; metu pericula metiri.
» Accedat & altera compago. Adhæc mulieres quibus reipublicæ
» magnitudine belli timor inſolitus incæſſerat, afflictare ſeſe, manus
» ſupplices ad cœlum tendere, miſerari paruos liberos, rogitare deos,
» omnia pauere, ſuꝑbia, atq; delicijs omiſſis, ſibi, patriæq; diffidere. Vt
autem naturæ propria, ac peculiaris eſt uarietas, ſic ea ipſa præcipue
multum confert ad decorandam, magnificandamq; celeritatem. Quó
circa uidendum erit, ne idem ubiq; ſit eius tractus, ſed miſtus, & ua
rius, filumq; orationis non unum, uerum aliæ atq; aliæ partiũ textu
» ræ. qualis Salluſtianus ille locus. Poſtquam eo uentum eſt, unde à
» ferentarijs prœlium committi poſſet, maximo clamore cum infeſtis ſi-
» gnis concurritur, tela omittuntur, gladijs res geritur. Veterani priſti=
» næ uirtutis memores cominus acriter inſtare, illi haud timide reſi-
» ſtunt, maxima ui certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima
» acie uerſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs arceſſere,
» omnia prouidere, multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire, ſtre-
» nui militis, & boni imperatoris officia ſimul exequebatur. Itaq; neq;
» omnia eodem, aut ſemper filo contexenda ſunt, aut numerus uarian-
dus non eſt. Cuiq; etiam rei adhibendus eſt modus cunctorum enim
ſenſuum ſatietas mala, aurium uero multo moleſtiſſima. Fuit autẽ tan
tum uirtutis huius in Salluſtio ſtudium, uti diuinam illam appellare
nõ dubitauerit Marcus Fabius, alijs tamẽ multis et magnis uirtutibus
Liuium aſſecutũ, ſcilicet qđ ad hãc ipſam aſpirare minime potuerit.
Neq; tamẽ nos id aut ſentimus, aut dicimus, qđ eã ipſe Salluſtiano ſe=
qui more contenderit. Sũt enim et dicendi ſua ferrè cuiq; innata ſemi
na, ſicuti et appetẽdi, ſtudiorũq; cæterorũ. Eſt autẽ celeritas ipſa tum
grandiũ magnificatrix rerũ, tum ſubleuatrix humliũ, eadem effuſa
colligit, collecta nũc grauiter, nũc uenuſte pro materia digerit, quæ
multa ſunt, cogit in pauca, quæ rurſus pauca, ornat, inſignit, auget.
Ac perinde ut manus ad agendũ, pedes ad inãbulandũ, innitendũq;

multis pollent iuncturis, sic & ipsa celeritas suis articulis indefessa, indefatigataq; est. Atq; ut pedes etiã ipsi ad ducendas quandoq; seruiunt choreas, manusq; ad decorandam formã praeterquam quod pedes nati sunt ipsi ad incessuum labores, atq; ad ferendum onus corporis, manus fero ad robur, uiresq; exercendas. Sic ipsa quoq; adiuuat, confertq; celeritas ad comptum, ad hilaritatem, ad uenustatem, ad uarietatem deniq; comparandam, naturae profecto ipsius narrantis appositissimum ministerium. Quae Liuius dum quaerit, alia etiã uia ingressus, atq; profectus est. Cuius uiri multae profecto magnaeq; uirtutes extitere, tum exornandis atq; adaugendis rebus, tum ẽt complectendis, ac uariandis, ut nunquã illi aut res defuisse uideantur, aut ipse rebus defuerit. Deniq; ut nullus post Marcum Tulliũ extitit, qui aures impleuerit audientium in foro, in Senatu, in populo orator, actorq; causarum, Sic inuentus nec dum post Liuium est ullus, ex ore cuius in rebus bellicis terribilem dederit sonitum tuba, nec, ut uaticinor, ex alicuius ore datura est post multa etiam secula. Qualis igitur, & quae celeritas sit, iudicari ex ijs quae dicta sunt potest, etsi multa quoq; à me praetermissa sunt, quae quamuis minutiora, non exiguam tamen laudem afferunt scriptori. Comparatur autem, & constituitur ea tum uerborum, tum rerum copia. Oportet enim peruberem esse eam, perq; affluentem, cum necesse sit, multa, diuersa, uaria hinc atq; illinc apportata, & disquisita colligat, collectaq; quasi pleno è sinu effundat, ut quae mirabiliter quoq; inuenta uideantur. ueluti cum Sallustius (ut paulo ante retulimus) dixisset, Omnia pauere, non ante subiunxit, Sibi, patriaeq; diffidere. quod abunde fuisset per se plenum, quàm iniecisset, Superbia, ac delicijs omissis, quadam cum admiratione & audientium, & recitantium. Et Liuius mira etiam celeritate usus cum esset, in uirtutibus uitijsq; Annibalis exponendis, cum dixisset, Inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil ueri, nihil sancti nullus deũm metus. nullum iusiurandũ, quo maiora illa omnia faceret, tandem immo quasi è pectore erutum effudit, Nulla religio. Etenim celeritas quasi plenus et profundus amnis multa uehit, et tanquã aquarũ mole rotat, uersatq;. Vitanda tamen confusa, et inordinata permistio, eaq; euitabitur, si partes ipsae et quos dixi articuli, seperatim ipsi suis quiq; illustrẽtur atq; impleantur uerbis, si uerba apte, & planè explicent res, si loco & ordine subsequãtur suo, si numerorum quoq; recta habeatur ratio, si incessus ac cursus ipse minime, ut dici solet, pedem offendat. Quid uero hac ipsa Sallustiana copiosius, planius, tractius, aut deniq; numerosius? Ibi pri-

» mum inſueuit exercitus populi Romani amare, potare, ſigna, tabu-
» las pictas, uaſa cælata mirari, ea priuatim & publice rapere, de-
» lubra ſpoliare, ſacra profanáq; omnia polluere. Igitur hi milites poſt=
» quam uictoriam adepti ſunt, nihil reliqui uictis facere. Quippe ſe-
» cundæ res ſapientium fatigant animos, nedum illi corruptus moribus
» uictoriæ obtemperarent. Poſtquam diuitiæ honori eſſe cœpere, et eas
» gloria, imperium, potentia ſequebatur, hebeſcere imperium, pauper
» tas probro haberi, innocentia pro maleficentia duci cœpit. Igitur ex
» diuitijs iuuẽtutem ubi luxuria, atq; auaritia cum ſuperbia inuaſere,
» rapere, conſumere, ſua paruipendere, aliena cupere, pudorem, pudi=
» citiam, diuina atq; humana promiſcua, nihil penſi, nihil moderati
» habere, & quæ poſt ſequuntur. Erit igitur celeritas ut minime ſor=
deſcens, ac lutulenta, ſic undiq; ſibi conſtans, & conformata, ſuóq; lo=
co adhibita, integra partibus, iucunda numeris, curſu lenis, rotunda, conſtituta, magnifica, ac rerum plena, quemamodum piſcoſus, multorúmq; ac liquidarum aquarum fluuius. Locus autem uirtuti eſt huic maxime aptus, cum multa ſeſe offerunt, quæ breuiter ſint per tractanda, aut cum proſequenda magnifice, augendáq; oratione, aut ubi res per ſe ipſa uidetur exilior. Eſtq; & uerbis tum honeſtanda atq; extollenda, tum rebus locupletanda, atq; ſententijs, ijſq; extrinſecus allatis. Diximus de Breuitate, deq; coniuncta ei Celeritate, de illo item dicendi genere, quod hiſtoriæ uideatur accommodatum, & ſi non exacte, plura fortaſſe quam conſilium noſtrum fuerat, aut quam ab eo qui innuere atq; adumbrare tantum habeat, promiſſum initio fuerit, Quócirca progrediamur ad reliqua.

O mnino hiſtoria, ut Cicero putat, ac natura ipſa docet, partibus conſtat è duabus, hoc eſt rebus, & uerbis. Rebus autem ipſis eſt ordo adiunctus. agendis enim negotijs inſunt et quæ prius, & quæ poſterius ſint adminiſtranda. Rerũ enim, ac naturæ ipſius ordine, ut quædam præcedunt, ſic etiam ſequuntur alia. Ac de rebus quidem ipſis exiſtit enarratio. Verbis autem ſeries earum contexitur, quemadmodum è lapidum ſtrue ædificiorum fabricatio. Ordo eſt qui materiam omnem prudenter, ac recte diſſerit, ſeriémq; paſſim et uniuerſam informat, & ſingulas eius partes moderatur, ac digerit. Oportet igitur explicationem quidem ipſam eſſe ordinatam, quo ueritas minime confuſa, incertáue, aut indiſtincta appareat. Parit igitur ex ſeſe rerũ ordo eam quæ diſpoſitio & totius, & partium dicitur, cuius ea laus eſt, ut eius opera & cura, tanquam uno in corpore, omnia ſuo loco, ſuis partibus apte, proprie, decore, prudentérq; collocẽtur, terminitáq;

suis finibus totum ipsum partesq; ita simul uinciant inter se, atq; connectant, ut in unum coacta decenter consentiant, existatq; uniuersi species tum honesta & grauis, tum blanda & cum dignitate. Habebunt igitur ordo pariter ac dispositio rationem non rerum modo distribuendarum suis in locis, uerum suo quoq; tempore. Cuius spatio & ambitu cuncta comprehenduntur, consistuntq; quae sunt uniuersa. Et quoniam actio omnis, geriturq; atq; administratur quodcunq;, id aliquã ob causam susceptum est, Causae nãq; ubiq; antecedũt rerumq; suscipiendarum fines, oportet rerum scriptorem causarum ipsarum, ac finium cum primis esse memorem, certumq; earum, ac uerum expositorem. Quibus exponendis summum est ab eo adhibendum studium, maximeq; diligens cura. Quodq; causis ijs quae propinquae quidem sunt, aliquid tamen sese quandoq; ostendit antiquius, huius quoq; tanquam principij, nobiliorisq; originis facienda est repetitio. Antiquitasq;, atq; obliteratio ipsa in memoriam reuocanda, et tanquam exponenda in lucem. ut cum Sallustius, quo Micipsae Regis consilia magis magisq; in aperto poneret, Numantino usq; à bello repetit, Vtq; ad Catilinae incepta progrederetur, suosq; per tramites, coepit repetere ab urbe condita, & quibus primo artibus ciuitas creuerit, & quibus etiam moribus corrupta post iuuentus fuerit, quae corruptio Catilinam ad ineundam coniurationem & traxit, & perpulit. Ipsis autem causis suscipiendi siue negotij, siue belli coniuncta sunt consilia, & hominum qui agendum quippiam decernunt, sententiae, ac uoluntates, quae quod saepenumero sunt diuersae, exponendae eae sunt à rerum scriptore in partem utranq;. ut cum Liuius Hannonem alterius factionis principem inducit inpugnantem Carthaginensis Senatus sententiam de bello inferendo Romanis, creandoq; Annibale duce. Quo fit, ut quandoq; utriusq; patris, diuersorumq; consiliorũ authores, ac principes inducendi sint altercatim differentes in Senatu, quo sententiae ipsae clariores appareant, illustreturq; magis, magisq; historia, & lectores ipsi apertius doceantur de altercationum causis, consiliorumq; ac sententiarum diuersitate. quod seruauit Sallustius, cum & Caesarem inducit, & Catonem sentientes in Senatu contraria.

Suscepto autem negotio aut bello explicando (nam res gestae plerunq; sunt bellicae) duo statim coniuncta sunt, & pene dixerim agnata, descriptione sua digna, belli dux ipsius, atq; imperator, et uires atq; opes rei publicae, si tum ea magistratibus regitur, aut regis ipsius, ubi sub unius moderatione urbs Regnum'ue temperatur. Itaq; & Liuius ingenium,

uius ingenium, institutionem, moresq; describit Annibalis, Et Iugurtæ Sallustius, ac Catilinæ. Principum quoq; Senatus, & ciuitatis mores qui sint, quæq; instituta, aperienda fideliter, opes item, amicitiæ, societates. His accedit explicatio bellici apparatus tum terrestris, tum maritimi, Quales & quantæ utriusq; partis copiæ, Armorum genera, Equitum, ac peditum numerus, quæq; alia his annexa sunt, atq; à scriptoribus minime omittenda, ut præsagia, auguria, uaticinia, oracula, uisiones, sacrificia transfugia deniq;, atq; explorationes, legationes item, ac legatorum mandata, belliq; ipsius indictio, atq; in dicendi modus ac ratio. Non præterijt Annibalis insomnium illud Liuius, quo uastitatem Italiæ denuntiatam significat, Non Catilinæ epistolam Sallustius, aut Scipionis ad Masinissam, Non uterq; aut Martij uatis prædictionem Cannensi de calamitate alter, alter de imperio Corneliorum familiæ delendo in urbe Roma.

Post uero susceptas expeditiones, ac bellum iam indictum motumq;, quo aperta magis, magisq; sint quæ narrantur omnia, describendæ sunt regiones, loca, situs, qua ducendus exercitus, qua castra metanda, quibus aut campis, aut collibus bellũ administretur, Ordo etiam ipse ductandi aperiendus, ut cum legitur, triplici, aut quadrato agmine incedere exercitum. Flumina quoq; & montes siqui sunt, & illorum naturæ, & siquid in his dignum memoratu ac rarum. Erat
» inquit Sallustius, in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in diuisione
» possederat, flumen oriens à meridie nomine Mutul, à quo aberat mons
» fermè milia passuum uiginti, tractu pari, uastus ab natura & hu-
» mano cultu, sed ex eo medio collis oriebatur in immensum pertin-
» gens, uestitus oleastro, & myrtetis, alijsq; generibus arborum, quæ in
» humo arida, arenosáq; gignuntur. media autem planities deserta,
» penuria aquæ præter flumini propinqua loca. ea consita arbustis,
» pecore, atq; cultoribus frequentabantur. Quo igitur & lectorem do
» ceret, & delectaret, remq; ante oculos quasi uidendam exponeret, et
» situm omnem exequitur, & qui situs esset ipsius habitus, & quæ soli
» natura. Et Liuius. Tumulus erat, inquit, inter castra Minutij &
» Pœnorum, qui eum occupasset, haud dubie iniquiorem erat hosti lo-
» cum facturus. Eum non tam capere sine certamine uolebat Anni-
» bal, quanquã id operæpretium erat, quæ causam certaminis cum Mi-
» nutio, quẽ semper occursurum ad obsistendum satis sciebat, contra-
» here. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori, quia
» non modo siluestre quicquam, sed ne uepribus quidem uestitum ha-
» bebat, re ipsa natus detegendis insidijs, eo magis quod in nuda ualle

» nulla talis fraus timeri poterat. Et erant in confractibus cauæ rupes,
» ut quædam earum ducenos armatos possent capere. Horum uterq;
locū describit insidiarum gratia, aperitq; & locorum aptitudinem,
& ducum consilia, & quid uterq; imperator designasset animo. De
scribit Africæ situm Crispus, quo scilicet & situs ipse notus esset, &
qui amici, quiue inimici ex omni prouincia. Cum obsidionem etiam
castelli descripturus esset, licet ignobilis, tamen natura permuniti, si
tum ante eius exponit. Haud longe à flumine Mulucha, quod Iugur
tæ, Bochiq; Regnum disiungebat, erat inter planitiem mons saxeus,
mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto
aditu relicto, nam per omnia natura uelut opera, atq; consulto præ-
ceps erat, quem locum Marius quod ibi regis thesauri erant summa
ui capere intendit. Vrbium quoq; origines, gentiumq; primordia
procul repetita, quæ sint earum leges, qui mores, studiaq; haud exi-
guam historiæ dignitatem afferunt, & propter uarietatem ipsam,
& quod peruetusta atq; à memoria nostra longius remota uehemen
ter delectant. ut cum Sallustius Maurorum gentis initia ad Medos re
fert. Et Tacitus Iudæorum nationis antiquitatem commemorat. Qui
bus referendis magna cura, non minore prudentia opus est, cum eius
modi pleraq; aut incerta sint, aut fabulosa.

Necubi uero plura, quàm bellicis in rebus accidunt improuisa, inspe-
rata, non ante cogitata, præterq; opinionem, atq; consilium, eaq; ipsa
plena nunc terroris, nunc spei, modo gaudij, modo tristitiæ. Itaq; ca-
suum fortuitorumq; in his euentuum magna scriptori ratio haben
da est. Tempestatum quoq;, famis, frigoris, æstus, pestilentiæ, periculo
rum in faciendo itinere, in conserendis manibus. Item audaciæ metus,
temeritatis, suspitionis, insidiarum, falsorū rumorum, quæq; alia in
ter gerendum, atq; administandū bellum siue consilio eueniunt homi
num, siue casu. Ex his enim perspiciatur potissimum, qualis fuerit scri-
ptoris diligentia, atq; ꝑpensio. Attingenda ēt permulta, quæ nihil ta=
men susceptam ad historiā, uerum ut extrinsecus allata nouitate sua
pariunt & admirationem, & uoluptatem, suntq; condimentum qua
si quoddā, atq; ut peregrina uehementer afficiunt. Vt cum Sallustius
Iugurtino in bello quod solum susceperat scribendum, aliunde af-
» fert. Per idem tempus aduersum Gallos ab ducibus nostris. Q.
» Cepione, & M. Manlio male pugnatum. quo metu Italia omnis con=
» tremuit. Illiq; & usq; ad nostram memoriā Romani sic habuerunt,
» alia omnia uirtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute non pro glo
» ria certare. Et Liuius, cum belli Achaici aduersus Mesenen, parti-

culam sibi referendam assumit. Eius autem uerba sunt hæc. Cuius belli causam, & ordinem si expromere uelim, immemor sim propositi, quo statui non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohærerent rebus. Euentus memorabilis est, quod cum bello superiores essent Achei. Philopœmenes prætor eorum capitur, ad præoccupandam coroneã, quam hostes petebant, in ualle iniqua cum equitibus paucis oppressus, ipsum potuisse effugere, Tracum Cretensiumq; auxilio iradunt. Sed pudor relinquendi equites nobilissimos gentis ab ipso nuper lectos, tenuit. quibus dum locum ad euadendas angustias cogendo ipse agmen prebet, sustinens impetus hostium, prolapsus equo & suo ipse casu & onere equi super eũ ruentis, haud multum abfuit, quin exanimaretur, septuaginta annos iam natus, & diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, uiribus admodum attenuatus. Iacentem hostes superfusi oppresserunt, cognitum primum uerecundia memoriaq; meritorum haud secus quàm ducem suum attollunt, reficiuntq;, & ex ualle de uia in uiam portant. Quem quidem locum ita executus est Liuius, ut & funus referat, & honores pene diuinos in eum collatos dicat, & annum eum celebrem morte trium clarissimorum ducum Annibalis, Philopœmenis, Scipionis.

Iam uero cum sit homini data à natura oratio magna cum excellentia animalium cæterorũ, ipsorumq; hominum inter ipsos, Sitq; orationis propria uis mouere animos, & quo uelit flectere, nuncq; pro re ac loco, à metu trahat ad fiduciam, à dolore ad læticiam, ab otio, ac mollitie ad laborem. Eademq; fugientes retineat, irruentes impellat, dubitantes confirmet, huius esse memor rerum gestarum scriptor cum primis debet. Itaq; quoties res tulerit, imperatores ipsos inducet, nunc confirmantes suos in periculis, nunc excitantes illos ad ea obeunda, alias exortanteis, alias obiurganteis, & modo præmia proponenteis, modo admonenteis infamiæ, turpitudinis, seruitutis, mortis. Videntur enim eiusmodi allocutiones, quæ nunc ad multos, nunc ad singulos habentur decorare historiam, & quasi animare eam. In quibus quoties res ipsa tulerit, neruos orationis, atq; ingenij sui ostendet rerum scriptor. Nec solum quæ dicta fuisse referuntur ab imperatoribus, uerum etiam ea afferet quæ uerisimilia, quæq; dicenda, tempus, periculum, reiq; ipsius natura postulare uideatur. Vteturq; in increpando acrimonia, in excitando uehementia, in sedando lenitate, in impellendo contentione, in extollendis rebus proprijs, aduersarij deprimendis, magnitudine, ac linguæ suæ

aciæ, rerum ipsarum qualitates, ac ducum maxime personas secutus. Magnificant autem historiam conciones potissimum rectæ illæ quidem, ubi imperatores ipsi & loqui & agere introducuntur. ut quasi geri res uideatur. Adhiberi tamen debent suo & loco, & tempore, suumq́; ubiq; decorum retinendum. illa uero trita sunt, ante pugnam instruere aciem, indicare animorum habitum, nunc uictoriæ nunc cladis præsagum. Militum uel strenue in acie, uel ignauiter facta referre, Ducum solertiam, adhortationes, consilia, & siqd strenue manu ediderint memorare. hic fortitudinis, prudentiæq́;, illic fortunæ, casusq́; mentionem facere. à quo primum cornu aut fuga cœperit, aut uictoria, declarare. Post pugnam ac uictoriam, cædes, captiuorum numerum, uexilla capta, prædam, spolia, direptiones recensere, præmia referre, commendare fortitudinem, accusare ignauiam, miserari humanos casus, uarietatem, ludumq́; fortunæ mirari, aut deorũ uel iras uel fauorem, quæq; alia uel euentus natura, uel ratio ipsa rerum laudanda aut uituperanda, iucunde aut ægre accipienda miseranda, aut accusanda docuerit, per ea euagari. Audite quæso Sallustium post Catilinæ male decertatam pugnã. Strenuis-
» simus quisq;, aut ociderat in prælio, aut grauiter uulneratus disces-
» serat. Multi autem qui è castris uisendi, aut spoliandi gratia pro-
» cesserant, uoluentes hostilia cadauera, amicum alij, pars hospitem,
» atq; cognatum reperiebant, fuere item qui inimicos suos cognoscerẽt.
» Ita uarie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus, atq; gaudia
» agitabantur. Et post Metelli præliũ cum Iugurta. Igitur pro metu
» repente gaudium exortum. Milites alius alium appellant, acta edo-
» cent, atq; audiunt, sua qsq; fortiter facta ad cœlum fert. Quippe res
» humanæ ita se habent, in uictoria uel ignauis gloriari licet, aduer-
» sæ res etiam bonos detrectant. Metellus in ijsdem castris quatri-
» duo moratus saucios cura reficit, meritos præmijs more militiæ do-
» nat, uniuersos in concione laudat, atq; agit gratias, hortatur ad cæ-
» tera quæ leuia sunt, parem animum uti gerant, pro uictoria satis pu-
» gnatum, reliquos labores fore præde. Nec pigeat referre quæ à
» Liuio dicuntur, post stragem ad Trasimenum ab Annibale editam.
» Hæc est illa nobilis ad Thrasimenum pugna, atq; inter paucas me-
» morata populi Romani clades, quindecim millia Romanorum in
» acie cæsa sunt, decem millia sparsa fuga per omnem Hetruriam di-
» uersis itineribus urbem petiere. mille quingenti hostium in acie, mul-
» ti postea utrinq; ex uulneribus periere. Et post pugnam ad Trebiã
» factam, primo quid Annibal fecerit, refert. Finis insequendi ho-

stis Pœnis flumen Trebia fuit, ita torpentes gelu in castra rediere, ut uix lætitiam uictoria senserint. Deinde transit ad ea quæ Romæ agitabantur post cladis nuntium. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut iam ad urbem crederent infestis signis hostem uenturum, nec quicquam spei aut auxilij esse, qua portis mœnibusq; uim arcerent, uno consule ad Ticinum uicto, altero è Sicilia reuocato, duobus Consulibus, duobus Cõsularibus exercitibus uictis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quæ arcesserentur. Quanta uero hac in parte scriptores uarietate sint usi, magis ut appareat, subdam tertium quoq; è Liuio locum. Post superatum enim Beneuentanorum in campis à Sempronio Gracco Hannonem Pœnum, postq; donatos libertate Volones, donisq; militaribus Veteranos, atq; ignominiæ nota, quos par erat, affectos, Signum deinde Graccus colligendi uasa dedit. Milites prædam portantes, agentesq; per lasciuiam, ac iocum, ita ludibũdi Beneuentum rediere, ut ab epulis celebrem festumq; diem actis, nõ ex acie reuerti uiderentur. Beneuentani omnes turba effusa, cum obuiam ad portas exissent, conspectis militibus gratulari, uocare in hospitium, apparata conuiuia omnibus in propatulo ædium fuerant, ad ea inuitabant, Graccum orabant, epulari ꝑmitteret militibus, et Graccus ita permisit, in publico epularentur omnes, ante suas cuiusq; fores prolata omnia. Pileatis aut lana alba uelatis capitibus Volones epulati sunt, alij accubãtes, alij stantes, ꝗ simul ministrabant, ut scæbãtur. Placuit locos hos duorum ex eloquentissimorum scriptorum historijs referre, ut intellegeretis, qua uarietate sint usi rerum explicatores, post eiusmodi strages enarratas, quæ uarietas perlectis etiam prælijs alijs longe maior apparebit. Eadem habenda est ratio in obsidionibus expugnationibusq;, Oportet enim aperire prius naturam & loci, et ciuium, genus obsidionis, ac machinarum, quid intra urbem paretur, quid geratur in castris edocere, dolos, artes, insidias, diurnos, nocturnosq; labores, ruinas, instaurationes referre, quæq; permulta et obsidentibus, & obsessis aut uirtus contulit, aut fortuna ipsa, diligentiaue, aut neglegentia partis alterius repente obtulit, obiecitq;, uel abstulit, eripuitq; consulto. Liuius cum Thaumatorum situm describeret, quam urbem Philippus obsidebat Rex, dum nomen ipsum interpretari uult, locum illum historiæ mirifice illustrauit inquiens.

Vbi uentum ad hanc urbem est, repente uelut maris uasti, sic immensa panditur planities, ut subiectos campos terminare oculis haud facile queas, ab eo miraculo Thaumati appellati, nec altitudine solũ tuta urbs, sed quod saxo undiq; abscisso rupibus imposita est. Audia-

mus quæso et Sallustiũ, fortuitam rẽ quanta cũ dignitate sit executus.
At Marius multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere ani
mo, omitteret ne incœptum, quoniam frustra erat, an fortunam oppe
riretur, qua sæpe prospera usus fuerat, quæ cum multos dies noctes'q;
æstuans agitaret, forte quidam Ligus è cohortibus auxiliarijs miles
gregarius castris aquatum egressus haud procul ab latere castelli,
quod auersum præliantibus erat, animaduertit inter saxa reptan-
tes cochleas, quarum cum unam atq; alteram dein plures peteret,
studio legendi paulatim propè ad summum montis egressus est.
Vbi postquam solitudinem intellexit, more ingenij humani, cupido
difficilia faciendi animum uertit, ut forte eo in loco grandis ilex coa-
luerat inter saxa, paulum modo prona, deinde flexa, atq; aucta in
altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert, cuius ramis modo,
modo eminentibus saxis nixus Ligus, castelli planitiem describit,
quod cuncti Numidæ intenti preliantibus aderant. Exploratis o-
mnibus, quæ mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non teme-
re uti ascenderat, sed tentans omnia & circunspiciens. Itaq; Marium
propere adit, acta edocet, hortatur, Et quæ sequuntur. Videtis
quæ sit loci huius explicatio, quanta'q; cum tenuitate ac uerborum
gratia. Non exornauit modo orationem, uerum etiam magnificauit
res ipsas Liuius, cum quasi repente oblatam causam, ab ipsò libri il-
lius initio exorsus est, his quidem uerbis, atq; his etiam uerborum nu
meris. Inter bellorum magnorum, aut uix dum finitorum aut im
minẽtium curas intercessit res parua dictu, sed quæ studijs in ma-
gnum certamen excesserit. M. Fundanius, & L. Valerius. TR.
pl. ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerant eam. M.
Oppius, & T. Romulius. TR. pl. Q. Fabio. T. Sempronio COSS.
in medio ardore Punici belli. Nequa mulier plus semunciam auri
haberet, neu uestimento uersicolori uteretur, neu iuncto uehiculo in
urbe oppido'ue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publi-
corum causa ueheretur. M. & T. Iunius. TR. pl. legem Oppiam tue
bantur, nec eam se abrogari passuros aiebant. ad suadendum, dissua
dendum'q; multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fa
uentium, aduersantium'q; legi complebatur. Matronæ nulla nec au-
thoritate, nec uerecundia, nec imperio uirorum contineri limine po-
terant. Omnes uias urbis, aditus'q; in forum obsidebant. Viros de-
scendentes ad forum orantes, ut florente re plublica, crescente in
dies priuata omnium fortuna, matronis quoq; pristinum ornatum red
di paterentur. Augebatur hæc frequentia mulierum in dies, nam etiã
ex oppidis, conaliabulis'q; conuenerant. Iam et consules, prætores'q;,

" & alios magistratus adire & rogare audebant. Tam multa autem
" animaduertenda sunt ab historicis, ut non reliquerit inexpressum Li
" uius inenarratumq; Numidarum equitum, equorumq; habitum, ac
" foedam speciem. At Numidae equos conscendunt, & ob equitare sta
" tionibus, neminem lacessentes coeperunt. nihil primo aspectu con-
" temptius, equi, homines q; paululi & graciles, discinctus, & inermis
" eques, praeter q quod iacula secũ portat. equi sine frenis deformes, ipse
" cursus rigida ceruice, & extento capite currentiũ, hunc contemptum
" de industria augentes, labi ex equis, ac per ludibrium spectaculo esse.
" Nec Sallustius nõ et ipse faciẽ quoq; ac nidorem Tulliani carceris ex
" plicuit. Circiter quatuordecim pedes humi depressus. eũ muniunt un-
" diq; parietes, atq; insuper camera lapideis fornicibus uincta, sed in-
" culta tenebris, foeda odore, atq; terribilis facies eius. Hos locos ab emi
nẽtissimis uiris sumptos afferre placuit, nõ ut authoritatẽ ab ijs dictis
compararemus nostris, uerum ut praeceptorum locum apud uos, quiq;
haec è uobis audierint obtineant, utq; diligentiores etiã multo q esfis
efficiamini explorãdis locis alijs, ijsq; consyderãdis, qbus tũ Liuius,
Sallustiusq; praecipue, tum alij rerũ scriptores historias suas et locuple
tarũt abunde, et insigniter etiam decorarunt. Iam uero post expu-
gnationes direptio et caedes ipsa campũ praebet q latissimum edisseren
di, quae libido, ira, superbia, crudelitas, dolor, auaritia suadet uictori
bus, quaeq; ppetiẽda uictis atq; expugnatis. Quae qdẽ ipsa clariora
sunt, q ut exemplis sint illustranda. Hi tamen loci praecipue, & scri-
ptoris ingenium quantum ualeat ad mouendos indicant animos, &
quae sit in eo augendi, atq; magnificandi uirtus, ac dicendi copia.

Illud uero rerum scriptori seruandum maxime, atq; in tota rerũ se-
rie, ut pro locis, rebus, occasionibus, iudicijs ipse psonã induat, ut lau
det, cõdemnet, admiretur, deprimat, misereatur, nunc rideat huma-
nos casus, nunc deploret, demum meminerit, demonstratiuo in dicẽ
di genere se uersari, ac tum laudandi, tum uituperandi onus à se es
se susceptum. Sallustius in explicandis Catilinae peruersis consilijs,
atque coniurationis apparatibus, quasi dolore uictus prorupit in
" haec uerba. Ea tempestate mihi imperiũ populi Romani multo maxi
" me miserabile uisum est, cui cũ ad occasum ab ortu solis omnia domi
" ta armis parerent, domi otium, atq; diuitiae, quae prima mortales pu
" tant, affluerent, fuere tamen ciues, qui seq; et rempublicam obstinatis
" animis perditum irent, Namq; duobus Senatus decretis ex tanta mul
" titudine, neq; praemio inductus coniurationem patefecerat, neq; ex ca
" stris Catilinae quisquam omniũ discesserat. tanta uis morbi uti tabes
" plerosq; ciuiũ animos inuaserat. Et post captũ à Mario oppidũ, de quo

» paulo est ante sermo habitus, sententiam quasi iudicialem protulit. Sic
» forte correcta Marij temeritas gloriam ex uirtute inuenit. Et Li-
» uius in explicando ad Capuam militum Annibalis langore, ac de-
» sidia. Maius, inquit, id peccatum ducis apud peritos artium milita
» rium haberetur, quàm quod non ex Cannensi acie protinus ad ur
» bem Romam duxisset exercitum. Illa enim cunctatio distulisse mo-
» do uictoriam uideri potuit, hic error uires ademisse ad uincendum.
» Item post eruptionem ad Nolam à Marcello factam. Ingens eo die
» res ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non uinci enim ab An-
» nibale difficilius fuit, quàm postea uincere. Et alibi, Eludant nunc
» antiqua mirantes. Non equidem, si qua sit sapientium ciuitas, quam
» docti fingunt magis quàm norunt, grauiorem temperatioremq́; à
» cupidine imperij, aut multitudine melius moratam censeam fieri pos
se. Eiusmodi autem exempla affatim multa extant, quæ sequenda
sunt rerum gestarum scriptori, sua cum maxima laude & historiæ
dignitate. His itaq; seruandis non laudatorem modo se nobilium
nunc facinorum, præclarissimarũq; actionum, nunc reprehensorem
turpium abiectorumq́; ostendet egregius rerum gestarum expositor,
uerum etiam uirtutis ipsius patronum, admonitorẽq; sapientiæ præ
seferet, & quasi magistrum. quando historia ipsa uitæ est hominũ,
ac rerum humanarum magistra. Idem Liuius, de Annibale Ita-
» lia excedente sic loquitur. Raro quenquam hominem, patriam exi
» lij causa relinquentem, tam mœstum abijsse ferunt, quàm Anni-
» balem hostium tera excedentem. Respexisse sæpe Italiæ litora, &
» Deos, hominesq́; accusantem, se quoq; ac suum ipsius caput execra-
» tum, quod non cruentum ab Cannensi uictoria militem Romam du-
» xisset, Scipionem ire Carthaginem ausum, qui consul hostem Pœnũ
» in Italia non uidisset, se centum millibus armatorum ad Thrasime
» num aut Cannas cæsis, Circa Casilinum, Cumasq́;, & Nolam con-
» senuisse. Hæc accusans quærensq́; ex diutina possessione Italiæ est de
tractus. Hic igitur præcipuæ locus, admonere rerũ scriptores potest,
qua animi pensione uti debeant, quodq́; adhibere iudicium ac cu-
ram non in enarrandis modo rebus ipsis quæ gestæ sint, sed illis
etiam inuuendis effingendisq́; quæ concipi cogitatione, & colligi
coniectura possunt, pro rebus, negotijs, temporibus, personis, quæ
singula uelle complecti, nec consessus est huius, & uidetur esse satis
admonuisse. Cum præsertim sit hostensum, Historiam Poeticæ ma
xime esse similem, ipsa uero Poeticæ naturam potissimum imitetur.

D iximus hactenus de rebus, q̃bus differendis fuimus fortasse longio-

res, reliquum est de uerbis, ut dicamus, cum ijs è duobus historia, ut dictum est, constet. Illud igitur uidendum est, primum ut ea sint propria, accommodata, delecta, usitata bonis ab authoribus, pro loco ac re sumpta, quanquam interdum pro rei magnitudine, à Poetis quoq; mutuanda ea sunt. quod frequentissime omnium seruauit Liuius, & Cicero ait Poetam Oratori esse finitimum. Deinde ut ea bene sint oppurtuneq; collocata, ipsaq; ut collocatio sit artificiosa, uaria, multiplex, numerosa, habeatq; rationem non æquabilis solum, sibiq; consentientis texturæ, uerum etiam decursus ac soni. Qua quidem de re aures sunt potissimum consulendæ. Ad hæc summa ea cura expolienda, exornandaq;, ut nec forma ornatu careat extrinseco, nec ornatus appareat, aut neglegenter adhibitus, aut alienus à forma, retineatq; tum uenustatem, dignitatemq; pro re, ac loco, tum etiam grauitatem, ac supercilium. Quarum rerum omnium Cicero optimum se nobis magistrum exhibebit. Usu uenit autem in componenda historia, quod in ædificandis tum domibus, tum nauibus, multas subinde fieri rerum commissuras, & quasi membrorum inter se coniunctiones, quas prudentia, ordinisq; solers, ac circunspecta ratio moderetur oportet, quæq; & ipsa locorum quoq;, ac temporum rationem habeat, ut post narratas explicate diligenterq; res alias, transgrediatur ad alias. Indeq; postquam parti huic satisfecerit, ad continuandam regrediatur priorem materiam, rursus ea, quantum satis erit, explanata, reditum ad alteram illam faciat, aut si rei ratio tulerit, ad aliam, moxq; ad aliam. ut cum Liuius, post descensum ex alpibus Annibalis, postq; prælium cum Scipione factum, proditumq; Clastidium, subiungit rem na-
» ualem inquiens. Interim circa Siciliam, insulasq; Italiæ imminen
» tes uiginti quinqueremes cum mille armatis ad depopulandam orã
» Italiæ à Carthaginensibus missæ, nouem Liparas, octo insulam
» Vulcani tenuerunt, tres in fretum auertit æstus maris, Deinde re
» uertitur ad res ab Annibale gestas, postq; Placentinam pugnam
» transit in Hispaniam. Dum hæc in Italia geruntur. Cn. Scipio in
Hispaniam cum classe missus. Hæ igitur siue commissuræ, siue diuersarũ in historia rerũ inter se connexiones eiusmodi esse debent, ut partes quæ hinc, atq; illinc explicandæ subiũguntur, sint per se integræ, claræ, minime perplexæ, atq; ab ipso q̃ primũ initio appareãt esse aliæ. quod præstabũt uerba primo loco, & ipsis quasi in foribus posita, qualia sunt, Interi. et, Dũ hæc gerũtur. et, Per id tẽpus, quæq; et Sallustius, et Liuius et cæteri oẽs usurpãt. Itaq; cõmittẽdis, atq; sub

nectendis his, primum omnium id uidendū, uti diuerſitas materiæ cō
feſtim elucęſcat, intellegaturq; quaſi mēbrum quoddam corporis ab
alio membro diuerſum, ac nihilominus ut membra noſtri corporis
neruis complicantur, ſic partes hæ uerbis quàm maxime aptis, ner=
uorumq; præſtantibus officium, apte inter ſe prudenterq; iūgantur.
Quo'circa ad ingenium, atq; à natura tributa dicendi dona, adiun=
genda eſt lectio optimi cuiusq; ex græcorum, ac Latinorum autho
ribus, quæq; ī illis cernuntur, apparentq; eminentiſſima, ad ea tanq̄
ad metam dirigenda eſt omnis ſcriptorum opera, & cura, ut ſimi-
les, ut pares, ſi ſuperare illos minus ualuerint, aut imitatores ſaltem
boni ut euadant, laudemq; ſi non primi, aut ſecundi loci, aliquam
quoq; et ipſi certam propriamq; ac ſtudiјs ſuis dignam conſequantur.

A c mihi quidem res geſtas memoriæ qui mandant, officioq; fungun-
tur tradendi ad poſteros res præteritas, non minore fortaſſe laude di
gni uideantur, quàm qui leges tradidere uiuendi. Illi enim præcepta,
exempla hi nobis tradidere, quippe cum proprium eorum officiū,
ac munus ſit, ſuſtentare ingenio ſuo uitæ noſtræ imbecillitatem, atq;
mortalitati ire obuiam, ne quantum in ipſis eſt, dicta, factaq; memo
ratu digna, resq; præclare, atq; excellenter geſtas tempus obſcuret,
ne'ue eæ oīno è memoria excidant, quæq; imitatione, atq; cognitio
ne digna ſunt, æuo ea ne intercidant, quibus mortale genus ad uir
tutem excitetur, & gloriam, ut qui legunt, qui de iјs loquuntur, in
tellegant omnes quo ore, quoq; animo laudentur honeſta, uituperen-
tur turpia, & improba, ut fortunam, ut uarietatem, inconſtantiamq;
rerū humanarū animaduertentes, diſcant in aduerſis eſſe patientes, ac
firmi, in proſperis continentes, et lenes, ī deiectionibus, ac ruinis for-
tes robuſtiq;, ac ſpirante fortuna manſueti, faciles, placidi, in opulētia
liberales, ac benefici, in inopia ſorte ſua ſi nō contenti, ſaltem nō abie
cti, non ſqualidi, ut nihil quod accidat homini nouum exiſtiment, ni
hil repentinū mirentur, nihil nō aliqñ reantur aut poſſe accidere, aut
putent non qñq; ēt accidiſſe. Macti igitur diuturnitate eſtote, ac laude
rerū ſcriptores, quorū opera et ſtudio effectum eſt, ut ſciamus qui pri
mi Deū cognouerint, ītellegamusq; qbus eū ſacrificiјs, uotis, ſuppli-
ciјsq; ueneremur, colamus, placemus. quorū item beneficiū, ac munus
fuit, ut cognoſceremus qui leges tulerint, naturæ ſecreta aperuerint,
artes inuenerint, uiuendi præcepta tradiderint. Quæ dum ſequi
tur genus hominum è ſyluis, atq; à fero uictu, cultuq; liberum,
in urbes ſe contulit atq; in libertatem. In quibus pietatem, fidem, æq
tatem, amicitiam, humanitatem, iuſtitiam, urbanitatem deniq; omnem

exerceat, ſe'q; homo ipſe dijs non modo gratum ipſis, uerum etiam
perſimilem, inuicem gratuito'q; benefaciendo, reddat.

C onſtat igitur hiſtoria & rebus & uerbis, uerba uero eſſe debent,
ut ultimo dictum eſt loco, elegantia & propria & bene, decenter'q;
collocata & ſparſa. Res ipſe conſtant ordine & diſpoſitione, quibus
coniunctæ ſunt deſcriptiones cauſarum, temporum, rerum præteri
tarum, anteceſſionum'q;, ingenij, morum'q; eorum qui bellum admi-
niſtrant, uirium, ſocietatum, apparatuum, Item deſcriptiones re-
gionum, locorũ, urbiũ, fluminum, montium, etſi qua in illis memo-
ratu digna, Itinerum quoq;, caſuũ, euentuũ, pugnarum, quæ'q; pu
gnam ſequuntur, Ad hæc obſidionum, oppugnationum, expugna-
tionum'q;, quæ'q; expugnationem comitari conſueuerunt. Accedũt
his pſonæ, laudantis ſcilicet, aut improbantis, pro re, ac tempore, Le
ctio item, atq; imitatio. De genere autem ipſo dicendi, quale ſcilicet
cõueniat hiſtoriæ, dictũ eſt. De Breuitate ſimiliter, ac Celeritate, qua
rũ altera eſt hiſtoriæ commendatrix, altera locupletat eam, atq; ma
gnificat. Itaq; plura de re hac loqui, præcipientis eſt uelle perſo-
nam aſſumere. Quo'circa ne mihi ſit cum Grammaticæ patroci-
natoribus contentio poſt hac ulla, finem dicendi facio, me'q; à pro
miſſo abſoluo, quando factum eſt à me, ut arbitror, ſatis promiſſo,
& fortaſſe amplius, q̃ iudicari poſſit eſſe promiſſum. PV. Et pro-
miſſis à te ſatisfactum Altili confitemur omnes, & diſſerendis ijs in
credibili uoluptate nos affeciſti, dum rem ſparſam, ac paſſim iacta-
tam colligis, collectam'q; ordine ſuo, ſua'q; regula, ac lege ſic compo
nis, ut ſiqui poſt hac redacturi ea ſint in præcepta, facile quidem præ
ſtituri id uideantur. Nec his contentus laudes quoq; hiſtoriæ addidi
ſti, & quàm ea ſit utilis mortalium generi, multa cum grauitate do-
cuiſti et copia. Cæterum neſciam uolẽs ne, an neglegens præterieris
ea, quæ ad ſcribendas magnorum uirorum uitas ſpectant, quo
in genere hiſtoriæ Græce Latine'q; uerſati ſunt permulti. AL. At-
qui Puderice de toto & integro nos hiſtoriæ corpore locuti non de
parte ſumus, quæ & ipſa ad totius imaginem componi pro natura
ſua poteſt. Itaq; ut pauca quædam in hoc quoq; genere ſcribendi
tradamus, quod ipſum Demonſtratiuum eſt genus (nam qui uitam
alicuius ſcribit in locos nunc laudis, nunc uituperationis incidit, cu
ius rei monitum feciſſe eum ſatis eſt) tria cum primis ſeruanda cenſe
mus, ut ſcriptio ipſa ſit breuis, ſit diligens, atq; etiam grauis, adde ſi
placet et quartũ, ut ſit ea q̃ maxime quoq; elegans. Breuitas aũt erit
talis ut rerũ ſummas paucis cõplectatur. Diligẽtia tãta, ut nihil omit

tat, quod iudicetur memoratu dignum. Grauitas item ea, quæ addat explicationi ac dictis pondus, quæq; & authorem rerum & scriptorem commendet. Nam præter ueritatem nihil potest esse commendabile. Quid obsecro tam est aduersum quàm uanitas historiæ? quæ uitæ magistra esse dicitur. Elegantiam icirco dicendi maximam hac præsertim in parte exigimus, quod hæc ipsa scribendi pars permultis sit alijs laudibus, ac uirtutibus caritura. Itaq; compensetur utiq; elegantia. quod deerit de cultu, cæteroq; splendore. Cuius rei Cæsar grauissimus esse potest & testis & monitor. de cuius commentarijs etsi multa in exemplum adduci à nobis poterant, tamen scribendi genus historicum ex omni parte minime complexus est Cæsar, quippe qui materiam et præbere, et relinquere maluerit alijs de se scribendi. Et qui pictor, aut statuarius imaginẽ facturus est, quæ totius referat corporis pulchritudinẽ, nimirũ pulcherrimi cuiusq; uiri speciem sibi in exemplum assumit, non eius qui parte tantum præcellat aliqua, sed qui omnibus. Nam quanquam & Tacitus & Curtius abunde sunt laudibus, ac uirtutibus ornati suis, laus tamẽ omnis Latinæ historiæ penes duos putatur existere, diuersoq; in dicendi genere, Liuiũ, ac Sallustiũ. Ad hæc iniquitas temporum Trogum nobis omnino abstulit et Curtium, ac Tacitum quasi mutilatas uidemus statuas, Licetq; suspicari potius ac conijcere, quàm omnino de ijs iudicium aliquod absolutum ac certum tradere. Quid qđ noster paulo ante Actius uno fuit ubiq; ferè contentus Virgilio? uidelicet qđ ab optimo quoq; suo in genere quærenda est semper authoritas. Quod autem (sicuti ex oculis ac uultu conijcio) Prassicius hic noster dicere paratus est aliquid, officiũq; absolutum est meum, dicat pro arbitrio uir & in poetica & in oratoria maxime exercitatus, depromatq; de pectore apprime fœcundo dignũ aliquid seq; & hoc ipso consessu, ut munus & ipse quoq; suum adimpleat. PV. Atqui et ordo lexq; ipsa sessionis huius id ipsum exigit, & nos omnes non istud ipsum modo petimus, uerum etiam rogamus, atq; exposcimus. PAV. Equidem ex ijs, quæ acute, grauiter, eruditeq; ab Altilio sunt de lege historiæ dicta, quæq; ante Syncerus Poeticas de numeris, ipse uero Altilius de uerbis nuper, atq; ornamentis disseruit, magis magisq; incendor ad puestigandũ Poeticæ finẽ, quẽ ex ore senis nostri esse Syncerus initio retulit, bene, atq; apposite dicere ad admirationem comparandam. Conuertor autem ad te Parde potissimum, quem dicendi labor non adeo ut hos ipsos delassauit, audientiam primo abs te exposcens, deinde sententiam in his quoq; requirens tuam. PAR. Et audientem me perq; intentum in

tentum in dicendo habebis, & paratum etiam respondere ad ea, quæ ex me intellegere ipse uoles, aut quid ipse sentiam aperire, si opinionem fortasse meam tentando sciscitaberis. PAV. Principio quod Cicero aiat finitimum esse Oratori Poetam, duo, ut mihi uidetur, cur in eam sententiam uenerit, omnino illum mouere, et & quod uterq; uersatur in dicendo, & quod utriusq; communes sunt laudationes, quod Demonstratiuum genus dicitur, tametsi & deliberationes quoq;, apud Poetas enim tot Deorum concilia, consultationes'q; non'ne hoc nobis palàm faciunt? Habent igitur tum laudationes, tum deliberationes inter se communes, bene item & consumate dicere, suo uterq; in genere dicendi, cum alter solutus incedat atq; promissus, alter astrictus numeris, ac pedibus certa lege cohercitis. Quin uerba quoq; & ipsa sunt inter eos communia. Verum alterius, digna foro ac Senatu, quæq; grauitatem satis est uti se quantur, retineant'q; dignitatem, alterius, quæ magnificentiam, altitudinem, excellentiam'q; quasi quandam ostentent. Neq; enim grauitas comparandæ admirationi satis est sola, ni magnificentia accesserit excellentia'q; & uerborum & rerum. ut'q; ego arbitror, hoc illud est, quod ait Horatius.

» -Mediocribus esse Poetis,
» Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Cũ oporteat eos suo in genere excellere, neq; aliter digni eo nomine uideantur. Hoc etiam est & illud quod à Cicerone dicitur, singulis uix seculis bonum Poetam inuentum. Perrara nanq; omnis est excellentia, quod'q; Oratori satis est bene dicere, atq; apposite, id oportet in Poeta sit, ut excellenter. Ac tametsi Oratoris quoq; est aliquando et magnifice, & excellenter, tamen id nõ ubiq; neq; semper, cum Poetæ hoc ipsum ubiq; suum sit ac peculiare, etiam cum in minutissimis, atq; humilibus uersatur rebus. Siqdẽ necesse est & minutissimis, & humilibus describendis rebus appareat etiam eius excellentia. Nã et quæ fuit naturæ excellentia creando in homine, eadem nec minor pro specie illarum ac forma in apibus atq; formicis fuit. Vtriusq; etiã Oratoris, ac Poetæ officium est mouere & flectere auditorem. Verum quo'nam, quo inquam hæc & commotio, & flexio, & maximum utriusq; in hoc ipso studium? Oratoris, scilicet ut persuadeat iudici, Poetæ, ut admirationem sibi ex audiente, ac legente comparet, cum ille pro uictoria nitatur, hic pro fama, & gloria, quæ uidetur sola ac maxime ab hoc scriptorum genere quæri. Et Orator quidem ubi minime persuaserit, potest fine suo contentus esse quod be

ne quod apposite, quod consumate dixerit in causa. At Poeta fine omni
no defraudabitur suo, nisi in audiẽtis, ac legentis animo pepererit, in
fixeritq; admirationem, per quam sit famam, uenerationem'q; as-
secuturus. Nec uero audiẽtem aut legentem eũ nos intellegi uolumus,
cui sit admirationi Bauius aut Maximianus, sed cui magnam quoq;
mentem Delius inspirauerit uates, uix enim de bono Poeta nisi &
ipse auditor bonus Poeta fuerit, iudicare recte potest. Tametsi nescio
quomodo à natura ipsa instituti nonnulli, alij in Musicis, alij in pi-
ctura, in Poeticis alij, neq; Poetæ tamen ipsi, neq; pictores, aut mu-
sicam professi, bonum quid in ea sit arte sentiunt, optimum uero sen
tire haud poterit, nisi quẽ ars quoq; cum natura ipsa ingeniosum pa
riter, atq; solertem fecerint. Quo'circa mediocritas illa quæ in re-
bus plerisq; omnibus conceditur. Poetæ omnino aduersatur, eiq; mi-
nime est concessa. Nisi forte dicendi excellentia & magnificentia illa
sit uocanda mediocritas in genere dicendi Poetico, quando excellen-
tia dicendi in Poeta ut uacua esse debet inflatione, atq; intumescen-
tia, sic nullo debet modo de gradu suo deijci. Quid quod Oratorem
multitudinis præsertim impleturum aures, aut unius iudicis, aut pau
corum admodum, multæ illum adiuuare res possunt. At Poeta so
lis excellentibus, ingenio'q; excellenti præditis, sola & una cum ex
cellentia potest satisfacere. Quo'circa coniunctus & ipse ratione hac
Historico est, quod lectoribus, ijs'q; literatissimis uiris nou iudici scri
bit, aut multitudini. His itaq; permotus senis nostri sententiæ accedo,
Poetæ siue finem siue officium esse, bene, atq; excellenter loqui ad ad
mirationem. Quod si Parde probaueris (nam Syncerum id proba-
turum testificari ea possunt, quæ in initio dissertionis suæ attigit) Alti
lium sat scio, qua est obseruantia in senem & cultu, minime dissen-
surum. PAR. Visus es mihi Prassici probandis Poeticis his non
minus quàm ex Aristotelica disciplina, ex ipsa etiã rei natura esse
locutus, & quod multa sunt Oratori & Poetæ communia, & quod
in non paucis etiam differant inte se. De fine uero, officio'q; Poetæ
siquis aliter sentiat, meo iudicio inuide magis quàm uere sentire ui-
debitur, dum quod Poetæ ipsi gloriantur se tantum. quærere, nomen
scilicet ac famam, inuidere illis, & pretium, & laborum tantorũ
summam uolunt. Et quod in Oratore exigitur bene et consumate, id
in Poeta esse debere excellenter, id profecto mihi & uerissime, et ap
positissime à te dictum uidetur. Nã te obsecro per Musas ipsas per'q;
tantopere à nostro cultam sene Vraniam, quid nisi admiratio, quid
inquam nisi una & sola admiratio quæritur ex magnificis illis, et

maxime numerosis uerbis, dictisq;,
» -Dicam horrida bella,
» Dicam acies, actosq; animis in funera reges,
» Tyrrhenamq; manum, totamq; sub arma coactam
» Hesperiam. maior rerum mihi nascitur ordo,
» Maius opus moueo.- Quid cum?
» -Stabuli de culmine summo
» Pastorale canit signum, cornuq; recuruo
» Tartaream intendit uocem, qua protinus omne
» Contremuit nemus, & siluæ intonuere profundæ.
» Audijt & Triuiæ longe lacus, audijt amnis
» Sulphurea Nar albus aqua, fontesq; Velini. Quid amplius?
» Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Quo quæso et res, et uerba tanta cum industria, et arte inuēta, et posita, nisi ad mouendam spectant admirationem? Quo inquam et illa?
» -Assum dirarum à sede sororum.
» Bella manu, letumq; gero.- &,
» Olli somnum ingens rupit pauor.-
Itaq; non uerbis modo magnificis, sed rebus quoq; & inuentis excellenter, & expressis, admiratio à Poetis quæritur. Vt cum Poetica sicut Historia cōstet rebus, ac uerbis, his utrisq; Poeta ad admirationē conciliandam non utatur modo uerū etiā innitatur. Quamobrem, quod ueritas præstare hoc sola minus posset, ueritatem nunc inumbrant fictis, fabulosisq; commentis, nūc ea comminiscuntur, quæ omnino abhorreant à uero, atq; à rerum natura. ut cum,
» -Fit tortile collo
» Aurum ingens coluber.- &,
» Virginei uolucrum uultus.- &,
» Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
» Aggredior.-
Itaq; quæ à te Prassici in tota hac quæstione dicta, & disputata sunt, omni è parte à me, ac summopere etiam probantur, & cum de admiratione loquamur, ne discedamus à cognatis uerbis, mirifice etiam probantur. Quocirca perge ad reliqua. PAV. Quæri autem ab illis admirationem, hoc est approbationem & plausum quasi quendam eorum quæ dicantur, cum animorum admiratione illorum, qui audiunt, & qui legunt, quæ à te delibata sunt Parde, duo illa potissimum docent, et res, et uerba. Siquidē neq; res ipsæ, quales gestæ sunt, perinde atq; ab historicis narātur, neq; Poetæ ipsi uerbis semper agūt

usitatis ac simplicibus, nam & rebus gestis ornatum aliunde, & magnitudinem, & decorem ubiq; ferè arcessunt à figmentes uidelicet, ut cum scripturus esset Virgilius nauium Aeneæ concremationem, finxit ea quæ leguntur de Cybele, de Ioue, de nauiũ conuersione in nymphas.

» -Cum uirgineæ, mirabile monstrum,
» Reddunt se totidem facies, pontoq; feruntur.

Quo enim maiora, atq; admirabiliora quæ ab ipsis dicuntur appareant, humana ad deos transferunt, fingunt monstra, mittunt insomnia, deos deniq; in homines uertunt. Comparationes quoq; quibus frequentissime utuntur, non magis ad docendum, atq; illustrandum pertinent, quàm ad mouendam admirationem. Quid obsecro sibi uult aliud Cupido in Ascanium? quid Mercurius toties è cœlo in terras missus? nisi ut qui legunt, admiratione impleantur? Parum profecto parum erat utiq; Maroni tempestatem describere, quæ per se ipsa magna quidem erat, atq; horribilis, sed Iunonis ad Aeolum sed Aeoli ad Iunonem allocutiones admirabilem multo maxime eam faciunt, uẽtorum ipsorum Deo illam exciente. Itaq; intonantur magis quàm dicuntur illa,

» -Cauum conuersa cuspide montem
» Impulit in latus. ac uenti uelut agmine facto
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.

Quid excogitatius ad conciliandam admirationem? Re autem uera Aeneas à Lacinio Calabriæ promontorio, sacris Iunoni rite prius persolutis soluens, quo præterita Sicilia ad horas Latinorum classem appelleret, fuit à tempestatibus Drepanum perlatus. Videte obsecro qbus ueritatem commentis concinnauerit, quo admirabiliora cuncta redderet. Verba autem ipsa Poetæ, quiq; uere dicuntur Poetæ, non solum simul compangunt, aut ea nouant, ut mare ueliuolum, ut syluas comantes horum ipsorum quæ nunc à me dicuntur gratia, uerum ea transferunt, nec uerba tantum, sed orationem psæpe omnẽ, Quinetiam & excessum, & superlationem ijs persæpe adijciunt à natura penitus recedentes. ut,

» -Præruptus aquæ mons. &,
» -Vastos tollunt ad sydera fluctus. &,
» Tollimur in cœlum sublato gurgite, & ijdem
» Subducta ad manes imos descendimus unda.

Nec uero tenorem hunc comparandæ admirationis in grauioribus, ac serijs tantum seruant rebus, uerum in ijs quoq;, in quibus lectorum, atq;

rum atq; auditorum delectatio uoluptasq; sola quæritur. ut,

» Ambrosiæq; comæ diuinum uertice odorem Spirauere. &,
» Fotum gremio Dea tollit in altos
» Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
» Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra.

Singulis pene è uerbis, Venerisq; è gestibus gignitur uirtus hæc, de qua nobis est nunc quæstio, quã & in docendo, & in mouendo, nec minus in delectando assequi Poetæ omni arte, studioq; contendunt. Tu uero quid ad hæc Pardæ? nam & grauitatem hic tuam, & iudicandi pondus requirimus. PAR. Ego quidem Paule Prasici censeo te assecutum, quod disputatione hac quæris, ipsis & rationibus, & exemplis, quæ duo non in disciplinis modo, uerum etiam in uita agenda, moribusq; probandis & laudis, & testificationis secum uim, authoritatemq; omnem ferunt. Cæterũ quoniã à Syncero de Poetis sermo cœpit, ut ab eo quoq; desinat, reliqua siqua sunt, ab illo potius sciscitare. Quin ut uideo surrexisse eum iam, interrogandi te labore liberabit. ACTIVS. Equidem Parde dicenti Paulo sic assentior, ut semper existimauerim in quacunq; ad dicendum suscepta materia, atq; in dicendi quoq; genere magnitudinem sublimitatemq; ipsam Poetæ esse propriam, nunquam mediocritate contentam, quod Virgilij agricultura docere plane potest, utq; implere generosos illos spiritus quacunq; ratione Poetæ ualeant, cœlestes etiam res mortalium rebus inseruisse eos, refersisseq; carmen suum commentis, atq; fabulis, quibus ipsa sublimitas ad summum usq;, hoc est ad admirationem incresceret, hocq; illud esse, qđ paulo ante dicebatur, alia quadam lingua locutos. Nam cum Oratoriæ sit mediocritas æquabilitasq; illa quidem dicendi, siquando magnitudinem assumpta est aliquã, per Poeticæ uagitur, atq; exultat campos, ut cognatæ facultatis, sibiq; finitimæ. Qua in re Cicero è nostris eminuit, Nam historia ubi magnifica esse uult, ubi heroica uideri ac grandis, & figuras, & uerba de Poetis mutuatur. Qua de re multa & erudite, & grauiter disseruisse mihi uisi estis. Cæterum tanta rerum arcessitarum copia, tantus etiam uerborum ornatus, tanta & rerum, & uerborum sublimitas ut desit, necesse est, implendæ tubæ, cantuq; Mæonio, ni fabulosa commenta affatim ea suppeditent, uerbaq; fabulosis apta rebus, illisq; explicandis idonea. Hinc,

» Aeris in campis latis.- Hinc,
» -Cauum conuersa cuspide montem.

» At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Intonuit. – An non audientibus nobis illa, capillus ipse surrigi-
tur, animus'q; concutitur, & pene` horrescit?
» At iuueni oranti subito tremor occupat artus.
» Diriguere oculi, tot Erinnys sibilat hydris,
» Tanta'q; se facies aperit, tum flammea torquens
» Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura
» Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
» Verbera'q; insonuit. –

Itaq; dum Poetæ hæc ipsa & fingunt, & ficta suauiter, magnificæ, admirabiliter'q; loquūtur, alios ipsi eloqui docuere. Nam imitati eos postea qui causas egere, qui in Senatu de capiendis consilijs disseruere, qui res gestas memoriæ mandauere, eloquentiam perfecerunt solutam illam, ac uagantem. Quo fit ut omne dicendi genus a` Poetica manauerit. Nam & primi doctorum omnium cum extiterint Poetæ, omnia quoq; carmine ac numeris sunt complexi, testis'q; horum omnium est Homerus, qui quantum ubi'q; dicendo ualeat, & suspiciunt docti, & admirantur indocti. Ab hoc Philosophi, ab hoc Phisici, ab hoc & Rhetores facultatis suæ præcepta, & aucupati sunt, & auspicati. Solon quas Atheniensibus tradebat leges, carmine auspicatus legitur. Cum'q; ipse stultitiam simulasset legendis, ac recitandis in publico uersibus, quos de Salamine bello reuendicanda scripserat, Pisistrato, optimatibus'q; omnibus collaudantibus ciues traxit ad abdicandam legem, quæ populi totius suffragio constituta fuerat, ne cui unquam de ea re mentionem facere liceret, ne'ue ad populum ferre, id'q; capitale esse, Itaq; & decretum factum est, & Solon ipse belli dux delectus. tantum carmine illo suo ualuit. Romanorum Rex Numa uersibus a` se de dijs, de'q; Deorum rebus compositis, ijs'q; in sacris publicis, ac ludis rite decantatis, ferocissimam gentem, dum id assiduus agit, ad mores humaniores transtulit, cultum'q; Dei maiorem. Aperuit rerum naturam generi hominū carmine suo Empedocles, Sideralis disciplinæ Dorotheus Sidonius, quos Latine imitati Lucretius, ac Manilius, Christe Optime, quid copiæ, quid ornatus, quantus e` clarissimus luminibus eius, emicat in altero splendor? rapit quo uult lectorem, probat ad quod intendit, summa cum subtilitate & artificio, hortatur, deterret, incitat, retrahit, demū omnia cū magnitudine, ubi opus est atq; decoro, et hac de qua disputatū est admiratiōe, ut expurgatis rudioribus illis uetustatis numeris, qbus postea Virgilius Romanā illustrauit Poeti-

cum, nihil omnino defuisse uideatur. Alteri uero in Astronomicis, siqd ornatus, Poeticoq́; defuit decori, additum nuper ac suffectum à nostro est sene. De cuius Vrania, ut arbitror, iudicabunt posteri fortasse liberius, quod certo scio, de ea sentient minus inuidenter. Quibus igitur uerbis aut quo nam ore gestuq́; assurgemus Poeticæ? quæ princeps de Deo & disseruit & eius laudes cecinit, instituitq́; sacra, unde primi Poetæ sacerdotes uocati, uerbisq́; eum placauit, & cantibus, docuitq́; habere rerum humanarum curam, benigneq́; cum probis agere, excandescenter cum improbis. Hæc prima excitauit ad uirtutem homines, dũ animæ immortalitatẽ profitetur, hæc è teris piorũ animos in cœlum deuexit, impiorũ detrusit in tartara, hæc bonis tandẽ præmia retribuit, malos pœnis, postremisq́; insecuta est cruciatibus. Salue igitur doctrinarum omnium mater fœcundissima, Salue iterũ. Tu enim mortalitati occurristi, inuentorum, ac scriptorum tuorum perpetuitate. Tu è syluis homines eruisti, atq; è spelũcis, Per te noscimus, per te præterita ante oculos cernimus, per te Deũ sapimus, religionẽq; retinemus, ac pietatem, Deoq́; ipsi accepti, supernam etiã in sedem ab eo euocamur, arasq́; cum ipso meremur, & templa. PV. Per egregie quidem Acti, & pie, & sancte, immo & recte admodũ, ut sicuti à religione sermo cœpit tuus, in religione quoq; idẽ desinat. qđq́; feruor perfractus est iam canicularis, uocamurq́; familiaribus à negotijs, soluentes conuentum hunc, et feliciter abeamus, & recte ualeamus omnes.

FINIS.

P. Summontius Aegidio Augustiniano Eremitae. S.

Nominis tui claritudo ea est Aegidi pater, ut Pontani famae non parum consultum iri uideam, si dialogus, quem ille tibi inscripsit, uenire iam incipiat in manus hominũ. Tantum uero abest, ut ob hanc editionem mihi fortasse quicquam debeas, ut etiam iure coactus rem tibi tuam uidear reddidisse. Accipe igitur me ministro, Pontani tui munus, & te ipsum in illius quasi speculo dicentem intuere, Quodq; facis, propagare me nomen illius conantem adiuua singulari eloquentia tua, qua Christiane mi Cicero animis hominum dominaris. ut intellegant per te omnes, quantus uir fuerit Iouianus Pontanus, siqui sunt, quos praeclara ipsius opera, aut non dum uisa, aut forte parum cognita non moueant. Hoc melius facere quàm tu, nemo potest. Nam cum eloquentium longe sis religiosissimus, id etiã felicitate ingenij consecutus es, ut et religiosorum omnium, quoscunq; haec tulit aetas, idem facile sis eloquentissimus. Vale.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AEGIDIVS DIALOGVS.

COLLOCVTORES SVARDINVS, POETVS, PONTANVS.

SVAR.

T AEDES Ipsas agnoscimus, quales urbem intrantibus descripsere nobis, qui portarum præfecti sunt custodiæ, & turrim suspicimus quadrangulam eá quidem, atq; in sublime editam, immunentem'q; quadriuio, atq; in loco urbis maxime celebri et nobili, uocitant'q; eam Pontanianam. Quid? quod titulus nescio quis (neq; enim oculis satis bene utor) cuius nam ædes hæ ipsæ sint, uel declarare, uel etiam attestari nobis abunde potest. Lege obsecro ac recita. POE. De puluere adhuc, et ipse caligo aliquantum. Suffricabo itaq; oculos, excutiam'q; superalia, Ac per Iulianũ hospitalẽ diuum, cuius ab urbis haud procul portis templum uenerati sumus, eius ipsius Iouiani hæ sunt ædes, eius ipsius turris, ac frequentata porticus. Titulum iam examino oculis, acie iam percurro, iam recito. HAERES, SVCCESSOR, DOMINVS HARVNCE AEDIVM, QVIQVI FVTVRVS ES, NE TE NE PVDEAT VETERIS, NEV PIGEAT DOMINI, HAS QVI SIBI PARAVIT. COLVIT IS LITERAS, COLVIT ARTIS BONAS, COLVIT ET REGES. COLVERVNT EVM PROBI IVVENES, SENES PROBI, PROBAVERVNT ET DOMINI INTEGRITATEM, FIDEM, MORES ANIMI BONOS. ETENIM TALIS FVIT IOVIANVS PONTANVS, PRISCI RELIQVIAE TEMPORIS. VIXIT IPSE ET SIBI ET MVSIS, SIC VIVAS IPSE ET TIBI ET TVIS, SIC LIBERI SVPERENT. QVI SI LAPIDI HVIC INIVRIAM INIVRIVS FECERIS, IRATI DII SINT TIBI. SV. An fortasse ille ipse Iouianus est, solus pro foribus qui deambulat? Idem habitus, idem incessus, eadem statura & comptus, perinde, ac nobis uerbis exculptus fuit, nisi quod pede altero minime claudicat, quod fortasse sobrietas illi abstulit, sanauit'q; diligentia quod casus intulerat uitium, uis'q; illata extrinsecus. Quid quod meditatum nescio quid uel ipse secum immurmurat deambulans, uel mihi ut oculi, sic aures quoq;, & ipsæ

caligant. Admouebo me propius. auscultabo propinquius. Pro dij immortales dignam grauitate uiri sententiam, dignum & Poeta, eodem'q; Philosopho carmen.

» Desine sollicitare Deum, ac uim afferre precando.
» Cui priuata hominum, cui sit quoq; publica cura.

Nec uero sententiæ huius uis ea est, ut Deo ipsi supplicandum ne sit, sed quod permittenda ei libere nostra sint omnia. quippe qui quid utile quid inutile sit cuiq; & cognitum habeat, & examinatum. Cum sæpenumero & expetantur, & summo etiam cum labore quærantur à nobis quæ paulo post futura sunt minime utilia, ac nonnũquam uel maxime etiam nocitura. Quid quod, ut ipse quidem uides, senilem post deambulatiunculã assedit in hemicyclo? Quo'circa per opportunum nobis offertur congrediendi eius tempus, ac salutandi. POE. Peropportunum, ut dicis. Quod'q; natu maior ipse quidem es, partibus tuis utere. SV. O' salue multum, ac diutius bonis uiue hominibus bone senex, & quod, ut ex uultu conijcimus, facis, ui tam hilariam duce. PON. Et uenire sospites, uos ac ualenteis, est dijs quod agam gratias, & mihi congressio istec uestra grata est admodum, ac periucundam. Heus autem pueri, situlam capite, frigidã'q; haurite è puteo. Vos boni hospites, & nostrum, ut uideo, peramantes refrigerate manus limpidissima hac, et frigentissima. abluite & ora, & oculos. At uos molluscas illas siue nuces, siue persica poma, siue tarentina huc afferte. Sumite iucundissimi uiri has nostris de institionibus fruges, & sitim sedate, atq; æstus nostrarum è liquore uitium, quæ nobiscum consenuere, eas enim adolescentes penè, seuimus, nec semel etiã iterauimus, effecimus'q; nouellas, ac nihilominus ætate nunc queruntur de senecta. Agite igitur haustillate penulli nostri nõ Rhetica illa Virgilij, aut Horatij Cecuba pocula, sed nostratia hæc, tum Sorbinia, tũ Montonica. Mihi credite, refrigeratione ex ipsa laudabitis iuueniles nostros excolendis ijs labores, operas'q; pro rusticæ rei institutione, colendi'q; arbusti præceptis impensas. Agite optimi uiri iterate sorbillationes, & conquiescite post desudatos labores apud hospitem beneuolentem, & peregrinari consuetum. SV. Mihi quidem ex ablutione refrigerati sunt oculi. POE. Et mihi totum quidem è sorbilatione subsultat corpusculum. PON. Bene habet. considite ambo. uestrũ'q; uterq; sic existimet, senis huius exiguas esse pro laboribus, pro'q; eius in reges meritis opes, res'q; ipsas domesticas, amicis tamen communeis, ac si non lautissimas, profluentes tamen, atq; amicorum usibus expositas. utimini ijs & hospitij iure, & lite-

rarum. Muſarum enim hæ, ideſt Chriſti Optimi Maximi ſunt mune
ra. Nec uero hilaritudinem hanc in ſene tum fortaſſe mirabimini
(quanquam & ſenectus ipſa per ſe triſtior eſt, & ego meopte ingenio
minus ſum iocis deditus, ac feſtiuitati) quàm, ut arbitror, cómendabi
tis, quod mortuo nuper Petro Compatre, quicum annos circiter ſe-
xaginta amiciſſime uixi, coniunctiſſimis uitæ ſtudijs, ac laboribus,
& lætor illum humanis his miſerijs potius, quàm moleſtijs li=
beratum iam eſſe, & me propédiem iter idem ingreſſurum, frui-
turumq́; eadem libertate, & otio cœleſti illo quidem, ac ſempiterno.
Sed uos cuiates nam eſtis, & huc ad nos unde? SV. Mihi patria
eſt Bergomum, nomen Suardino. huic uero Pœto, quo quidem ciue
merito gloriantur frequentiſſimum oppidum quondam Fundi, quos,
ni diſpliceat, appellare auſim Varronianos, quorum in agris hodie
quoq; extent hortorũ eius ueſtigia, famaq; ſic teneat, teſtenturq́; ædi=
ficia. Iter uero è Roma ſuſceptum eſt nobis, quo teram hanc uiſce-
remus Sirenum prius altricem, poſterius uero Muſarum. PON.
Amabo hoſpites peramœni, lenocinari ubi nam tam urbane didici-
ſtis, qui me & Sirenum commemoratione, & Muſarum, ad uos amã
dos etiam non ante uiſos nec cognitos, tam blande alliciatis? Et Si-
renes illæ quidem loca hæc tenuere, quæ, ut Cicero noſter ex Homeri
dictis tradit,

» Tum graue certamen belli, clademq́; tenebant,
» Græcia, quam Troiæ diuino numine uexit,
» Omnia tum è latis rerum ueſtigia terris.

Vel, ut Homeri uerba Poeticis ſine numeris propriora reddã, ſciebãt,
quæcunq; in tera gererentur rerum plurimarum parente, atq; altri=
ce. Et Homerus ipſe declarat eadem quoq; loca Muſas incoluiſſe, cum
illa ipſa Sirenibus tribuit, quæ ſunt Muſarum. Quorum enim nu-
minum, niſi harum ipſarum eſt ſcire, quæ ſit rerũ, quæ in tera fiunt,
geruntur, gignunturq́; natura? Id quod apertius multo, ac luculen-
tius Virgilius expreſſit, cum dixit.

» Me uero primum dulces ante omnia Muſæ,
» Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore,
» Accipiant, cœliq́; uias, & ſydera monſtrent,
» Defectus ſolis uarios, lunæq; labores,
» Vnde tremor terris, qua ui maria alta tumeſcant
» Obijcibus ruptis, rurſumq́; in ſe ipſa reſidant.
» Quid tantum oceano properent ſe tingere ſoles
» Hyberni, uel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Quæq; alia maximo à Poeta, tanta cum grauitate & uerborum, & sententiarum referuntur. Sed me fortasse ad hos ipsos congressus prædia inuitant mea Virgilianis finitima. Cum etiam illorum cultrix Patulcis fuerit nympharum hortensium peritissima, cuius uiculus ipse hodie quoq; nomen retineat, meorum uero Antiniana, non tam hortensium deliciarum perita, quàm siue admiratrix, siue studiosa. Sed quid quod in hac ipsa Musarum commemoratione, uestrum utrunq; lacrimas uix tenere iam uideo? SV. Equidem ego, pro Pœto quoq; ut respondeam, ipso musarum nomine excitus sum ad lacrimas, Mariani heremitæ memor factus, qui nuper maximo cum desiderio Christianorum omnium, Italiæq; præsertim totius, his in locis diem obiens, naturæ concessit. Dum Musas in ijs Chistianas & colit uenerabiliter, & illarum secreta per diuorum templa, perq; ædium sacrarum pulpita mortalibus & enucleatissime aperit, & suauissime etiam decantat. PON. Sistite amabo lacrimas, ac uiri potius manibus gratulamini, qui nunc cœlestibus cum Musis arcana dei introspicit, uel fruitur illis potius, eaq; Aegidio coniunctissimo sibi homini Musas per ipsas inspirat, quarum hic sacra Christiano etiam ritu, & pientissime colit, & decreta etiam elquentissime interpretatur, diuulgatq; inter populos, ut ea quæ nuper Lustricis diebus in conuentu innumerabili etiam cuiusquemodi generis mortaliũ edissertauit, quæ nunc si retulerim (sat scio) nom me exiguum uobis Mariani obitus solamen allaturum. nequaquam tamen ut q uim assequi ac copiã dicentis eius ualeam, Siquidem sermo hic noster porticibus tantum assuetus est, paucorũq; confessionibus. Cum illius ex ore uideri possit scatere fontis, fluminaq; ingentia demanare. Verum degustatione ut ex ipsa intellegatis, quem Marianus successorem reliquerit, quenq; sibi post illius obitum Christianæ Musæ antistitem cooptauerint. Dicam igitur, hunc quoq; fructum referendis ijs uobiscum ẽt ipse collecturus, quod conceptum interim ex itinere, æstiuisq; pulueribus laborem ac molestiam sedendo, atq; audiendo leuabitis.

Sermo Aegidij ad populum.

Nequijt o' uiri Christiani uetus illa philosophia, boni ipsius speciem intueri, uel bonum ipsum potius et summum, et consumatum. Quippe cum Christus esset neq; ab antiquis philosophis uisus, neq; ab illis aut auditus, aut cognitus. Ille nanq; ipse, ex illoq;, perq; illum, bonũ

existit ipsum, de'q; illius fonte bonitas omnis manat, defluunt'q; bonorum omnium riui. multo autem minus potuit ueritatem agnoscere, quando idem ipse Christus ueritas est, nec bonum aut uideri, aut intellegi nisi per ueritatem potest. Idem ipse igitur Christus & ueritas est, & bonum, in eo'q; utriusq; & ueri, & boni collocata est species, ex eo'q; et uerum demanat & bonum, ac per eum & ueritas ipsa agnoscitur, & boni ipsius natura qualis sit, quæ'q; etiã siue species eius, siue idea. Minime uero omnium, uetustas illa in tenebris constituta cum esset, uersari in luce potuit. Veritas autem ipsa luculentissima cum sit, neq; quicquam aut sciri, aut intellegi nisi per ueritatem queat, sit'q; ueritas ipsa Christus, nimirũ & lux ipsa Christus est. Idem igitur Christus & bonum & ueritas & lux est, idem quoq; & uita. Viuere enim uere dicendus is est, qui & solũ quidem, & semper est, qui autem est eiusmodi, semper uiuit, quoniam semper est. Cum cæteris quidem omnibus usu ueniat, aut esse quando'q; cœpisse, aut aliquando contingat fore. Quin et quæ fuere, et quæ futura sunt, quæ'q; aliquando cœperunt, ab eo necesse est esse, ut'q; & fuerint & futura etiam sint ab illo, qui semper ipse quidem est, de'q; eo tantum dici & recte, et uere quod est, potest. Ille igitur ipse uiuere solus dicendus est, illi etiam soli uitæ nomen ascribendum. Quis hic autem nisi Christus est? qui cum patre quidem suo semper est, ad eum ipsum si respicias, sin ad homines, & fuit cum patre ipso semper, & cum eodem ubi'q; futurus est. At mortuus est Christus. nobis quidem, ac corpori mortuus, sibi uero nunquam. Qua enim uia moriatur qui ipse quidem uita est? quo etiam pacto extinguatur qui lux est? quo'ue modo esse desinat, q & solum & semper est? At pependit in cruce. pependit autẽ quia uoluit, uoluit uero quia bonus est. Quid hoc igitur mirum? quã do ipse etiam bonum est, cum boni ipsius proprium sit benefacere. Quod'nam autem beneficij genus conferri maius potest ab urbium rectoribus, ac populorum, q̃ ut pro eorum salute, uitam ipsi suam obiectent periculis? Atq maius fortasse beneficium illud fuit uoluisse nasci, subire'q; hominis munus, quàm mori, nam ex quo subire hominis conditionem uoluit, ut mortem quoq; adiret, par quidem fuit. quando hac ratione succurrere hominum generi maxime uoluit, neq; maius homo homini conferre beneficium potest, quàm ut uitam pro illo obiectet. Deus igitur cum sit ipse beneficentissimus, quo nullum profecto beneficentius sit, conferre in hominẽ munus decreuit. An fortasse ut parum pius, ut generis hominum neglector, quorum quidẽ

esset amantissimus, quos ipse in lucem genuisset, quo uitæ fruerentur
muneribus, eosdem pateretur à tenebris submergi, et sub morte perpe
tua laborare caligantes? Inter tyrannum quidem, bonumq́; rectorẽ,
ac Regem hoc interest, quod ille asper, acerbus, insolens ĩ subiectos est.
incedit stipatus satellitibus. nõ patitur se ab illis adiri. insectatur illo
rum flagitia, non ut corrigat, uerum ut rapiat, torqueat, enecet. At
hic & commonefacit errantes, & clementia in illos utitur, ac non
solũ in conspectum admittit, aditum ad se petentes, uerũ ægrotanteis
illos uisitat, dolẽteis præsens solatur, aduersis in rebus corã et ad-
hortatur, & illis adest, participemq́; sese mœroris exhibet, ac mole-
stiarum. At Deus optimus & principibus, & regibus omni genere
humanitatis, beneuolentiæ, caritatisq́; maior, ac potior est. Voluit igi
tur quo parte ex omni munus suum impleret, subire hominis officiũ,
& ut homo quoq; inter homines uersari, caritatemq́; suam, quo ma
iorem ostenderet, pati etiam illa quæ essent hominum. Quid tu hic
oblatrabis o' ingratissime homuntio? An quod necesse esset Deum illa
pati? In Deo tu ne mihi, eiusq́; in uoluntate necessitatem prætendis,
qui nullis indigeat, nullã aut parem timeat, aut maiorem potestatẽ?
Quam tu necessitatem deblateras? beneuolentia illa quidem fuit,
pietas, amor, caritas. An Decios, patrem, filium, nepotem necessitas
traxit pro Romano se ut populo deuouerent? An alios etiam ciues,
popularesq́; inclytarum & urbium & populorum? amor mihi cre
dite amor, & boni publici studium traxit illos ad mortem uolun-
tariam. Incurrit sponte in uenatoris spiculum lea, pro tutandis ca-
tulis, incurrunt sues, neq; omnes tamen aut sues aut leæ, sicuti inter
ciues nec omnes quidem pro patria ruunt in ferrum, aut, ut Virgi-
lius ait, pro libertate, sed optimus, ac generosissimus quisq;. Videli-
cet Deus Optimus Maximus pientissimus beneficentissimus uinci se
ab optimo ciue patietur, cum ipse non ciuium aut contribulis sit, aut
æqualis, aut ut è multitudine unus, uerum pater, educator, rector.
Quid igitur de necessitate oblatras? quæ caritas quidem est, ac pater
na etiam caritas, ac tanto etiam paterna affectione maior, quanto De
us ipse rebus omnibus præstat, nulliq́; aut indiget, aut subiectus est,
minimeq́; aut præcaria eius potestas est, aut uicaria, sed omnium ut
maxima, sic etiam arbitraria. At quis cogat deum humanas subire
sollicitudines atq; affectus? nulla profecto uis, eadem quasi tamẽ Deũ
inducit caritas, quæ & hominem patrem familias inducat, tranato
mari, periculosissimis exanclatis procellis, ac laboribus alijs, in Li-
byam enauigare ad gentes nationesq́; prorsus ignotas atq; inhuma-

nas, quo liberos tueatur, locupletetq; rem familiarem. Paulinus Nolanus Episcopus mulierculæ commotus precibus, filium eius quo redimeret à prædonibus, in Africam profectus est. Videlicet ab homuntione in hoc ipso officij genere, alijsq; pietatis, ac beneficentiæ Deus uincetur muneribus? An quem Deus ipse, effinxit hominem, quē imaginem ac similitudinem referre sui ipsius in teris uoluit, quem animalibus præfecit cunctis, aspernabitur, eiusq; res negliget, contemnet, destituet? nec periclitanti ei succurret, afferetq; suppetias? Succurrit autem ei, & in Christo, ac per Christum. Credidit antiquitas omnis Palladem Iouis è capite genitam, quo numerum augeret dearum, perq; eam hominibus sapientiam ostenderet. non credes Deum ipsum, ac uerum Deum rerum, rerumq; creatorem omnium p Christum filium succurrisse mortalibus, in ruinam prolabentibus? p illius sapiētiam liberasse ab erroribus, in quibus immersi erāt, restituisseq; in antiquam gratiam, per pœnam ac supplicia? quæ ille uolens sciens, libensq; perpessus est. Credidit gens omnis, credidere feræ etiam nationes, atq; exleges, è Deo genitos, qui insigni aliqua uirtute præditi essent. Potuit igitur uirtus aliqua rara quidem illa, atq; excellens id efficere, ut dij à cæteris illi esse crderentur. Tu uero in hoc hæsitabis, dubitabis, nullo modo credes, ut pro humani generis salute, Christus sit è Deo Deus, è luce lux, è salute ipsa salus facta mortalium. Credidit præcipue Aegyptus, Diuino ex afflatu puellas concipere, atq; hac ratione à Dijs & posse, & solere homines gigni, magni alicuius negotij ac boni gratia. Tu autem in tanta perditione mortalitatis uniuersæ hominum, non credes Deum eorum creatorem uoluisse illis prospicere? Hoc igitur inhæsitanter credamus. hunc Deum fateamur, ueneremur, colamus. huic consilia nostra omnia, actionesq; permittamus, Et quæ fides necesse est cunctis ut præsit disciplinis, eam religioni quoq; adhibeamus. sine qua nec ueritas nota esse nobis potest, nec boni ad nos pars ulla ptingere, nec tantis in tenebris lux certa splendescere, deniq; nec uitalis uita duci, cum alia ratione uita ipsa mors sit, mors uero omni è parte miserabilis, ac perpetua.

PON.

Hæc igitur per Christianas Musas Aegidio Marianus cum diuis agens inspirat. Quo circa eius commemoratione desinite obsecro lacrimari, quin illi ipsi potius gratulandum ducite, quando consecutus est per mortem, quod uiuus per sudores maximos, plurimasq; uigilias assequi laborabat, Ac teræ quoq; huic gratias

agite, è qua mortalibus exuperatis laboribus in cœlum euolauit. ubi sanctissimis cum uiris agens luce fruitur non solis quidē eius, mundum qui illustrat uniuersum, sed luce ea, quæ è Dei mente profundens sese, & fouet eos, quos ad se euocauit, et inuitat cæteros, qui Dei ipsius memores, lucem eius intueri uolunt, ac per eam tenebras mortalitatis effugere. Mihi quidem (nesciam fortasse an parum Christiano è ritu, forsan & supra quàm Christianum decet hominem) uenit in mentem, in Mariani memoriam hymnum ludere, inq; eius honorem decantare cum familiaribus, quem quia non displiciturum uobis intellego, referam in hoc præsertim otio. Is autem talis est.

» Qualis Alphei liquidos ad amnis,
» Siue Meandri uiridante ripa
» Concinit serum moriens, in ipso
Funere cygnus,
» Talis ad plectrum, ad thyasos deorum
» Ludit in cœlo Marianus, ipsa
» Morte uicturus Marianus, ipso
Funere felix.
» Ipse sis felix, faueasq; nobis,
» Ipse ades fessis Mariane rebus.
» Tu preces audi miserorum, & iras
Siste Tonantis.

Ego uero ornatissimi uiri, ita quidem mihi semper persuasi, & penè exploratum duxi, opinionē eā, quæ à leuissimis qbusdā hominibus probata & culta inoleuit, de animorum deliquatione, nuperrime à minutissimis quibusdam Græciæ philosophis, ac Cyrenaicæ renouatam. quæ esset ab ignorantissimis Persidis, ac Iudeæ physiologis tum ob ignorantiam, tum ob uitæ morumq; lasciuiam multo ante excitata, cum sanctissima illa, uetustissimaq; immortalitatis opinio cum hominibus simul ipsis ab initio increuisset, quemadmodum & religio, quæ nobis ipsis à natura est insita. Quæ nam enim tā feragens est, tamq; moribus et cultu barbara? quæ non in Dei cultum aut admittat tradita ab alijs, aut non & ipsa quoq; excogitet, quæ ad deorum maiestatem colendam magnificandamq; conferre intellegat, et illorum cultu digna esse, sibi habeat persuasum. Memini Luciolum filium uix quadriennem, in sinu nutriculæ quiescentem animaduertisse per fenestram in clarissimo sole repente è cœlo defluxisse

pluuiam

pluuiam grandioribus guttis, quæ à ſole illuſtratæ mirificè ſplende
ſcebant, miratumq́; rem tantam aliquantum fuiſſe, moxq́; ad me con=
uerſum dixiſſe, An ô tata Deus illic eſt? Adeo itaq; à natura ineſt ho
mini religio, ut quadrimus puer de cognoſcenda Dei natura eſſet ſol
licitus, à ſplendore illo luculentiſſimo adductus, ſibi ut perſuade-
ret, Deum illic ineſſe. Ab initio igitur homines, poſt obitum optimo-
rum ſiue Regum, ſiue ciuium, ſiue inſtitutorum, ſiue etiam doctorum
hominum, manes eorum uenerati ſunt, eosq́; inter diuos retulerunt,
poſueruntq́; aras illis ac tẽpla, nec Græci id modo ſeruauere, ac La=
tini, ſed nationes (ut dixi) omnes, etiam feræ, atque immanes. Atqui
hoc nequaquam feciſſent, niſi apud eas immortalitatis animorum ui
guiſſet opinio, quæ quibus ſi defuiſſet, an ſollicitari eos tantopere par
fuiſſet in illis præſertim, quæ nihil ad ipſos attinerent? Nam cur ob
ſecro introductum eſſet in funeribus, orare Deos pro mortuorũ ma-
nibus, illorumq́; pacatione, atq; acceſſu ad pios, ac felices locos, ſimul ſi
cum corporibus & animi interiſſent? Vt igitur ſanctiſſima, ſic an-
tiquiſſima etiam, ac naturalis eſt de animi immortalitate opinio, con
tra ut uicioſiſſima, maximeq́; profana, ſic ẽt nuperrima mortalitatis,
habuitq́; ortum non à populo, rudioribusq́; hominibus, quod minus
fortaſſe mirum haberi poſſet, uerum à perditiſſimis quibuſdam lite
ratis, qui & ingenio abuſi ſunt, & literis, non aliter q̃ qui gladiũ
inuentum ad uſum uiuendi, ac ſecurim, & cultrum conuerterunt
poſt ad rixas atq; homicidia. Itaq; & ingenio, & natura abutitur, ac
dei immortalis dono, qui aliter de animorum natura ſentit, quàm
illi ipſi ſenſere qui rerum origini propiores fuere, ab initioq́; et urbes
conſtituere, et conuentus hominum, honoremq́; habendũ decreuere ſe
pulcris, proſequendosq́; funeribus mortuos. Equidem ego maximum
ſemper impietatis eſſe genus duxi, inhonoratos præterire eos ſine-
re, diem qui obiſſent. Cum uideam infeſtiſſimos exercitus poſt con-
flictus, cædesq́; teterrimas ac truculentiſſimas, ſepeliendis mortuis
indutiarum dies decernere. adeo quem in acie occidit uictor hoſtis,
honorem poſt illi ſepulturæ, atq; inferiarum non denegat. Quocir
ca in bene conſtitutis & urbibus, et familijs, annua ſacra ſtatis etiam
diebus, ſoluendis inferijs decreta ſunt. quod quid eſt aliud, quàm
manifeſtiſſimus gentium quidem omnium conſenſus in declarandam
animorum perpetuitatem. Nec uero commendandũ, ſiquid pietas ipſa
ſuaſit ſuperſtitioſius, quod tamen ratione corrigendũ eſt, tametſi cum
ruſticanis, minusq́; excultis gentibus, ac populis agendum eſt fortaſ
ſe minus exculte, in ſacrificijs ac ſolennibus pompis. quemadmodum

& in cultu corporis rei'q; familiaris agrestiore illo quidem, nec tam polito. Scripsit Augustinus libellum de cura erga mortuos adhibēda. quid ni uir ad hoc pijssimum opus adhortaretur homines, et sanctus, & Christianus? qui sciret antiquissimum hoc esse, maxime'q; secundum naturam. At cum Anchise dixerit aliquis,

» -Facilis iactura sepulchri.

Nec uero nos accusamus, si quis honorem sepulturæ neglexerit, quod fortasse ad modestiam referri debeat, sed & improbum & nefarium ducimus, qui quem debet, & præstare potest parentibus, cognatis, amicis honorem post mortem, aut omnino id noluerit, aut parum certe curauerit. Itaq; Virgilius, ut fuit & ipse cum Aenea suo pietatis studiosissimus, inducat illum ægerrime ferentem amici naufragium, his uerbis,

» O' nimium pelago, & cœlo confise sereno,
» Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Videlicet propter non solutos illi honores funeris ac sepulturæ. Quod seruandum eo diligentius suadeo, quod non exiguum sit siue argumentum immortalitatis, siue commonefactio, cum ijs in sacrificijs requiem illis sempiternam & hymnis comprecemur, & obsecrationibus. Sed facessat nostra hæc oratio, assurgamus'q; doctissimis uiris ad nos uenientibus, Francisco Puccio, ac Romano Thamyre, de'q; more porticum uisitantibus.

PONTANVS, PVCCIVS, THAMYRAS.

PON.

Et porticus uos nostra exspectat, magna cum uoluptate, et ego ipse aduenienteis, uos Casinate ex agro sospites atq; lætos amplector ex animo utrunq;. Quid tu tandē Puci inde noui, immo ueteris ad nos affers? nam Thamyram satis scio, eo in agro parum omnino esse uersatum. Dic igitur si quid uetustum, porticu'q; hac in ipsa dignum inde affers. PVC. Affero quod omnes quidem uno ore consentiūt, spectaculum quod hodie quoq; illic extat, perbreue tamen, atq; concisum, Varronis esse monumentum, scriptum tamen nullum id indicat. Certi uero haberi illud tantum potest, quod Virgilius ait,

-Aruncos ita ferre senes. Siqdē oēs in hoc cōueniunt, et ciues, et coloni. Illud autem delectaturum te admodum confido, quod nuperrimum quidem est, oraculum tamen quasi quoddam futurum honestarum literarum studiosis. Scis enim & ego ipse satis scio, una te nobis cum nec aut lacrimas tenere potuisse, aut gemitum, nunciato obitu Ga

brielis Altilij, Pollicaſtrẽſis antiſtitis, hominis tecum à Puero educati
in literis, uerſatiq́; in diſciplinis ſummo cum labore, & ſtudio. Scis in
quam non multis ante diebus eum obijſſe, & clarum noſtris in lite
ris, & Chriſtianis diſciplinis excultiſſime inſtitutum. Referam itaq;
de eo ipſo, meæq́; huic orationi, uel etiam iure iurando Thamy-
ras hic aſtipulari poteſt, quod de illo monachus nobis Caſinẽſis retu
lit, ſingulari ſanctimonia ſacerdos, & uitæ ſimplicitate inter mona-
chos ipſos notus, ac uenerabilis. Is igitur, facta re diuina, cum hone
ſtiorem in ſeceſſum nobiſcum deambulans, utrunq; noſtrum perdu-
xiſſet, ita quidem aggreſſus eſt. Ego uero ó fili, ni Dei flagellũ time-
rem, ab his abſtinerem dictis, parcerémq; huic ſermoni. ſiquidem
nũtius hæc magis quàm enarrator aliquis, uobis trado, ſupplicijs qui
dem acerrimis ſilentio meo propoſitis ab eo ipſo, qui hæc ut referam
uobis, iniunxit. Dormienti mihi matutinum ſub tempus antiſtes
aſtitit, humana quidem maieſtate auguſtior, lituũ præferens, in méq;
intuens inquit. Rerum atq; hominum pater Chriſtus te ut adirem
iuſſit, à ſomnóq; excitarem, expergiſcere igitur, ac peracta prius re
diuina, illos adi, ueſtrũ utrunq; ſignificans, & nominis ſimul & pa
triæ, unde oriundi eſtis, admonens. quó circa hæc illius ex ore uobis
affero. Significare deum, ſibi parum placere, abuti uos oratione, nu
gis tantum, fabellíſq; inanibus decantandis, ſatis eſſe luſiſſe uos in ado
leſcentia, in ipſóq; ætatis flore, cæterum ut herbæ, ut arbuſculæ è flo
ribus poſtmodum fruges proferunt, eadem uia, ac multo etiam ma-
iori ſtudio (quando ratione quoq; præditi eſtis) poſt luſus, iuueniléſq;
delicias, fruges afferre uos oportere, eáſq; diuinis hominũ ingenijs cœ
leſtibúſq; donis cõuenietẽs. Declarare itẽ, Muſas quas uos appellatis,
eas pietatem eſſe, ac religionem, Chriſtum ipſum deniq;. hunc igitur
colere uos iubere. in eius honorem Muſas ueſtras, ideſt orationem tã
ta cum excellentia uobis conceſſam, conuertere. Quod ni feciſſetis, li-
tuum extulit, tanquam eo uos percuſſurus, atq; irato ſimilis abijt.
Ego ſomno ſolutus, maximóq; horrore exterritus, ad aram ſtatim pro
fectus ſum, ueniámq; à Deo precatus, ea quæ & uidi & audiui iuſ-
ſus ad uos defero. Hæc monachus. THA. Quin & illud etiam
addidit, uti eadem ipſa literatis omnibus dicta, ac mandata eſſe puta
remus, Idq́; etiam teneremus, quemadmodum naſcentibus nobis re
ligio ſtatim comes adderetur. ſic præſtandum eſſe, religio ut eadem
comitaretur etiam morientibus. PON. Equidem ego ó Thamy-
ra cum rerum naturæ ordo mirificus ſit, magíſq; mirari illum poſ-
ſimus, quàm ingenio omnino aſſequi, arbitratus ſum ſemper, ac pro

comperto duxi, diuinam illam cumulatiſſimam'q; bonitatem, quæ in Chriſto ſeſe paterna cum caritate oſtendit hominum generi, multis quidem ac diuerſis modis ſeſe aperire mortalibus, quod'q; res hæ inferiores, quæ'q; naturales dicuntur à phyſicis, æthereis ab illis commotionibus temperentur, non exiguam quidem homini cum illis eſſe cognationem, quam per ipſam fabricator ille omnium, moderator'q;, ac rector Deus multa bonis præſertim uiris, nec raro etiam peruerſis, emendandorum ipſorum gratia, & ſignificet & portendat, præcipue autem, humanis quieſcentibus curis, atq; inter dormiendum. ut aliquando dij ipſi nobiſcum perinde ac humano aſſumpto ore loqui uideantur, unde oracula ſunt à prudentibus quibusdam dicta. Ne'ue autem in enumeratione oraculorum ipſorum, antiquitatis'q; teſtimonijs uos occupem referendis, de me ut loquar, ego ipſe ita ſæpe dormiens commonefactus ſum, ut quæ pericula nec ante timuiſſem, neq; prius agitaſſem animo, uigilans poſtea tutus, liber'q; commonefictione ex ea facile præterierim. Sunt qui ad naturam hæc omnia, atq; ad curas ipſas noſtras diurnas'q; ad actiones referant. Ego uero quæ ad diuinitatem pertinent, neſciam quomodo naturæ huic elementari aſcribam. Quid enim in ſe habet diuinum aut ſanguis, aut pituita, aut utraq; bilis? aut quatuor hæc ſimul etiam ſuos ꝑ numeros, atq; ad amuſſim concreta? quippe quæ ne coire, aut concreſcere unà quidem poſſint, præter quam ætere informante, ætereis'q; agitationibus, quarum profecto cognatione, & quadam quaſi contage Deus ipſe utitur, in hominibus commonefaciendis. At dices unde nã ſpecies illa Polycaſtrenſis antiſtitis tam cito, tã repente informata extitit? eadem profecto & ratione, et uia, qua mens noſtra, triangulum, pyramidem, ſyllogiſmum, ſuis è partibus informat, colligit'q; perfectum undiq; illum atq; abſolutum, qua lignarius faber et arcam et ſcrinium mente ipſa concipit, qua etiam pictor, ſcalptor, conflator imaginem. Quod igitur mens hominis in ſe ipſa præſtat tam facile, non poterit æthærea illa præſtare cognatio, ac uis, rebus noſtris proſpiciente Deo? inq; quieſcentis hominis mente informare imaginem humanæ ſimulem? quæ futurorũ nos tandem admoneat? Quod ſi æthereis à magiſtratibus inferiores quidẽ res temperantur, nimirum illi ipſi magiſtratus ſciunt, quæ in futurum ipſi agitent, perinde, ut artifices minime ipſi ignorant, quid animo conceptum habeant, quid'q; etiam apparent. An non ſæpenumero ratione hac clades urbium, calamitates'q; populorũ ſunt ante uiſæ, ac longe etiam prius, quàm euenerint, ſinificatæ? At non omnibus hoc contingit hominibus. Neq;

omnibus etiam teris omnes contingit ferre siue arbores, siue herbas, aut fruges. perindeq; ut latet modus hic, neq; omnino compertum est, qua uia hoc ipsum contingat in tereno solo, sic neq; palàm est nobis, quo nam modo, cognatione ex illa ætheria hæc ipsa usu ueniãt dormientibus, ac nonnunquam etiam uigilantibus. eueniunt tamen. Itaq; dum ad naturam cuncta referimus, naturæ ipsius partitione parum recte mea quidem sententia utimur. cum alia quidem elementaris sit, eaq; sublunaris, uaria, inconstans, dubia, seruitio assueta, atq; in interitum prona, alia ætherea, immortalis, atq; in imperio constituta, tamen & ipsa quoq; corporea, & si nullis casibus, nulliq; corruptioni obnoxia. Est item & alia omni profecto concretione corporeaq; conditione libera, immortalisq;, ac Deo ipsi tantum uacans, quippe quæ diuina illius luce tantum fruitur, ministerijsq; ab illo distributis solummodo adest, atq; intenta est. Nec nos pudet, qui quidem ignoremus qua uia trahatur à magnete ferrum, uelle naturis illis præscribere, ac præsertim incorporeis? At dicet quispiam, trahit ferrum magnes ab insita ui, quasi uiribus suis careat, multoquidem præstantioribus nulliq; corruptioni addictis tum æthe rea illa natura, tum etiam alia illa excellentior incorporea quidem imperioq; ornata, mundiq; totius gubernaculo præfecta ac ministerijs. Vsu uenit igitur in hac ipsa naturæ perscrutatione non paucis philosophãtium è numero, quod uel etiam plurimis in agricultura exercitatis, dum agro tantum stercorando intenti, nec seminis animaduertunt naturam, nec cœli ac regionis, quorum primæ ferè partes habendæ sunt. Obsecro uos uiri optimi, mane oriente sole, non'ne statim lux ipsa puncto temporis dispersa, cœlum hoc uniuersum irradiatione sua illuminat? Atqui lux à sole existit, sol uero ipse corporeus est, quod oculi ipsi sentiunt. potest igitur è sole profluens lux tenuitate sua, incomprehensibiliq; illa celeritate eodem simul puncto, tantam aeris, maris, teræ uastitatem illustrare, nec tamen poterunt eodem ipso momento ministri illi diuinæ maiestatis uel supremo ex æthere ad nos euolare? incorporei ipsi, neq; ut solaris lux è corpore eiaculati? qđ nõ miraris in candela à te ipso accensa, in Deo id miraberis? cœlestibusq; siue substantijs, siue ministris? At dicet qspiam, neq; Dei est laborare, neq; occupari in negotijs. O' ruditatem insulsissimam hominis, qui Deũ ut hominem metiatur, ut operarium aliquem, ut redemptorem opificem. Nihil agit prorsus Deus, nihil omnino laborat, cuncta tamen agit, moderaturq;, ac regit omnia, nullumq; inde laborem sentit, ac si non sit in assiduo cœlum motu, nul

lam tamen inde defatigationem agnoscat, licet corporeum, licet immensum. Tu uero Dei super defatigatione tantopere quidem sollicitus es? Igitur in natura omnia qui reponunt, eadem illam si, qua decet, ratione contemplarentur, desinerent profecto tam esse, quàm certe sunt pertinaces, utq; uerius dicam, proterui. Ad hæc quid ignorãtius, rationeq; utenti indignius, quàm inferiori huic naturæ tantũ tribuere, eiq; ex toto incumbere, de superiore uero illa, nullo prorsus modo cogitare, nec quam omnes quidem debemus, habere rationem? ut per superbiam quidem ignorantiamq; dignitatem ei suam, suasq; & partes uelimus per improbitatem adimere? Nos igitur antistitis Altilij monitis, quod uos rogo hortorq;, obtemperantes, ita quidem uitæ transigamus reliquum, ut quoniam in maturitatem seges nostra iam intendit, frugem eam studiorum nostrorum, orationisq; ipsius, qua hactenus in flore quidem usi sumus, in usum, commodaq; afferamus illorum maxime, quos ad hæc ipsa studia scriptis nostris, multiplicibusq; laboribus, ac uigilijs inuitamus. ut nec eos pœniteat imitationis, nec nos uigiliarum pigeat, incœptiq; tantopere laboriosi. Quid enim laboriosius, quàm in eloquendi materia uersari? quæ tametsi communis atq; exposita est omnibus, in ea tamen nationes quidem plurimæ mutæ sunt, è cæteris autem siue populis siue gentibus pauci in ea admodum ita claruere, ut sapientiam quidem miscuerint cum dicendi arte, ac scientia. PVC. Nos quidem bone senex oratio hæc tua, quàm Oraculum ipsum, non minus incendere ad dicendi frugem, ad quam ipse hortaris, iure suo potest. quando iniquitate temporum factum est, plurimis, ut etiam seculis dicendi laus à disciplinarum cognitione seiuncta fuerit, cum antea quidem nemo doctus, quin idem quoq; esset eloquens. Sed eloquentiæ studium post Romani imperij declinationem prorsus interijt, uixq; Grammaticæ ipsius perstitere uestigia, cum tamen disciplinæ ipsæ in honore essent habitæ, id quod Physicorum Theologorumq; multitudo, quæ post Boëthium extitit, planè declarat, tum in Hispania, tum in Gallis, britanijsq;, ipsaq; in Germania. Qua quidem de causa haud ita mirum uideri debet, eloquentiæ si defuere studia. Tamen & spes est breui futurum, ut eloquentia cum doctrina tum naturali, tum diuina in gratiam redeat. Cum minime per te steterit Iouiane, quo minus moralis cognitio Latinis fuerit literis illustrata, sideraliumq; rerum notitia, quam pluribus etiam uoluminibus ita complexus es, ut siderum effectiones cum physicis etiam causis coniunxeris. Nec defuere etiam aut desunt, qui è Græco multa

in Latinum sermonem transtulerint, maxima etiam cum dignitate, atq; ornatu. Reliquum est igitur, exemplis ut ijs, atq; adhortationibus non minus quàm oraculo ipsi Altiliano satisfacere studeamus. Tu uero quid ad hæc Thamyra? THA. Magna & me quoq; spes tenet breui fore quod dicis. cum Græcos uideam tùm Aristotelis, tum Platonis libros uersari in philosophorum nostrorum manibus, antiquasq; illorum interpretationes aut passim abijci, aut parum omnino placere, utq; alios taceam, non'ne Aegidius noster magna cum consectatione heremitarum suorum totus Græcis est literis deditus? Sunt ex alijs quoq; sacerdotum siue ordinibus, siue sectis non pauci, qui eadem & ipsi delectatione, studioq; teneantur. Sed nos ô Puci ita quidem confessionis huius memores esse oportet, ut quæ porticus ipsius lex est, eam cum primis sequamur. quippe cum disserendi locus suus sit cuiq; relinquendus, tuq; ipse iam uideas, dũ hæc à nobis disseruntur, plures interim conuenisse, & ad dicendũ, & ad quærendum, quod ex uultu quidem intellego intentissime paratos. Quamobrem ordienti iam Carboni, ut Musarum sacerdoti ore faueamus. Sic enim antiquis à sacerdotibus in sacrificijs, silentium olim imperabatur.

Hieronymus Carbo, Pucius, Thamyras.

HIER.

" Principio sedes apibus, statioq; petenda,
" Quo neq; sit uentis aditus.–

Huiusmodi exorsus est principio Virgilius, cum de apium rebus naturaq; esset præcepturus. Mirum est autem unde cœperit, & qua sit à re auspicatus. Videlicet & prudens Poeta, & cautus habebat ante oculos q̃ imbecilla esset apium natura, quodq; in condẽda illarum urbe potissimum erat inspiciendum, locus ut is eligeretur, qui incolentium uitæ esset præcipue accommodatus. Idq; & prudenter, & apposite, & secundum naturam. Sed quid quod in primo libro qui est de segetibus, ab ipsa statim aratione cœpit? nec aut quæ esset natura soli, aut quæ regionum, ante considerandum admonuit? cũ præsertim genere in hoc scripti, quod didascalicum Græco nomine literatores nostri uocant (Pertinet enim ad erudiendum siue auditorem siue discipulum) ab initijs quibusdam etiam remotioribus authores quandoq; incipiant. Non'ne Ouidius cum de mundi esset constitutione locuturus, à re etiam incomperta exorsus est?

" Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum.

» Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,
» Quem dixere chaos.—

Itaq;, dum hæc considero, ignorantiæ me ipsum et accuso, et damno. Cum mihi ipsi hac in parte nullo modo satisfaciam, ac præsertim uideam Iouianum, qui conciliationi huic nostræ præsidet, locuturum de Citriorũ natura, ut de arbore peregrina, ut de cultu eius à nemine tradito, cœpisse à loco unde in Italiam aduecta fuerat, ac de arboris ipsius primordijs, quanquam fabulose, Poetico tamen more tradidisse, ne ante de cultu eius præciperet, quàm quæ & qualis esset arbor, ostendisset. Quo'circa ad te quidem me conuertam, o' Thamyra, siquid à Iulio Pomponio, cuius auditor fuisti, & cultor, ad te item Francisse Puci, cuius erudimenta illa Grammatica fuere sub Politiano, quos & rogo, & obsecro, ne inuideatis nobis, siqd inquam ab excultis illis uiris habetis, quod ex eorũ sententia affirmare possitis, in re mihi per q̃ difficili, uobis uero, ut arbitror, nec dubia, nec inuestigatione uestra indigna. THA. Mihi quidem, & si Pomponius & diligens fuit, & cultus in explanandis Poetis, permulta'q;, quod mercatores sunt soliti in explicandis mercibus, quasi peregre à se quidẽ aduecta ipse exponeret, non tamen in mentem uenit in interpretandis illũ georgicas, in eiusmodi quæstionem unq̃ incidisse. nesciam tamen an ne aliquid Pucius habeat hac in parte de Politiano quod referat. PVC. Neq; ego quidem memini qppiam ab illo explicatum, itaq; tuam ipsi potius quæstionis huius Hieronyme solutionem expectamus. HIE. Atqui prouincia hæc prorsus tua est Puci, his in rebus annos tam multos qui uersere, summa cum authoritate & gratia. PVC. Quod & anni mihi tribuunt, & continuata his in studijs opera, id à me uel extorquere exhortatio Hieronyme potest tua. Quo'circa tua ista siue exhortatione, siue uoluntate commotus, dicam ipse quod sentio, ac pro mea quidem libertate, si tamen data prius atq; accepta fide Thamyras tantũdem & ipse post præstiterit, nam & ratio illa non dũ à Grammaticis prodita est, cur maxime tum Lucretius, tum Virgilius et principia librorũ, et exitus tanta cũ iucunditate, ac uenustate fuerit utrq; complexus. THA. Do fidem, nec me pœnitebit promissi. PVC. Hac igitur conditione meam explicabo sententiam. Instituentis, & in præcepta redigentis materiam aliquam à se susceptam officium uidetur, primo loco considerare ipsam ante præceptorum traditionem, rei ne cuiuspiam sit auditor admonendus, quod Virgilius præstitit in rebus apium, cum primum, ac præcipuum in ea præceptione sit

locus ipse idoneus ac per appositus, præstitit & hoc de uitibus atq; arbustis locuturus.
» Principio arboribus uaria est natura serendis.
Nec imitator eius Columella à magistro suo recessit, Cum præcepturus de colendis hortis præmisit,
» Principio sedem numeroso præbeat horto
» Pinguis ager.-
Atq; hæc quidem ratio tanti uideri potest, ut ante arationem faciendam à Virgilio monefaciẽdus esset auditor, ob seruãdæ naturæ agri, ac soli. Verum ut fuit scriptor ille et in præcipiendo solers, & in obseruandis rebus diligens cum uideret agrorum studium esse in Latio, totaq; Italia celebratissimũ, neq; ab agricolis ipsis ignorari agrorum naturam, neq; etiam quæ cœli uis esset ac regionis, prætermisit sponte id quidem, quod illis arbitraretur obseruatum, cœpitq; non ab obseruatione terræ, idest ab agri natura sciscitãda, sed ab actione ipsa ac si ab eo non ageretur cum imprudente agricola, sed experiente, ac probato, cuius ipsius operam diligentem, ac minime ignauam exigeret, Vt post cognitionem eam, quam de agri natura haberet agricola, mature facto opus esse sciret, essetq; cũ primis temporis studiosus. quippe cũ primo loci, dein temporis et cura habenda est et ratio. Itaq; et arationis ipsius initium uer constituit, nec tamen omittit in tradẽdis post præceptis, naturas quoq; terarum ac qualitates ostendere, et qua etiam uia id esset assequendum, diligentissime aperit. Nec uero uos moueat, quod à medijs fere nonnunquam rebus Poetæ ipsi ordiantur, cum id sequendum uideatur in alio dicendi genere, ut in enarrandis bellis, explicandisq; rebus gestis, minime tamen in genere didascalico, quod totum in tradendis uersetur præceptis, erudiendisq; auditoribus. Quid igitur mirum, exorditum esse Virgilium ab actione, id est à diligentia, quam in agricola præcipuam exigit, quando in agro colendo, ut ipse ait, nihil unquam exhausti satis est. HIE. Dici uix potest q̃ me ratio ista delectet, q̃ etiam uideatur omni è parte commendanda. Tu uero quid ad hæc Thamyra? THA. Et mirifice probandam eam iudico, & ad præstandũ promissum me me accingo. Poetæ officium, ni fallor, tribus in his præcipue uertitur, ut doceat, ut delectet, ut moueat. quæ tametsi diuersa uideri iure debent, ut quidẽ sunt, tamen et dũ docet quippiam, & dũ mouet, necesse est ut tunc etiã delectet. quonam enim modo auditorem aut docebis ipse, aut mouebis, ubi oratione uteris inerudita, incomposita, male conglutinata, uerbis inconcinnis, gestu aut ridiculo, aut horrido, uoce raucescente, & dissona?

Vt opus omnino ſit, ſcriptorẽ præcipue memorem uenuſtatis eſſe, atq; ornatus & gratiæ. Virgilius igitur, ac Lucretius, quo auditorem ad ſe raperent, ab ipſo ſtatim initio uſi ſunt principijs maxime iucundis, ac feſtiuis. ne'ue ſatietas quæ inter narrandum, docendũq; ſolet obrepere, in diſceſſu auditorem comitaretur, exitus quoq; librorum maiore etiam feſtiuitate condiuere, luſibus'q; referſere iucundioribus. Videas itaq; eoſdem & ludere, & laſciuire, totos'q; in eo eſſe, ijs ut luſibus in initio auditores trahant ad ea libenter audienda, quæ ipſi ſunt præcepturi. In exitu uero, & tanquam in peroratione id ſtudere, ne diſcedentes ſatietate ulla teneantur, immo uero ut & hilaritatem ſecum in domum ferant, & animum illorum memorem, quæ ſumma cum iucunditate uel audierint, uel fuerint etiã admirati. Quid enim magis admiramur, quàm rem uel magnam uel exiguam cum uenuſtate luſam ac lepore & comitate? Videlicet redeuntibus nobis domũ à conuiuijs non et fiſtulæ comitantur et tibiæ, quo ſatietas nulla ſentiatur è cœnis, nulla'q; poſt cœnas triſtitia? Magno igitur cũ artificio & Virgilius et Lucretius hæc uſurpauerunt, quorum exempla ſtudioſiſſimus quis'q; Poeticæ præponere ſibi ante oculos debeat.

Marinus Tomacellus, Franciſcus Aelius, Triſtanus Caraciolus.

MA.

Ego uero Hieronyme Carbo facile paſſus ſum, te præter Altilianũ oraculum aliquantum extra aciem progreſſum eſſe, propter ætatẽ in qua ipſe conſtitutus es, multo autẽ facilius patior, quod uetuſtiſſimi Poetæ, quos ſacerdotes uocauit antiqtas, multa tradidere monumentis, quæ Chriſtianis ſint rebus admodũ ẽt ſimilia, qualia ſunt, quæ ab illis de ſeceſſu Elyſio, à nobis uero de Paradiſo dicũtur. Quo'circa Frãciſce Aeli, uertor enĩ ad te, q ſtudioſe in ijs adoleſcens, per'q; ẽt diu uerſatus es, quale illud ſit, quod ab illis de Elyſijs proditũ eſt locis, ita nobis aperias, ut cõparare rebus id noſtris ualeamus. AEL. Faciã id libẽter tuo præſertim rogatu, nec minus ut uiã quoq; monſtrẽ iuuẽtuti, dum illa legunt, qua nã ea ratione, noſtra ad hæc conuertãt. Duplicẽ eſſe priſci illi hominis uitã arbitrati ſunt, et quæ duceretur cũ corpore ſimul ab animo, et qua animus ipſe ſine corpore frueretur, nã nefaria hæc de animi interitu opinio nõ dũ à ſceleratis, atq; impijs qbuſdam uiris fuerat tãta cũ improbitate ſuſcitata, ut uitæ qdẽ genus alterum propter corpus tũ ſenſibus indigere uellẽt, tũ alijs corporis ipſius inſtrumẽtis, alterũ uero cũ animus ſe à corpore ſeiunxiſſet abſolutũ, liberum, omni'q; corporea neceſſitate uacuũ. Quo'circa q̃ diu animus ipſe corpore cõcluſus teneretur, tanq̃ illius arctaretur uinculis, ueluti

in carcerẽ coniectum, minime uagantẽ aut liberũ eſſe iudicabãt. poſt
quã uero à corpore ſeparatus eſſet, liberũ tũc, ac ſui prorſus iuris effe
ctũ. Hæc itaq; ipſa illa eius libertas, campi ſunt Elyſii. in quibus ipſe
poſt ſolutũ carcerẽ, pro inſita ui, naturaq́; felix, ac ſorte ſua cõtentus
diuerſaretur, q̃ diu enim à corpore tanq̃ compeditus teneretur, nec iu
riſditione tũ ſua libere uti eum poſſe, nec quæ ſecum attuliſſet bona,
illis pro diuinitate ac iure ſuo frui. Itaq; uitam quæ ab ortu ducere
tur ad obitum, ſeruilẽ eſſe, ac carcerariã, quæ uero poſt obitum, bonis
q̃dẽ illã uiris beatã contingere, improbis uero miſerã. Vt palàm qui
dem facerent, eandẽ Deũ ſequi rationem in gignendis hominibus,
quam prudens ſequeretur paterfamilias in locandis operis ad agrũ
fodiendũ. nã & inſtrumentum illis præbet ad fodiendum, & quid
illos ipſos facere uelit operarios & uerbis declarat, & exẽplis etiã
commonefacit. q̃bus nauatã poſt operam, mercedem cuiq; ſuã diſtri-
buit, commendatq́; officium eorum q̄ probe, q̄ uero improbe rem ad
miniſtrarint de mercede ipſa detrahit, afficitq́; eos ignominia. Itaq;
merces eorum ac præmiũ qui animum pie recteq́; coluiſſent. Elyſius
putabatur ſeceſſus, in quo is perpetua frueretur beatitudine. At qui
corporeis addicti lenocinijs, degenerare à natura ſua animũ propter
corporis contagionẽ paſſi eſſent, eos relegabant ad loca cœnoſa, tetra,
caligãtia, delectatiõe oĩ uacua, æthereisq́; à regionibus remotiſſima.
Quippe quæ etiã nouies Styx interfuſa coercet. Habes Marine q̄d
ſacerdotes illi Muſarũ ſentirent, et quas Elyſias eſſe amœnitates du-
cerent, cœlum uidelicet, ad quod patere reditum bonis arbitrarentur
uiris poſt mortem, malos contra ab illo arceri putabant, cœleſtiq́; ab
ſeceſſu eiectos, extoresq́; in hac elementor fece ſordeſcere, perpetuoq́;
in cruciatu agere, luereq́; ante actæ uitæ meritas pœnas. Qua autẽ
uia hæc ipſa Chriſtianis accommodari rebus queant, Triſtanus hic.
cuius dicẽdi ſors à me ſecunda eſt, facile q̄dẽ oſtendet, quiq́;, et qualis
etiam Chriſtianus ſit Paradiſus, Chriſtiano etiã ſermone edocebit.
TRI. Ad rẽ me nõ iniucundã inuitas Aeli, difficilẽ tamẽ explicatu
propter uerba, quæ diuinis rebus parũ q̄dẽ proprie accommodentur.
cũ ea ipſa humanis q̄ diuinis explicãdis aptiora ſint. magisq́; appoſi
ta. nec nos de Deo cũ diſſerimus, alijs quidẽ uerbis, q̄ cum de homine
et loquimur, et diſputamus. Cæterum conabor ſi non explanare, ſal-
tẽ innuere, qui nã hic ſit hortus, quem Chriſtianis ſuis Deus incolen
dũ, atq; inhabitandũ poſt mortem cõſtituerit, nã Paradiſus hoc ipſum
ſonat. Quocirca æquis animis, audite balbutiẽtẽ hoiem, magisq̄ pro
dignitate explicantẽ rẽ ipſam, quæ mihi è cõuẽtus huius lege, inſtitu

tis'q; demãdatur. Principio q rebus noia indiderũt, blãdioribus quædã uocibus appellauere, ueluti de quo nũc agimus, Paradisum, ut blãdimento ab ipso appellationis homines ad eas res amandas magis, magis'q; allicerentur. Nãq; ut nostri loca dixerunt amœna, quod ea suapte natura sine aliquo humani cultus munere aut opera nos traherent ad se amanda, inuitarent'q; amœnitatis tantum gratia, sic Græci scriptores, quod horti maxime deliciosi sint, atq; ad oblectandum idonei, cœlestem illam sedem παράδεισον nominarunt, in qua tanquam in hortulis, hortensibus'q; in delitijs, sanctorum ac probatorum uirorum animi conquiescerent, uel summo illo bono potius fruerentur, & in ea quidem luce, quam irradiatione sua Deus ipse effundit, nequaquam uero ut sol, aut è stellis aliqua, sed ut qui & solus est, & pater omnium, & à quo lux quidem omnis elucescit, non qua ratione aut sol ipse illustrat quæ intuetur, aut sidera. quippe quorum illustratio oculis percipiatur, indigeat'q; elementaribus adminiculis, in hac præsertim mundi parte, quæ tera dicitur, sed qua mentes beatissimorum fruuntur numinum Deo administrãtiũ, quæ'q; Deo ipsi sunt proxima, neq; ad eã pfruendã, corporis sit opus articulis, sed naturali illa tantũ animi diuinitate, atq; opera, parũ tamen recte dixerim operã, quando nullus in ea re labor est, nulla agitatio, alid tamen uerbum minime habeo quod hoc ipso sit accommodabilius. Animus igitur mens'q; ipsa suapte quidem opera Deum agnoscit, suapte Deum natura introspicit, suopte penetratu diuinam se ad lucem, Dei ipsius munere insinuat, Dei'q; aspectu fruitur. quæ quidem ipsa fruitio Paradisus est. Hæc immortalitas, hæc beatitudo, humanorum hic officiorum, pijssimarum'q; actionum finis. ultra quem nihil est, quod expetatur, nihil quod mens nostra extra eum inquirat, nihil in quo præter ipsum, aliud quippiam repositum intellegat, expetitione ac fruitione ipsa dignũ, cum in eo collocata et pfecta sint oia. Nãq; ut nihil est supra Deũ, supra'q; eius maiestatem, sic res est nulla, quæ ante Dei fruitionem, supra'q; eius notitiam alicuius habenda sit momenti. cum in eo ipso perfruendo omnia sint reposita, ea'q; perquam perfecta & consumata. Hic est igitur Christianorum Paradisus. Elysijs delitijs similis, in quo tamẽ nec incolentium animi lacte uescuntur, ac melle, sed eo tantum liquore, qui nec aut capellarum manet ex uberibus, aut solarium è radiorum sublevatione, terenis'q; ab exalationibus, nocturno sub tẽpore liquescentibus, sed Dei tantum de luce fulgentissimo'q; eius diffundatur aspectu, mentes irrorans intuẽtiũ. de luce inquã manat, ac liquescit illa, quæ nec oculis perceptibilis est hominum, nec affatu

explicabilis, nec mentis ipsius, licet æthereæ immortalis'q; diuinitate concipi omnino queat, nisi quod Deum qui uidet, omnia quidem uidet, qui'q; eius aspectu fruitur, nihil est quod deesse illi uere possis dicere, nihil est quod ulterius aut expetendum ab eo ducas, aut desiderandum. Exigis fortasse Marine fruitionis huius locum. Quis quæso in tanta cœli uastitate, mole, infinitate locum ipsum præscribat certum, definitum'q;? nam decretum esse ipsum quidem, ac sanctum, quis dubitet? qui ordinem Dei, rerum'q; ab illo creatarum, omni è parte perfectissimum, maxime'q; sibi constantem intueatur, ac consideret. Satis itaq; esse homuntionibus nobis debet, metiri illum animo, nec spatio finiendum ullo ducere, uerum ab diuina tantum luce, diuini'q; aspectus fruitione terminandum. Hæc ego uestro ex imperio Marine, atq; Aeli. Vrna ipsa de reliquis cõsulẽda uobis est.

Pontanus. Petrus Summontius.

PON.

Lætatur in cœlo, ut arbitror, nunc Altilius, exultat'q; inter beatissimos spiritus, cum intellegit in hoc consessu, & pie cum Christo agi, & suis piissimus monitis obtemperanteis nos esse. Vnum credo illi dolet, si dolere eum fas est dicere, quod in tanto conuentu, Actij locus sit uacuus, uoluntarium ob exilium dum Federicum Regem Neapolim relinquentem, proficiscentem'q; ad Ludouicum in Galliam, accepta ab illo fide, beneuolentiæ tantum gratia sequitur, ac gratitudinis. Sed Altilius consolatione nulla quidẽ indiget cum Dijs agẽs. Quod uero ad nos ipsos attinet, hominis maxime ingeniosi, & docti quis nostrum non angatur absentia? Verum Musis ipsum comitantibus, & illi nihil prorsus timendum est, & nobis ipsis desiderio absentis eius temperandum, in re præsertim uoluntaria, & homine generoso digna. Tu quid ad hæc Petre Summonti? PE. Me uero sollicitat eius imbecillitas, cum sæpicule quidem laboret de stomacho. Sed ipsa forte peregrinatio, cœli'q; uarietas, ac terrarum, robur illi adiunget, quod fore quidem non despero. Quod uero ad animum eius ac consilium spectare potest, uehementer me hortantur uersiculi eius, quos discedens ipse in puppi constitutus, quasi Nereidibus audiẽtibus, ac locorum nymphis, decantauit, quorum ipsorum recitationem non temere recreamentum arbitrer quasi quoddam quæstionum haud multo ante explicatarum, nec paruum quoq; momentum allaturã absentiæ eius desiderio moderãdo. Sũt aũt uersiculi huiusmodi.

" Parthenope mihi culta uale, blandissima Siren,
" Atq; horti ualeant, Hesperides'q; tuæ.
" Mergillina uale nostri memor, & mea flentis

» Serta cape, heu domini munera auara tui.
» Maternæ saluete umbræ, saluete paternæ,
» Accipite & uestris thurea dona focis.
» Ne'ue nega optatos uirgo Sebethias amnes,
» Absentiq; tuas det mihi somnus aquas.
» Det fesso æstiuas umbras sopor, & leuis aura,
» Fluminaq; ipsa suo lene sonent strepitu.
» Exilium nan sponte sequor. fors ipsa fauebit.
» Fortibus hæc solita est sæpe & adesse uiris.
» Et mihi sunt comites Musæ, sunt numina uatum.
» Et mens læta suis gaudet ab auspicijs.
» Blanditurq; animi constans sententia, quamuis
» Exilij meritum sit satis ipsa fides.

Hos ille abiens confirmato admodum animo, uultuq; quàm maxime hilari pronũtiabat, quem nos ut amicum, ut Regem sequentem suũ & bonis prosequamur ominibus, & Deos illi propitiabiles, bene precemur. Cæterum ut à quo tua Iouiane cœpit, ad eundem quoq; Altilium mea conuertatur oratio, non' ne existimas cum bonis illũ Genijs, qui pie, percolenterq; morientibus adesse solent, astitisse morienti nuper Elisio? quem tu ita q̃dem solatus es, sic hominem confirmasti, tale illi robur addidisti, ut astantibus honestissimis uiris, sacerdotibusq; maxime uenerabilibus, ipse sublata uoce diceret, Mori nec deprecor, quando tu me ad mortem tam confirmate adhortaris, id est ad perfruẽdam uitam, sempiternam illam quidem, ac bonis uiris, quiq; pie uixerint, cum dijs ipsis communem. Hæc ille moriens dictabat, uersabatq; in ore. » Viue pius, moriere pius, nõ eo tamen sensu quo ab authore suo uersus ille pronuntiatus est, sed quod qui bene uixisset, ac pie, & bene & pie eundem quoq; emori contingeret. Et Gallutius quidem Elisius sic è uita discessit, ut amicis desiderabilẽ reliquerit sui ipsius memoriam.

Pontanus. Chariteus.

PON.

Ego te Charitee, quod diutius mussitantem intueor, quo nam mussitatio ista euadat tua, uel auenter uidere expecto, ni res fortasse uxoria negotium tibi afferat, in re præsertim familiari, ac molestiarum plena. CHA. An fortasse arbitraris Petronyllæ uxori inditum nomen à Petrone, ac ueruecæ sectario? (sic enim quidam è priscis illis eũ uocauere) quod uidelicet gregem mihi filiarum uxor comparauerit, quæ illam sequantur & ad rem diuinam, atq; in templa, et ad inuisendas per urbem puerperas, ad celebrandas item nuptias, ac festos,

deis. Sed deſinam hac nunc in confeſſione, his'q; in quæſtionibus uel
le uideri facetus. Vos igitur qui hic adeſtis uiri optimi ſic accipite,
Hermetem illum, quem uetuſtas ob ingenij diuinitatem agnomina-
uit Termaximum, his ipſis diebus, ſuis me armis, ſuis item telis in=
ſtruxiſſe, me'q; illius iuraſſe in uerba, itaq; Platone relicto, ex hoc die
militiam eius ſequor. Quæ autem Iouiane Muſſitantem me de eius
lectione animaduertiſti, hæc quidem ſunt, ſi modo eius ipſius libri,
qui nunc uerſatur in manibus, Hermes ipſe eſt author. In re quidem
Chriſtiana duo potiſſimum principia eſſe conſideranda, & mundi ip
ſius, rerum'q; quæ eo continentur, hominis'q; præcipue creationem,
quod primum quidẽ principium eſt, et generis ipſius humani, poſtq̃
in immenſum creuit, labi'q; in ruinam improbitate, ac libidine cœ
pit ſua, ſalutem, atq; ab interitu illo miſerabili receptionem, quod ſe
cundum quidem principiũ iure appellandum cenſeo. Quod'q; Her
mes ipſe diuini ſæpe uerbi mentionem faciat, ſic mecum ipſe & rerũ
creationem perſcrutor, ex animo'q;, & Deum ipſum contemplor, ut
qui initio per ſapientiam, quæ ſunt, cuncta quidem uerbo creaſſe illũ
contendam, poſt uero per Gabrielem, ſiue noſtro Genium, ſiue Græ
co nomine Angelũ ſalutẽ etiam uerbo peperiſſe mortaliũ generi uni
uerſo, facinus profecto utrunq; diuina illa caritate dignum, Dei'q;
ipſius beneficentia, et munere. Igitur creationem ipſam proueniſſe cre
diderim ex uerbo Dei, dictante ſapientia. quo ſtatim momento enũ=
tiauit Deus ipſe, dixit'q;, Fiat cœlum, Fiat tera, Fiat lux, quæ'q; cæ
tera diuino ex ipſo uerbo prouenerunt omnia. Cum'q; præter Deũ
ipſum antea, præter'q; ſapientiam, quæ cum Deo & erat ab initio, et
fuit, et eſt ſemper, nihil exiſteret omnino aliud, præter'q; uerbũ, qđ ip
ſum Deus qdẽ erat, crediderĩ ſimiliter oĩa illa è nihilo, uerbo ipſò
Dei, dicto'q; proueniſſe. At dixerit quiſpiam, quo nam modo Deus
è nihilo hæc ipſa eduxerit? At quo nam hic ipſe conſilio aut fidu-
tia hæc dixerit? cum audeat Ariſtoteles profiteri cauſam illam tertiã
generatiõis eſſe carẽtiã, quã Latini qdã eius ſectatores uocãt fortaſſe
minus proprie priuationẽ, quæ qdẽ ipſa nihil prorſus eſt, cũ tñ et mate
ria, et forma res qdẽ ipſæ ſint, priuatio uero re ipſa nihil omnino ĩ ſe
habeat, præterq̃ qđ cogitatione tãtũ cõcepta, poſt uoce enũtietur. Hu
manorũ igitur ingeniorũ, q̃q̃ non tñ omniũ ſiue uanitas, ſiue ĩſolẽtia,
addã ẽt ignorãtia exigit expoſtulat'q;, ad mundi procreationẽ con=
uenire oportuiſſe materiam ſimul, ac formam, quarum altera rebus
inſit ipſis, illas'q; informet, ex altera uero res conſtituantur, item'q; ca
rentiam, quæ ante generationem quidẽ nihil eſt, formã autẽ inſitã
ſic eſſe rei uolunt, ut omnino poſtq̃ qđ generatum eſt, interijt, ne ipſa

quidē amplius appareat, materiā uero in aliud trāsferri, atq; aliud. Hæc parum pij homines ita se habere & uolunt & digladiantur, parumq; aut intellegunt, aut consyderant, in diuino illo edicto, Fiat, & materiam inesse & formam. quando id ipsum Dei uerbum, Dei uoluntas est, idem quoq; uerbum & iussus, & edictum est Dei. Quamobrem si Dei uoluntas uerbum est, & idem Deus est sapientia, idem quoq; omnipotentia, quid mirum oculatissime physice in uerbo illo Dei inesse simul & materiam, & formam? ac materiam quidem, quoniam eandem hanc ipse posset subministrare, & simul cuncta ex ea propter omnipotentiam gignere, formam uero illam rerum constitutricem, quoniam sapientiæ ipsius munus hoc esset propriū. Informare enim aut statuam, aut picturam, cuius nam est, nisi sapientis aut pictoris aut statuarij? Quod si statuarij, ac pictoris inest mente, qualis sit futura statuæ figura, ac picturæ, quam & hic & ille sibi effigiandam proposuit, quid obsecro uim ac potestatem hanc eripere conaris Deo rerum omniū artifici? In sapiētia igitur Dei, atq; omnipotentia insunt hæc ipsa omnia & informandi, & materiandi, atq; è nihilo etiam producendi, quæcunq; ipse & esse uoluisset, & decerneret fore, & quandiu quidem illa ipsa & esse decerneret, & qualia. Itaq; ut fatum à fando, id est à dicendo deductum est, quia Deus ipse sic edixerit atq; effatus sit, cum rerum naturæ legem præscriberet, sic & uerbum, cum dixit ipse, iussitq; in rerum procreatione, Fiat cœlum, fiantq;, ut ab eodē ipso dictum est, cætera. Quamobrē hoc ipsum creationis principium, reipublicæ Christianæ primum quidem esse principium statuo. Venio nunc ad alterum. PON. Tibi quidem Charitee uidendum est, qua nam uia progrediare, cum podager ipse sis, medicorumq; maxime indigeas opera, quorum officiū est, ad materiam potissimum studia, curationesq; suas referre. CHA. Ista quidem perinde dicuntur à te Pontane, ac si ignores, naturam ipsam ea ratione podagris consuluisse, quo dolorem minus sentiant, lingua ut uterentur loquaciore. Quodq; tu ipse factus es iam surdaster, uoce etiam utar clariore, magisq;, ac magis plena. Quamobrē, reliqua quæ sunt, quæso animaduertite. Cognouerat Deus ruere in præceps quem creasset hominem tanta cum dignitate, atq; excellentia animantium cæterorum. admonitus itaq; à sapientia, atq; à caritate, consulendum ei decreuit etiam per uerbum, per quod & illum genuerat. Itaq; Genius ille Deo acceptissimus cum ex ore di-
» xisset Dei, Haue uirgo, Dominus est tecum. uerbum ipsum in utero receptum uirginis, humanitatem assumpsit, ut diuinum uerbum illud

cum è Deo

cum è Deo esset, & homo idem fieret, & nihilominus Deus esset. Cumq; è Deo natus esset Deus, idem tamen esset & pater, & filius, perinde, ut idem & Deus & homo. Cumq; ut Deus, & homo aliquã diu uersatus esset inter homines, mori deniq; pro salute hominis uoluit, atq; ut Deus et homo, liberare hominem à morte ꝑpetua, maximeq; miserabili constituit. Itaq; ut uerbum ipsum principium fuit creationis & mundi, & hominis, sic & principium etiam eiusdem à mortis tenebris, ac miserijs uindicandi. Nec mirum hoc ulli bene instituto, diuinæq; caritatis obseruanti uideatur, si considerauerit, uerbis etiam hominum ipsorum alios iam iam in mortem prolabenteis, in uitam è morte restitutos, alios dum pati contumeliosa nequeunt uerba, mortem sibi ipsos consciuisse. Quod si nulla maior est hominis uis, ac facultas, quàm quæ constat è uerbis, mirum, si Deus uerbo suo mundum primo constituit, procreauitq; hominem, deinde uerbo etiã illum suo uindicauit ab interitu miserabili, restituitq; ad uitæ munera etiam cœlestis ac perbeatæ? Hæc mea erat Iouiane mussitatio illa à te animaduersa, quàm uobis ueluti Hermetis studiosus ac nouus eius miles explicaui. Reliquum est, ut, quoniam muneri à me satisfactum est meo, Pardum iam audiatis.

Pardus, Chariteus.

PAR.

Equidem ego te uel inter loquendum risissem Charitee, nisi de religione, deq; republica Christiana sermo esset habitus. dum physicos tam imprudenter, ne parum pudenter dicam, ipse in te prouocas. Concedatur tamen hoc podagræ, articularibusq; doloribus, de quibus tam sæpe quidem iaces. Et quoniam à te de priuatione facta est mentio, dicam de ui uerbi, ne de rei significatione loquens, uidear aduersus religionem per diuerticula uelle irrumpere. Hoc ipsum autem uerbum in usum ita receptum est, ut alterum illud quod est carentia, à plerisq; aut ignoretur, aut parum bene intellegatur. Quo fit, ut cum à doctis etiam uiris receptum sit, probari à nobis quoq; ipsis debeat, quando nihil omnino afferat, quod aut interpretationi obsit, aut aduersetur disciplinæ. Tamen sic habeto, hanc ipsam uocem deduci à priuatu, ipsoq; à uerbo priuo, à quo est priuatus, quæ uox suapte natura aduersatur publico, ut cum dicimus agros alios esse publicos, alios priuatos, hoc est singularium ciuium, fitq; ex eo, ut uitam agere priuatam dicamus eum, qui publicis gerendis à magistratibus abstinet,

ciuilibusq́; muneribus. Eadem quoq; uox idem alibi præſefert, quod exutus, ſpoliatusq́;, ut cum dicamus priuatum aliquem bonis, ac fortunis ſuis, nec non etiam ut cum Lucretius ait, Priuata dolore omni. quod libera ſit exemptaq́; ac uacua dolore ab omni deorum natura. Priuum autem, à quo eſt uerbum priuo, ſignificat quod eſt ſuum cuiusq́;, ac proprium, unde priuilegium, quod nõ ſit publicum, ſed ſuũ, ac ſingulare cuiuſpiam ſiue ciuis ſiue familiæ, ſiue municipij. Sequitur autem hæc ipſa priuatio uerbalium uim, ac naturam nominum. ut uectatio, legatio, uerberatio, largitio, congreſſio, ſponſio, cognitio, cohortatio, & id genus cætera. Quocirca uidetur à phyſicis accepta in ea potiſſimum ſignificatione, in qua eſt apud Lucretium, ac ſi uacuitas quædam ipſa ſit, ut cum dicimus materiam aliquam, ut ceram uacuam forma, quod ei nulla prorſus inſit effigies, ut maſſam cementitiam, quæ nec parietis nec ſtructuræ cuiuſpiam figurationem habeat ullam, uerum informis ipſa ſit, omnisq́; penitus informationis expers, ac uacua. Itaq; tametſi pro eo in quod ipſi intendunt phyſici, priuationem accipiunt, parum tamen dictio id ipſum implere uidetur, nec palàm quidem illud, nec planè præſeferre. Cũ uoces ipſæ uerbales ubiq; ſiue paſſiuitatem innuant tantum, ſiue actiuitatem, phyſicis uero opus ſit, uoce præſertim indicatiua naturæ eius de qua eſt quæſtio, cuiuſmodi eſt carentia, quæ indicet materiam ipſam quidem expoſitam eſſe, ac paratam ad induendam ſeſe formã, qua ipſa penitus careat, non tanquam illa fuerit aliquando ſpoliata, uerum ut exors, atq; omnino uacua, quæq; ueſtiri ea non dedignetur. De uerbo autem careo Marcus Tullius recte quidem multa præcipit, ut cum ait, non poſſe eum qui ipſe non ſit, re ulla carere, nec recte dici qui ſit mortuus, carere eum uita. Ad hæc ne ſi dicamus uiuum quidem hominem cornibus carere, aut pennis, quia cum id non habeas, quod tibi nec uſu, nec natura ſit aptum, illo minime careas, etiam ſi ſentias te non habere. Deniq; carere ait eſſe, egere eo quod habere uelis, ineſſe autem uelle in carendo, niſi cum dicatur, carere aliquis febri, aut cum aliquid non habeas, neq; id non habere te ſentias, ad hæc nec eo indigeas, tamen dicamus illo te carere. Itaq; uerbo careo multis etiam modis ut alijs etiam quibuſdam uocabus ſcriptores abutuntur, multumq́; in dicendo non ſolum tralatio ualet, uerum etiam abuſus. Propriam itaq; appellationem eſſe arbitror carentiam, cum materia indigeat forma quam ſuapte natura cupiat ſibi ineſſe. Quocirca Ciceronis quoq; authoritatem ſi ſequamur, propria rei de qua agitur appellatio, eſt carentia. Quia uſus tamen aliter obtinuerit, nullo modo uidetur repu-

gnandum, penes quem, ut Horatius præcipit, & arbitrium iusq; est loquendi, & norma. Hæc ego tecum habui Charitee, quo pacem tibi cum physicis procurarem, quorum opera & stomachus, & pedes isti tui tam sæpe indigeant, ni ægre forte id tulerit Franciscus qui hic adest Pudericus, qui & ipse non modo cum medicis uerum, cum ipsis etiam astrologis bellum gerat assiduum.

Franciscus Pudericus, Pardus.

PV.

Quidni mihi cum astrologis bellum sit Parde? cum Iouianum hunc uideam, qui tam multa scripsit de sideribus, sæpenumero illis irasci, nec omnino satis bene de illorum dictis sentire atq; enunciatis, cum tamen disciplinæ sit eius ipse mirifice studiosus. quanquam, ut mihi semper uisus est, non ut Ioannes Picus in disciplinam ipsam armis equisq;, quod dicitur, irrumpit, cum illam tueatur, ut cognitu maxime dignam, ac pene diuinam, sed astrologos quosdam, ut parum cautos, minimeq; prudentes insectatur, ac ridet. PAR. Non temere hoc qdẽ Puderice. Quid enim magis siue absurdum, siue temerarium, quàm quod coniecturis præcipue constet, id necessarium esse uelle. Cũ enim cœli syderumq; agitationes inferiora hæc quod liquido appareat, citatu moderentur suo, nequaquam tamen quæ ab illis innuuntur, iisdem numeris, eadem quoq; qua portenduntur uia ubiq; eueniunt, quod res ipsæ inferiores, superioribus illis causis, aut non omni è parte assentiantur, aut etiam omnino repugnent. PV. Sunt igitur causæ illæ agentes ac primæ, hæ uero patientes ac secundæ. PAR. Nimirum sunt. Nam nec calor ipse solis ubiq; est æqualis, nec terrarum situs idem, ac par omnium. Quodq; ad hominum res spectat, uolũtates ipsæ nostræ, dũ imperare uelimus sensibus, liberæ quidem sunt, syderalibusq; agitationibus aliquãto ualidiores. Quod quo nã modo fiat, id si aperuerim, non indignũ conuentu isto uideatur. Quatuor hæc corpora, quæq; alio nomine sunt elemẽta, materiãq; generationi suggerũt, uel ipsa eadẽ potius sunt materia, quatuor quidẽ humores subministrãt, è qbus hæc cõstant omnia. Hi pro motu quidẽ solis, lunæq;, atq; utriusq; habitu, ne de aliis nunc loquamur stellis, in assiduo ubiq; sunt aut incremẽto, aut imminutione. Qua è re generatio cietur, atq; corruptio, exindeq; in eodẽ nunq̃ persistunt statu. quãdo et solis, et lunæ mutationes ipsi quoq; imitentur, ac luna ipsa continenter penè fluctuet, sol uero erraticas cum stellis nunc sit ipse propior, nunc

contra remotior ab regionibus, quas incolimus, quibus è rebus & in crementa sequuntur humorum, qualitatumq; et item imminutiones. Has ad res permultum etiam regionum conferunt tum situs tum habitus, cum Apulia, Libya, Aegyptus aptior sit calori, Siccitatiq; augendæ, quàm aut Germania aut Gallia, hæ uero quàm illæ frigori, atq; humectationi. Ad hæc terarum aliæ non multam quidem hominum exigant aut operam, aut industriam in re frumentaria procuranda. Aliæ contra suapte natura parum sint feraces. Quid quod habitus ipse locorum alibi obtusiora gignit ingenia, alibi magis acuta, eademq; uersutiora. Quo fit ut tam multæ quoq; rerum earundem sint uarietates. Quod in saporibus potissimum, ac succis ostenditur, itemq; in animalibus siue ferris siue altilibus, ac tum in celeritate eorũ, tũ etiam in statura & robore. Vt humores hi ipsi non solum agitationes sequantur stellarum ac cœli, uerum etiam agrorum naturas, ac regionum tum situm, tum habitum. Quod cum ita sit, ne stellarum quidem effectiones ubiq; aut eædem, aut pares esse possunt. Quæ qui astrologus probe cõsyderauerit, uix ille lõgius aberrauerit à prognosticorum cœlestium significationibus uere pronuntiandis, quousq; tamen coniectura sese ipsa tuto conferre poterit. Hæc igitur ipsa cum tantopere inter se dissentiant, ac tam sint, quàm profecto sunt cognitu difficilia, nata est hinc obseruatio, cuius proprium est intueri quæ appareant signa, eaq; animaduersa multumq; retenta in mente qd tandem afferant, expectare. indeq; à re ipsa prognostica dicta sunt, non tamen ut semper quæ promittere uideantur, præstent, sed quod plerunq; tantum. Cum & medici, & nautæ, ipsi quoq; agricolæ, in curationibus ægritudinibusq;, item in pluuijs aut serenitatibus, frugumq; prouentu, aut huberiore aut modico, non raro se à signis obseruationeq; deceptos querantur. Minus ut mirũ uideri debeat, astrologi quoq; si fallãtur, cum ipsæ aliquãdo causæ inuicẽ se oppugnent, actiones q; ac passiones inter sese (ut dictum est) non uno modo dissentiãt. Tertio ante anno ager Campanus laborauit plus solito æstiuis pluuijs, eodẽ tamen tempore in agro Brutio ac Cotroniensi de nimia siccitate atq; æstu uineæ exaruere. Hinc igitur mathematicorum uanæ prædictiones, quod ad ea quæ portendi uidentur à stellis, nõ omnes conueniant simul causæ, permultaq; eos lateant, quemadmodum & medicos. Et hi quidem frustra haberi solent, non solum propter naturam morbi humorumq; parum cognitam, uerum etiam ægrotantium et regionis, aerisq; ipsius, ob alias causas atq; alias, ac tum uentorũ, tum exhalationum, Illi uero propter incognitas stellarum ipsarum misturas,

rum misturas, aut quod in id tempus incidant significationes aliquarum siue copulationum, siue eclypsium, aut cometarum, multis ante annis eas portendentium, quæ parum quidem obseruatæ fuerint. Interdum quod regio ipsa perniciosis à uentis aut uexetur, aut à salubribus defendatur, plusq; uenti ad prohibendũ ualeant, quàm ad nocendum hostilis stellarum irradiatio. An nõ Hetruriæ maritima pleraq; pestilens est ora, propter paludes, halitusq; malignos ab ijs afflatos, aurasq; illos agitantes? cum collinæ eius regiones sint quàm saluberrimæ, Itaq; & in locis illis palustribus salutiferæ stellarum configurationes parum prodesse per æstatem poterunt, & collinæ salubritati non adeo malignæ nocebunt, ac pestilentes. Patrij quoq; mores, consuetudinesq; municipales, atq; artes, institutaq; tum publica, tũ domestica multum in utranq; partem conferunt syderalibus configurationibus. Quid quod rerum certa cognitio, eaq; quæ scientia dicitur, generalibus uersatur in perscrutationibus? quis igitur humorum, è quibus constamus singulares assequi possit siue commistiones siue temperaturas? quis rursus syderũ particulareis uires, quæ tũ abstrusissimæ sunt, tum pene etiam infinitæ? quis item aduersantium inter se causarum digladiationes particulatim cognitas & obseruatas habeat, & quantum, & quousq;? Itaq; illi ipsi, q ad particulareis dilabuntur prædictiones, ab ipso etiam Ptolemæo habentur derisui. Cũ necesse sit eorum coniecturas, obseruationesq; hac in parte uacillare, ipsosq; non solum deerrare è uia, uerum turpissime dilabi, deq; uestigio ruere. Vides igitur Puderice, tam multi unde mathematicorũ proficiscantur errores, coniecturæq; tam fallaces, ut iure quidem irasci illis & poscis, & debeas in pestilentijs prædicendis, itemq; in sterilitatibus, tempestatibus, abluuionibus, atq; euentis alijs.

Veniamus nunc ad hominum uoluntates, quibus si sese ipsæ sensibus dominandas permiserint, nihil est fluxius, imbellius, addam etiam infractius, domabiliusq;. Contra nihil quod sit illis generosius, robustius, imperiosiusq;, ubi sensus ipsos, eorumq; illectamenta nihili fecerimus, miserimusq; sub iugum. Vẽdidit M. Cato confectum iã senio equum, qui cum ipse siue Consul siue Prætor militauerat, Marcus, inquã, Cato optimus sui temporis orator, Senator, imperator, sic enim est habitus. Cur uendidit? quia uoluit, quia plus apud eum attenuatissima illa ualuit parsimoniæ cura, quàm ratio & Senatore, & oratore, et imperatore tam ualde etiam spectato digna. Quodq; usurpare esset solitus bonum patremfamilias uendacem esse oportere magis, quàm emacem, uoluit etiam in re sua præceptum id pertina-

cissime tenere. At coactus est ad hoc ipsum ab natalitia coeli, stellarum'q; configuratione. O' coelum auarissimum, o' stellas tam attenuate, ac sordenter parcas, quae in hoc tam intentae essent, tantopere'q; peruicaces. Potuit procul dubio coeli stellarum'q; cōfiguratio Catonem facere ad parsimoniam propensiorem, propter humorum e' quibus constaret compactionem, non tamen ut cum summa & Senatorum, & ciuium Romanorum siue accusatione, siue irrisione, militarem uel consularem potius equum uilissimo etiam pretio captus uenderet, ac si equus ille nascente Catone, sollicitas stellas sua etiam de uenditione fecerit. Ptolemaeus Aegypti Rex sororem suam duxit uxorem, impulsus uidelicet expugnatus'q; natalis coeli, ac stellarum themate. O' profanum coelum cum themate etiam tam impuro & conquinato, in quo tam immanis reposita esset libido. quis uel summe etiam improbus, ac peruicax asseuerare hoc audeat? Etenim configurationes illae intemperantiam tantum portendunt humorum, ac concretionis corporeae, atq; in re quidem Venerea, detur etiam et in sororia coniunctione. An non felicissimus ipse Rex, ac potentissimus poterat, quod quidem noluit, sororem suam alij locare in matrimonio, ipse aliam sibi ducere? At medica uel medicis adhibitis medicamentis humorem qui nimius sit, temperant, cogunt'q; sub regulam, qui minimus, atq; attenuatus, eum & exuscitant, & attollunt. Tu uero Rex eximie minime potuisti nefariam istam libidinem continere, quod uidelicet noluisti. Patrauit igitur scelus hoc, quia uoluit, nam si uoluisset, qua diximus uia euitare illud omnino poterat. Quod ut patraret, credibile est, multas uarias'q; in ea re cogitationes consumpsisse, sed passus est tandem à libidine sese uinci. At apud Persas eiusmodi matrimonia erant & usitata, & concessa, secutus'q; est finitimae gentis exempla. Nam qua promptitudine secutus ipse Persas est, cur non Macedones secutus est suos, laudatissimos'q; Macedonum Reges? nequaquam autem secutus est, quia noluit, quia imperari maluit sibi à libidine, quàm ipse libidini imperare. I' nunc & coelum incusa & stellas, & nefarias stellarum configurationes. Tempestate hac nostra qui apud Reges, regulos'q; magistri fuere epistolarum, uti'q; hodie dicuntur, Secretarij, summum in modum locupletati sunt omnes, praeter Iouianum hunc, qui hic adest, quam ad rem ab amicis, familiaribus'q; assidue cohortatus cum esset, nunquam à proposito dimoueri potuit, illud in ore semper habens, Egere nolo, opulentus esse recuso. qua ratione non modo cupiditati imperauit, pecuniarum'q; appetitioni, uerum ipsis etiam Re-

gibus in re publica moderanda. quam animi firmitatem his ipſis
etiam diebus oſtendit. Cum enim capto Regno Neapolitano, Lu-
douici Galliarum Regis præfectus, magiſtratum ei offerret, quo è re
ditu eius ſenectutem opulentiorem duceret. At inquit, non opulen-
tiorem eam feceris, uerum occupatiorem, quando dijs innãtibus nul
lius honeſtæ rei indigeo. Voluntas certe hæc fuit ratione tempera-
ta, eáq; cupiditatum uictrix, ac ſenſuum titillantium. Nero Augu-
ſtus ſingulari fuit crudelitate nobilitatus, quis ſanæ tamen mentis
inficietur, in procreando Nerone ſeminis, humorúmq; temperatu-
ram, è qua fotus ipſe, & concretus eſt, apprime malignam fuiſſe? ſtel
laſq; ipſas eam ad rem adiumenti plurimum contuliſſe? ut ſuapte
natura Nero procliuis eſſet, atq; incitus ad ſæuitiam. Fuere igitur rei
huius cauſæ tum materia ipſa, è qua Nero conſtituit, quod male
eſſet fermentata, tum ſtellarum malus habitus, peruerſáq; configu-
ratio, quæ aut humorem ſecuta eſt, malignum illum quidem, atq;
peruerſe affectum, aut eum malignitate, ac deprauatione affecit
ſua. Eſto, detur hoc quidem. At inuenire noua ſuppliciorum gene-
ra, inuſitatáq; excogitare tormenta, & cum artifice conuenire, qua
uia nauicula maternum ad naufragium opportune ſtrueretur, Ne-
ronis hoc fuit, ſanguinariǽq; eius uoluntatis, non ſtellarum, ac cœ-
li. Fuit autem Neronis, quia uoluit. uoluit autem, quod ab ambitio-
ne rapiebatur, qua expugnatus conculcauit ipſe rationem. Sed deſi
nam pluribus iam exemplis uti, maximorum etiam uirorum, quorũ
uoluntates uictæ cupiditatibus, aut ſenſuũ captæ illecebris iere præ
cipites. Quo circa his hunc in modum explicatis, quæramus eadem
hæc aliquanto etiam exploratius.

P rincipio laus omnis, uituperatióq; uoluntarijs uerſatur in actio-
nibus, exiſtítq; ab illis. Cum enim natura duce moueamur ad ea
cupienda, quæ boni alicuius ſpeciem præſeferant, eáq; à ſenſibus
repreſententur, de quorum titillatione animus ſeſe exciat, non prius
tamen ad ea peragenda, quibus aſſecuturum ſeſe illa confidat, ani-
mus ipſe expergiſcitur, quàm uoluntas quoque ſuſcitetur, quæ initio
quidem ut libera, ac ſui iuris latius euagatur. poſt uero adhibita ſe-
cum in conſilio ratione, ac frenum ſibi ipſa imponẽs, eo accepto, ſeſe
ipſam moderatur, redigítq; intra præſcriptum, mox deliberando
eligit quæ pro facultate ac uiribus ſuis eligenda uideantur, quin
ratione duce illa ipſa perſcrutatur diligentius, perpendítq; maiore
cum pẽſitatione quæ à ſenſibus ſunt oblata, an talia ſint, qualẽ eorũ
ſpecies ſeſe offert, ſint nec'ne ipſa utilia et iucũda, an rurſum iutilia et

molesta. Post uero his perpensis, & cognitis, euagatione'q; illa tam libera sub frenum coercita, iter statim ingreditur, quo quae eligenda esse duxit, peruenire ad ea possit. Iuris itaq; atq; arbitrij eius fuit, nec ne uellet siue eligere ac prosequi, seu nihil omnino curare. Est igitur suapte natura, statim'q; ex quo suscitata est libera. quae rationem si sequatur, libertatem ubiq; suam & tuebitur & retinebit, Sin relicta ratione à sensibus delinita illis obsequatur, nimirum amissa libertate, captiua ducetur, & quae imperare ipsa sibi noluit, imperio seruiet alieno. Est igitur sui iuris, ac libera, quoties sese à sensuum, malarum'q; cupiditatum ui ac captiuitate tuebitur, Tunc uero facile tuebitur cum excitata inter eam, sensus'q; ipsos controuersia, bona ne sint an mala, quae à sensibus offeruntur, rationem sequetur, illam'q; sibi in auxilium uocabit, cuius etiam consilio utetur, ac ductu. An non tibi uoluntas ipsa uideatur libera, quae cum sensibus in certamen descendat, quae'q; uictrix omnino euasura sit, praeterquam si illorum insidiosis blanditijs capi se patiatur. Demum quã ad actiones tunc accingimur, cum uoluntas ipsa & uoluerit, & elegerit, & decreuerit suscipiendum aliquod siue inceptum siue negotium, merito actiones ipsae ad uoluntatem referuntur, quae si cum ratione progredietur, nimirum ipsae laudabuntur, contra uituperabũtur, ubi & in eligendo, et in progrediendo de rationis deerrans uia, sensus'q; delitijs emollita cupiditatem sequetur ducem, illius'q; inhaerebit uestigijs, paruerit'q; imperio. Non solum autem res ipsae, actiones'q; uoluntatem liberam esse testantur, uerum etiam nomen ipsum deliberandi, quod uidelicet liberum eius sit in decernendo iudicium, uelit ne suscipere, & prosequi, an contra desistere, ac sensuum ipsorum monita labi sinere. Legum quoq; constitutores, ac moderatores populorum id ipsum testantur, cum impunita dimittant crimina, quae furentes admittunt, atq; insania perciti, quod uoluntaria ea minime sint, nec furentes ipsi liberi aut sint, aut haberi debeant. Postremo autem consyderandum uidetur, cum sensus corporei ipsi sint, singuli'q; corporeis utantur instrumentis, ut auribus ad audiendum, ut oculis ad uidendum, naribus item ad inodorandum, palato, lingua'q; ad degustandum, ac siue manibus, siue alia parte corporis ad tangendũ, uoluntatem tamen ipsam nulla parte corporis uti, nulla'q; re corporea, cum aut deliberat, aut eligit, decernit'q;. quippe cum uis ea potestas'q; tantum sit animi, atq; ex omnibus animalibus, hominis unius. Quo fit, ut caeterorum quidem sit siue impetus siue instinctus tantummodo, hominis uero uoluntas propria, ac peculiaris. Igitur si stel

larum effectiones uersantur inferioribus in corporibus, rebusq; illis tantum, quæ ex elementis constant, ipsaq; elementa campus quasi quidam sit, in quo stellæ uires exerceant suas, qua nam uia uoluntates hominum subiectæ illarum sint agitationibus? quarum iurisditio tantum sit in elementis, rebusq; elementaribus, animus uero & incorporeus ipse sit, et ab omni prorsus elementari qualitate, ac conditione uacuus, cuius uoluntas ipsa, uis potissima quidem sit, quæ actiones ad quas homo natus est, uel commendatione honestet, uel opprobrio damnet, ac contẽptu. Iure igitur Puderico mathematicis illis succenses, q tã sint futuras ad prædicendas res proni, hominumq; mores ac fortunas ab ortu statim ipso pronuntiandas, ac si nulla in eis sit libertas, nulla deliberandi aut eligendi siue ratio siue authoritas, quæ qdẽ tanta est, ut homo sui iuris sit in ijs administrandis omnibus, in quibus animus imperare habeat, nec corporis ei sit opus ministerio, ac præsidijs. Possunt cœlestes tamen configurationes impedimento illis tunc esse, ac se se animo ipsi opponere, cum corporeis, atq; externis indigeat auxilijs, ac fauoribus. Vbi uero actiones solius tantum fuerint animi, frustra tunc de stellarum actionibus disputatur, ac uiribus, cum, ut dixi, animus ipse liber sit, ac suopte arbitratu eligat, decernatq;. Hæc habui tecum, tuamq; in defensionem quæ Francisce dicerem, longius fortasse q̃ portio dicendi ferret mea, breuius certe, quàm res ipsa exigit. Quamobrem finem his faciam, si prius tamen hoc subdiderim, hominum illorum numerum oppido quàm exiguum esse, animum qui colant, animiq; arbitratu utantur, atq; imperio. Cum multitudo fere uniuersa corpori sit omnino dedita corporeisq; illecebris, ut fortasse mathematicis ipsis permittendum sit, laxissimis etiã habenis currere ad apotelemasmata pronuntianda.

Pontanus. Suardinus. Pœtus.

PON.

Venit mihi in mentem Suardine, tuq; Fundane Pœte, ut quando à uobis cœpit, uobiscum quoq; confessio hæc desinat, plurima secum dãna afferre ẽt ingeniorũ, tẽpora ipsa, temporũq; iniqtates, non pauca rursus honestamenta commendationesq; & artium et facultatum, eorũdem quoq; felicitatem. Audiuistis ipsi quàm apposite Pardus, quàm pro rei natura, & ornate disseruerit & copiose. Itaq; quanquam senem me, annisq; grauatum. spes tamen cœpit fore, ut ante, quàm à uobis emigrem, Latinam uideam philosophiam & cultu maiore uer

borum & elegantia res suas explicantem, ut'q; relicta litigatrice hac disputandi ratione, quietiorem ipsa formam accipiat & dicendi, & sermocinãdi, ac uerbis item suis utendi, proprijs maxime'q; Romanis. Cum'q; plura sint quæ me ad hanc ipsam inuitent spem, cum primis profecto Aegidius mihi hoc promittit Eremita. quem superioribus diebus in hortis cœnobij Baptistæ Ioannis cum deambularemus, quod est Neapoli ad Carbonariam, adessent'q; mecum unà quem hic adesse cernitis Hieronymus Carbo, item'q; Chariteus, ita quidem locutum, & ipse memini, & hi ipsi testificari hoc idem possunt, ut ægerrime ferret, uitium hoc inter philosophantes inoleuisse nostrorum temporum, cœpisse'q; illud iam nostris à maioribus, nemo ut nunc audeat Latino more, ac peruetusto illo quidem maxime'q; probabili, de naturæ rebus, de'q; uirtutibus disserere, fluxisse autem inde uitium ipsum, quod superiorum temporum philosophi secuti eorum qui Aristotelicos libros satis quidem ignoranter transtulere, & uerba & modos, ac dicendi figuras, multa quæ Latine, ac proprie dici possunt, aut neglexerunt accommodatis explicare uerbis, aut scire quo nam pacto recte dicerẽtur id minime curauere. Cœpit igitur sic uir & doctus, & eloquens. Est Græce ἕξις à uerbo suo ἔχω, Latine autem ab Habeo Habitus, qui & agendo quidem, & diu constanter'q; assuescendo comparatur. Nam & diutius exercendis ijs, quæ liberalis sint uiri, cũ laude qui consuescit, habitum sibi agendi liberaliter uindicat, qui uero administrandis fortibus, agendi quidem fortiter, & prior ille habitus liberalitas, posterior uero hic fortitudo dicta est recte quidem, ac proprie. Nanq; militaris ut habitus militem designat, pontificem pontificius, rusticanus agricolam, pastorem, calonem, fossorem, nauticus item nautam, Sic quam quisq; ingenuo dignam homine actionem exercuit, exercet'q;, habitus hic ipse agendo comparatus illam ipsam indicat siue artem siue facultatem. Et hic quidem ab habẽdo dictus est. Cæterum uis illa, & huic, & illi, alij'q;, atq; alij à natura insita, quæ'q; etiam nonnunquam ab institutione magis, magis'q; aut augetur, aut excitatur, per quá huic quàm illi rei actioni'q; exercendæ quispiam magis aptus est, atq; idoneus, Græce est διάθεσις ab alia quidẽ uoce q̃ quæ est ἔχω, quo factum est, ut Græca in Latinum qui transtulere, dixerint Dispositionem, non solũ inepte, uerum etiam ignoranter, ac parũ proprie. Nam Latine dispositio ordinem quidem innuit, rerum'q; ipsarum, ac progressionis seriem, minime uero naturalem illam siue uim, aptitudinem'q;, siue innatam propensionem. Cum enim ponere, & uitem et arbusculam prisci illi dicerent, uim compositæ di

ctionis secuti, disponere & uites dixere & arbores, per ordinem uidelicet eas serere, ac per agrum distributim infodere, quod Virgilius innuit dicens.

» -Pone ordine uites,

Hoc est dispone, hinc etiam dicti dispositi in quincuncem ordines, deductáq; tralatione à re rustica, duces & ipsi copiarum dicuntur disponere acies, hoc est exercitum in ordinem cogere, & suo quenq; militem loco constituere ad conserendas manus. Inde etiam patres familiarum disponere rem familiarem, hoc est in ordinem illam, ac sub regulam redigere. Oratores quoq; & ipsi disponere traduntur quæ dicenda sunt, id est quo quidq; loco, quoq; ordine disserendum sit in causa. unde Rhetoricæ pars illa maxime prudens, artificiosáq; Dispositio est uocata. Itaq; parum proprie διάθεσις ab his dicta est dispositio. Sed noluerunt qui primi hoc dixere, laborare in perquirẽdo proprio, & suo nomine, contenti quadam quasi dictionis assimili constitutione ac structura, cum tamen parum ipsi periti Romanæ essent elocutionis, ac si non & recte, & Romane, & significanter à uerbo Habeo, à quo est Habitus, deduci posset, deductáq; inueniretur dictio huius ipsius qđ quærimus indicatrix, quæ q̃dẽ est Habilitas. qua in deductione à uerbo suo faciẽda, et copiosiores, et rei ipsius significantiores sumus quàm Græci. Nam si Habitus est qui post uindicatur, nimirũ Habilitas hæc ipsa recte quidem, ac significanter dicitur uis illa præcedens, qua & ducimur, & fouemur, & adiutamur ad Habitum comparandum. Siquidem ut Habitus præsefert rei comparatæ adeptionem, sic Habilitas uim illam, aptitudinemq; indicat & idoneitatem, si Latine diceretur, siue à natura insitam, siue ab institutione productam, confirmatamq;. quasi Virgilius hoc ipsum nobis nõ & ostenderit, & expresserit, cum dixit.

» Atq; habilis membris uenit uigor.-

Nam & uigorem appellauit uim illam à natura ingenitam, est enĩ à uigendo uigor, ut apud Sallustium,

» Aetas uiget, animus ualet.

Et habilem idest aptum atq; idoneum dixit. Itaq; quid hoc ipso uocabulo appositius significantiusq; ad explicandam τὴν διάθεσιν inueniri potest? sed noluerunt desidiosi uiri ne dicam loquendi ignari in hoc laborare, quando satis habuere, posse sese excusare, quod multa essent Græce, quæ Latine dici parũ possent commode, acsi hoc ipsum non multo melius à nobis, q̃ à Græcis & dicatur, & deducatur. Videlicet non & Aristoteles ab eodem uerbo à quo est ἕξις, idest habi

tus, deduxit nouum uerbum ἐντελέχεια? non etiam è nostris eruditi quidam scriptores ab Habeo declinarunt Habentiam? ut ἐντελέχεια perfecta sit corporis habentia, noua quidē uox, ex habeo tamen uerbo ab illis declinata, quo rem ipsam proprie magis, significantiusq; exprimerent. Quid? quod hæc ipsa διάθεσις pro rerum diuersitate latine alijs, atq; alijs explicari uerbis & potest, & consueuit, ut cum dicamus, quempiam siue affectum, siue propensum esse ad mercaturam magis quàm ad literas. uis enim illa, aptitudoq; naturalis, tum Affectio, tum Propensio & proprie, & significanter dicatur minime uero dispositio, & homo ille eam ad rem propensus, affectusq; non autem dispositus. Nam procliuis facilitatem magis præsefert uoluntatis, quàm naturæ uim, atq; aptitudinem, quæ tamen à propensione ipsa, affectioneq; exprimitur. Dicunt etiam tofum eadem cum absurditate, male dispositum statuæ faciendæ, cum & latine, & recte dici debeat, male aptum, male appositum, male etiam accommodatum. nam male affectum non ita libenter dixerim, quando in lapidem uix cadat affectio, præterquam si abutamur uocabulo, quando aerem etiā male affectum legimus. Quo fit ut διάθεσις ipsa hac in parte tum Aptitudo latine dicatur, tum Appositio, maximeq; significanter omnium, accommodatio, quod apte quidem peridoneeq; materia ipsa accommodari ad eam rem possit, quam artifex ipse faciendam susceperit, non tamen ut non hæc ipsa recte etiam dicatur Habilitas. Quin & διάθεσις hæc nonnunquam nostris à maioribus uocata est Natura, ut cum legitur agri huius natura, siue ligni, lapidis ue, aut materiæ cuiuspiam, quin ingenium quoq; & terræ & soli, & regionis, rerum rusticarum scriptores protulerunt. Sed redeamus ad uerbū habeo. an non ab eo deriuata est etiā Habitudo? quæ fortasse ad corpus referri, quàm ad animum magis debeat, ut quæ est pueri huius, puellæ ue habitudo? Sed non ero in hac quæstione, de hac ipsa differentia nimis solicitus.


Quid quod tum noua tū inerudita etiā appellatiōe quæ Græce κρᾶσις est, transtulere Complexionem. Nam quid obsecro cum Complexione κρᾶσις habet? Complector nanq; quid Latine significet, manifestum est, ut complector amicum, hospitem, familiarem, & complector negotia publica, & Liuius scriptis suis res Romanas complexus est. dicendi quoq; siue color, siue figura quædam est Complexio. Quo nam autem modo hæc ipsa uox idem Latine sonabit, qđ Græce κρᾶσις? ut enim Complexio tum coitionem quandam corporeæ, siue compactionis siue humorum è quibus corpus consistit, siue coactæ

simul massæ concretionem plane indicet, quod quidem non indicat, quo nam inquam modo indicabit temperationem? cum κρᾶσις græce hoc ipsum significet. Esto tamen, ut complexio collectionem illorũ, copulationemq; atq; connexionem massæ totius indicet, complectaturq; eorundem comprehensionem, temperaturam uero nullo modo aut indicat, aut complectitur. quàm græce κρᾶσις præcipue, ac significanter indicet ac præseferat. Itaq; uox ipsa Cõplexio, præterquam quod noue dicta est, non implet grææ uocis significationẽ. Quo'circa & propria, & latina, eademq; maxime significans dictio est Temperatura, ni magis forte tibi placuerit Temperatio. nam ut mistio & mistura, sic temperatio in usu est doctorum hominum, ac temperatura, sic status corporis, ac statura, quanquam status ad plura pertinet, quàm statura. Temperatura igitur, massæ totius coitionem præsefert, atq; compactionem, ipsiusq; compactionis misturam ac temperamentum, ut scriptura, scalptura, textura, iunctura, pictura, itemq; statura, ac permulta eiusmodi alia. Perinde nanq;, ut scriptura picturaq; designant, quid & quale sit, itemq; quantum, ad ipsum quod scriptum, ac pictum est. quid item & quale, & quantum, quod scalptum, textum, ac iunctum est, scalptura, textura, iũctura q;. utq; statura, qui status sit, & qualis, quantusq; ipsius corporis. Sic Temperatura, quæ & qualis, quanta quoq; coitio ipsa, massaq; sit corporea, humorumq; ipsorum corpus constituentium concretio, ac mistura. Nec minus tamen proprie, ac significanter rẽ ipsam designaret, quamproxime dixi, Mistura, sed Græca uox Temperationẽ magis indicat. Demum si rem ipsam attenderimus, et significantius diceretur, & proprie magis, siue corporis Cõpactio, Conglutinatioq;, siue Mistura, ac Constitutio (nanq; ut est rei publicæ constitutio e' legibus, moribus, statutis, decretisq;, sic corporis, ex humoribus, eorũq; misturis, ac conuenientia) quàm hæc ipsa dicitur inter omnes tam diuulgata Complexio. quæ prima quidem facie amatorias præsefert delitias, uoluptariosq; complexus. Itaq; rem ipsam non ut non plane' intellectam Eremita querebatur, sed non suo quidem nomine explicatum, Latinaq; appellatione & propria. Cum tamen affirmare non dubitaret, ni Græcam reddere dictionem mallemus, dici eam apposite magis, proq; rei ipsius natura Fermentationem, idq; uerbũ significandam ad rem maxime esse accommodatum.

I dem quanquam pudenter ac parce, mirabatur tamen hos eosdem philosophantes parũ animaduertisse quas ipsi uocarent Circunstantias (nam liberales consyderare debent, & quantum ipsi dent, & cui, qd

item et quale, ac permulta quidem in dando alia) easdẽ omnes uno uerbo priscos authores consueuisse complecti. quod quidem uerbum esset Delectus. Itaq; M. Cicero cum praecipit delectum rerum esse habendum, quid nam aliud praecipit? quàm ut ratio habeatur, rerum, temporum, personarũ, locorum, quaeq; alia agentem ipsum comitantur, quem prudentem esse oporteat cum sit haec ipsa consyderatio prudentiae propria. Haec nobiscum deambulans, quanquam uerecunde & probe, querebatur tamen Aegidius, quod negligentia recentium philosophorum effectum sit, ut & Romana lingua quae abunde locuples esset, in summa saepe copia, laborare uideretur inopia, & Graeca uerba à parum cultis scriptoribus inculcata, propriam uim, ac significantiam, nec Latine redderent, nec significanter. minime ut sit mirum tempestate nostra, eloquentiae studiosos, aut nullam aut perexiguam impendisse philosophiae operam, ipsos uero philosophos eloquentiae penitus esse ignaros, atq; utinam non & hostes. Sed nos Aegidium absentem quidem, ac pie rem Christianam & fortiter gerentem, & bene, & religiose ualere iubeamus, consuetudinis eius, ac sanctitatis memores. SV. Eadem et nos quoq; coepit spes, ipsaq; ita quidem certam sese nobis offert, ut Latinam philosophiam iam iam cultu elegantiore, cothurnisq; nitidioribus incedentem uidere uideamur. Quam ad rem confessiones istae tuae non parum etiam conferent. Nam Aegidium ad hoc ipsum natum intellegimus, & Augustini exemplo sic inuitari, uel rapi eum potius, ut nihil magis aut aueat, aut curet, quàm ut heremitarum ordinem in ueteris eloquentiae possessionem pristinam iam restituat. PON. De Aegidio quidem nemo est qui dubitet. Caeterum confessiones hae ipsae fortasse habiturae sunt momenti aliquid, Pardo praecipue operam suam non abnuente, cum fama quoq; certa sit, adolescentes quosdam optimis ingenijs praeditos ad hanc ipsam militiã sese instruere. POE. Vtcunq; Iouiane, itineris è Roma suscepti nec nos poenitet, et porticum hanc, quàm diu Neapoli erimus, quotidianasq; istas confessiones assidui frequentabimus.

FINIS.



P. Summontius Suardino Suardo, & Francisco Poeto. S. D.

Suadentibus uobis, meq́; ad editionem hãc assidue adhortãtibus factũ est, ut prodire iam in lucem non desinant reliqua Pontani monumenta. En uobis Dialogus ille ultimus, superiori excusione à me promissus. cuius lepido argumento Pontanus in cuiusdam ingratitudinem clàm inuehitur. Iustam itaq; indignationem mandare literis cum uellet, eã sale huius libelli condijt. Quare absolutis hac editione omnibus, qui supererant, Dialogis, ad reliqua uos accingite. quorũ lectionem certo scio lõge uobis fore suauiorem, quàm Antinianæis è uitibus olim fuerit liquor ille, ad quẽ uos Pontanus sobrios in primis, atq; abstemios ambos apud Aegidium suum inuitauit. Quanquam sorbillatione ex ea nunquam uel summa labia intinxistis. Sed nostis quãtum liceat rerum scriptoribus. Valete.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DIALOGVS DE INGRATITVDINE QVI ASINVS INSCRIBITVR.

Viator. Caupo.

VI.

PACEM Romæ factam esse aiunt, eius'q; Poetam nescio quem authorem referunt. Ego quidẽ Poetæ huic uel grandiusculo propinauerim. Amabo meritoriæ huius ecqui se caupo, ecqui se minister offerat? CAV. Equidem pacem hãc siticulosam esse Augustus ipse abunde docet. Euge puluerulente lætare hoc nuntio, & offulam hanc pepono è suauissimo accipe, cyathum'q; hunc uel tertio ductandum ebibe. VI. Ebibo. Da quæso & alterum. CAV. Pax igitur facta est? VI. Pa, pa, pax. CAV. Amabo resipisce, atq; inde loquere. Vel puluerem quidem bellissime homuncule tibi palliolo excutiam. Hauri puer & secundum, & tertium, & quidem recentissimum. Pax'ne facta est? O' bone Laurenti, dies hic tibi sacer est. Nuces à me quotannis expectato quamplurimas. Pax'ne facta est? anniuersarium tibi sacrum cauponarium ex uoto statuo. O' misellam cauponam. Ecquãdo ne mihi, frondenti apio, laureo redimitus serto, exteriores foris, internas cellulas liceat coronare? Verum ego sum stultior, occidente iam sole, diem qui ad exortum reuocem. VI. Atqui felicissimum te te, ipsam'q; cum primus tecum cauponam dicito. Pax diem instaurabit. Pacem in foribus, atq; in tabella pingito. Lucrum tibi uinarium, emolumentum'q; pulmentarium omnis generis, ingens, largum, opulentum'q; augurator. Eueniet, mihi crede, eueniet. Tu tibi bene habe, cupas'q; ex urbe comportato huc uinarias. fac rideant fores, effice ut omnis & domus & hortus renideat. Pax hæc imperat, pacis'q; amicus Euhyus, cauponæ ipsius atq; cauponantium pater. Ego Neapolim propero, triente exucto CAV. Bene mihi fore pace ex hac & libens uolo, et libẽtius auguror. Agite qui adestis ministri, cyathos eluite. Socij talos iacite. hilaremus diem hunc paci. Adest quaternio. quarto tibi potandum edico. Adest rursum quaternio. rursum tibi ductandum hoc est, udum, rorans generoso è pal-

mite. Ah ah. cecidit canis. Tu quidem ipſe ſities, ut illa eſt ſiticu-
loſa, hoc ipſo præſertim tempore. En iterum canis allatrauit. licet ſi-
ti conficiare, tam male fortunatus qui ſies. Euge euge tibi caupo, adeſt
ſenio, adeſt rurſum & ſenio. mihi augurium hoc promitur, mihi du
ctandum eſt. uel ſepties quidem decies iterato ductitabo. quippe qui
ualentibus pedibus, capite ualentiori utar. compleamus hilariter nu-
merum. At at utor ne ego recte oculis? agglomerari ne ego puluerem
uideo agitatu equino? an uentus meridiano tempore exciri è mari qui
ſolet, illum exagitat? equus certe eſt, quin equo ſatellex uehitur. Arri
gite aures. inflat'ne iam bucinam? inflat profecto. regius eſt tabella
rius. poculum homini & frigidum, & generoſum præparemus. Ad
uentat iam, & equum calcaribus ſtimulat, et inflauit iam cornu. buc
cinam buccinatorem nec unquam quidem uidi buccinatius inflare.
& inflat & cachinnatur, & interim præconium uocaliſſime enun
tiat. TA. Captos iam ſcitote. CAV. Quid captos? auſculte-
mus. TA. Qui Regem prodiderunt, qui regium nomen euertere
ab imo, cũ ipſi infimo è loco prodijſſent, conati ſunt. Saluus eſt Rex.
ſalua patria. ſaluus eſt Alphonſus, qui ſalutẽ comparato exercitu, ob
ſeſſa Roma nobis peperit. Hilarem hunc diem facite, noctem multo
hilariorem. Effulgeant ignes ſummis ædiũ culminibus, etiam quàm
creberrim. Conuiuia ipſis in propatulis celebrentur. Demũ læta ſint
omnia, confecta pace, ac duce ipſo uictore cum exercitu domum redeũ
te. CAV. Age age bone hoſpes equum ſiſte. potita. æſtas eſt. pulue
rulenta ſunt omnia. refrigera & pulmones, & guttur. TA. Nun
quam quod meminerim niuoſius. Obſecro te poculum itera. CAV.
& quidem ampliuſculum. Sed amabo bone, poſtquam refrigeratus,
qui tantum inſperati affers, ut certum affers? TA. Captos ſcelera-
tiſſimos homines, ut reos capitis, ut patriæ hoſtes, ut maieſtatis conui-
ctos. CAV. Pape. TA. Iam de illis capitis ſententia aut fertur,
aut lata iam eſt. CAV. Luant ipſi meritas pœnas, quando publi
cam rem tam male habuerunt, ut penè regnum omne, cum ipſo Re
ge, liberiſq; peſſum ierit. De pace quid autem? TA. Noſtis'ne Iouia
num Pontanum? CAV. Quid ni nouerimus, hominem ubiq; notum.
quippe qui paucis ante diebus de itinere ac ualitudine feſſus, Romam,
conficiendam, ut nunc ſentio, ad pacem illinc ab Innocentio, Alphon
ſo hinc arceſſitus, meridianus hic conquieuerit. et quidẽ miſerati ſu-
mus, q̃ hic tunc affuimus, ſenis imbecillitatem, ac male ualentem ha
bitum, ut qui itineri ſatis non eſſet, his præſertim caloribus. TA. Dij
ipſi, ut omnes prædicant, atq; ut Rex ipſe teſtatur, ſeni & quidem ua

letudinario affuere, pacem enim ita confecit, ut Regi salua sint omnia, quae amissa prope' iam erant, procerum perfidia, administrorum'q; iniquitate Vos autem & paci, & patriae propugnatori, qui pacem populis uirtute sua peperit, exornate & porticus, & compita, dies'q; festos agite. Mihi alia ad oppida properandum est, publicae laetitiae gratia. Rex patriae pater, publicorum'q; bonorum author hoc sic imperat. Valete compotores ualentissimi. CAV. Et tu nuntij tam auspicati auspicatissime author propera, ut pacem populis promulges, ut nos qui ad mendicitatem prope' redacti ob bellum sumus, nuntio hoc, ab inopia uindicatos bees. Dij tecum eant & duces, & comites. Mihi certum est e' suburbano in urbem properare, certiora illic de pace, regijs'q; rebus ut intellegam. Et iam, ut uideo, agrorum quoq; facies immutari coepit. nescio quomodo aer ipse laetiora promittit. Ego quidem somnijs ipsis fidem uel maximam censeo adhibendam, qñ noctibus his. equos in boues uerti, castaneas arbores abire uinarias in cupas somnians uiderim. quid somnians haec uiderim? fictile ministranti mihi, aureum factum qui senserim? mox monetarium ad magistrum perlatum, in numos fluere, alium'q; ex alio numum gigni, confestim'q; in cumulum congeri, me'q; eo cumulo obrui. Coniectores quidem ipsi somnium sibi conijciant, ut uolunt, mihi profecto paci magis creditur. Abeo in urbem. Vos domum exornate, qualem & pax exigit, & somnia haec ipsa uolunt.

Caupo. Chorus sacerdotum.

CAV.

Quod mihi meis'q; contubernalibus felix ac faustum sit, deorum supplicationibus urbem occupatam inuenio. quàm laeta populi frequentia? quam canorus sacerdotum chorus? CHO.

» Pacem coeli rector populo,
» Pacem terrae tutor peperit,

CAV. O' bene ominatum carmen. CHO.

» Nobis pacem, nobis ocium
» Pacis nobis author rettulit.

CAV. At meritoriae meae lucrũ, et uoluptatẽ, et dapinatiões opiperas. O' me beatũ. Aderũt frequẽtes lenonũ puellae. aderũt earum sectatores, nouitij satellites. Et iã audio, Sicilia Hispania'q; ex itima aduectũ florẽ scortillorũ, recẽtissimũ qdẽ Venereũ mercimoniũ, urbanae'q; iu-

uentutis illecebras, atq; allectamenta, meum merum solidū cupedinariumq; peculium. Agite sacerdotes pacem concinnite, pacem dijs immortalibus acceptam referte. Ego profecto compotoribus, ganeonibusq; meis omnibus ita me comparabo, uti basilicas apud me commessationes, basilicumq; me cauponem experiantur, prædicent, in cœlum efferant. CHO.

» Pacem rura, pacem prædia,
» Pacem tecta & urbis sentiunt.
» Virgo plaude, nuptæ plaudite,
» Paci rite matres plaudite,

CAV. Mihi quidem loculis plaudendum est meis. Vt gestitis inanissimi? ut animo agitatis aureolos illos Venetillos? hos ne mauultis, an Florentinulos illos ampliusculos picturatulos, hieme etiam media per florescentes? An oceano uectari cupitis, aurea nauicula, aureo malo, uelis etia aureis? & hoc quoq; præstabitur, ut in continenti deambulantes, Britanicum secetis pelagus. Agite loculi, capite iam auras, quis sinum impleatis. Et iam, ut uideo, oceano libare gliscitis. Verū agite, inspicite, noscite, Britani ne hi sunt, quos Roma proficiscentes diuertere hanc ad meritoriam uideo? An me oculus fallit? profecto uestitus ipsa Britanici generis eos indicat. Accedam propius, quin Britanissimi quidem ipsi sunt. Vobis et urbem, et cantum sacerdotes relinquo. mihi quidem oceano cauponariam rem facere decretum est, ut hodie aureola cymba piscator Britanico in freto aureum etiam rete in profundum iaciam. Heus pueri, Baccum in iudicium ad prætorem uocate. Dormientem tamen illum somno ne excitetis iubeo. quin Vernaciolo illum cado includite, ne somno experrectus, Britanicumq; forum, ac Britanum iudicem timens, fugam arripiat. nam & horrida uox, sermoq; ipse horridior deterrere illum abunde potest. Tu quidem concinere illos iube, quo aut somnus Baccho fiat suauior, aut illo excitus, ac suauitate cantus delinitus, ludere argenteum ad poculū cum illis cupiat. Et id quoq; præstate pueri, ut nostro in penu sit qui Græce, qui Corsice, qui Ligustice sciat, etiamnum qui Cretice.

Caupo. Viator.

CAV.

Antiquum & notum amicum peregre aduenientem, ut libens uideo, ut mihi iucundum est ipsum & complecti, & alloqui. VI. At ego beneuolentem compotorem, inuenire ualentissimum & lætor, & habeo dijs gratiam.

dijs gratiam. CAV. Quam cum stomacho bene? VI. Lupum in uentriculo gero. CAV. Vt cum siti? VI. Exaruere pulmones calore & puluere. CAV. Pueri expeditissime afferte quo sitim leuet. heus expergiscimini. VI. Atqui consilium est prius puluerem pallio excutere. CAV. Date linteolum. Ministrate frigidulam, qua & os, & labra, & faciem totam perluat. VI. Vt me recreasti pocillo hoc crystallino? Nihil uidi unquam hoc ipso limpidius. Vt in eo salit nigellum tuum. An, ut puto, est Casorianum? CAV. Reluite pueri pocula. Miscete recentiusculum illud intimo è penu. Afferte. Centuresium hoc est. Cape beniuolentissime homo. Labra delibatim pertinxeris, pedes illico sentient. Mihi crede illo in dolio Bacchus cum uere lusitat, totum adeo doliolum flos est merus. VI. Atqui putarim eo è dolio aurum scaturire. aurum profecto linquentissimum digitis teneo, fusile quidem hoc est, & potatile, ut dicunt. labellatim profecto ducam non uno haustu. Euge Bacchi deliciolum. Anima mihi ipsa congeminata est olfatu solo. uiden ut ipsum aurum aurescit in cyatho? Anima mihi ipsa trigeminata est labellatu uno. CAV. Salue mi Geryones, salue hospes Atlanticæ. VI. Quid mirũ triplicem me factum, si Centuresium potito? si tuũ istud mihi penu Atlanta est ipsa illa beatorum insula. CAV. Ah ah, ah. Delinge amabo & hoc (iniuriã enim si hauseris, cadillo feceris) & quidem substrictissimis labris. Fastinianum hoc est, merum quidem Fastinianum, reliquiæ non cadi modo huius, uerum totius Campani penoris. Itaq; sublibare te illud & quidem haustillatim uolo. VI. An forte uerendum est, ne hodie Fastinianum hoc tuum nobis exhibeat negotium? Scis quàm mihi non placeat fastus. Et hos quidem ipsos uereor Hibernici generis homines, fastum in naso qui gerunt. CAV. Nihil Fastianino hoc tuo suauimoratius est, rixas mirum est quantopere fastidiat somni solius amicum, atq; blandiloquentiæ. Sed amabo Hiberni ne sunt hi? VI. Quin horum aliquot Scotia nuper ab ultima Romam deuecti. CAV. Quæ nam aduentus causa? VI. Animi peruicacia quædam, dum persuadere sibi nullo modo possunt, Romano Pontifici liberos esse. Itaq; inuenerunt Pontificem ipsum filij nuptijs præsidentem aurato in solio, filiam uero Romanas puellas inuitantem ad choreas, atq; ijs ipsis nuptiarum diebus, natam pontifici filiolam alteram, mirificam mihi crede Christianæ religionis comprobationem. CAV. Qui nam? VI. Si enim Deo nascitur nepotuli, nunquid non necesse est Christum ipsum mulieris utero prodijsse? CAV. Sane probatissimum argumentum. Profiscendi autem

Neapolim quæ nam caussa? VI. Leonardum primo Apulum, Barensem inde Nicolaum, post Hierosolymam uidere cupiunt, naui comparata. CAV. Et probum & pium consilium. VI. Missa hæc nunc faciamus, quando refrigeratæ mihi uires sunt. Iube his apparari cœnam, atq; ita quidem uideto, cœna ut sit. CAV. Quid hoc uerbi est, cœna ut cœna sit, non intellego. VI. Quæ sit opipera, quæ pluribus sit satis, quæ sit bibax, loquax, somnulenta. CAV. Bellissime. habeo. Agite beniuolentissimi hospites, secedite in umbram. conquiescite. sedate & sitim & æstum. opulentissime pariter & lautissime mecum uobis erit. VI. At qui Italice nihil intellegunt. CAV. Tute igitur illis blandire, atq; ut potissent & quidẽ q̃ recentissimum uide. Mihi curæ id fuerit, Britanice ut discumbant.

Altilius. Pardus. Chariteus.

AL.

Iudicabam actum cum Iouiano felicissime, quod pace parta, regias res propè afflictas, magna sua cum gloria, maiore populorum tranquillitate, non restituisset modo, uerum etiam stabilisset. Quanto autem secus & illi, & nobis qui eum amamus, & colimus, acciderit, dicere dolor prohibet, neq; enim contingere aut illi indignius, aut nobis insperatius potuit. PAR. Quid hoc est quod te tantopere solicitum, ac male habet? nam & uerba metior tua, & rem ipsam mirifice suspicor, neq; illud me parum turbat, quod hora tam intempestiua conuenire me uolueris, cum præsertim nouerim in agẽdis rebus pensitatio quæ sit tua. AL. Quid tu aut me solicitum, aut male habet, loqueris? quin cruciat, torquet, uexat, animum ipsum conficit. PAR. Mali'ne tantum ex te audio? AL. Summũ qdem malũ. An non et summum, et publicum tibi uideatur malũ? senem in quo tantum publice repositum esset tum opinionis, tum spei, cœpisse iam repuerascere? PAR. Quid repuerascere? AL. An nõ puerum tibi uideatur senex agere, qui annos circiter sexaginta natus, magnis'q; honoribus functus, asinum sibi magno comparauerit, sericis'q; instratum ornamentis ascenderit? Atq; aurato freno, auratis habenis, uersiculos etiam nescio quos amatorios cantitantem uehi asello in publico non puduerit. Quod'q; importunissimum dicas, admotis etiam calcatribus, equitem agere procurrentem uoluerit. Abeat sapientia. ualeat senectus. An aliud expectas aut potius aut certius delirationis signum? PAR. Musæ Aonides. Se

bethides nymphæ, ubi nam gentium delituistis? Monstra mihi hæc & quidem portentosissima uidentur. quis hoc credat? aut qui nam fieri hoc potest? quod ne Dij quidem ipsi uideri debeant passuri. ALTILIVS. Certa res est. PAR. Asino ne uehi etiam perornato, per urbem in publico, per regionem urbis frequentissimam, sexagenarium hominem, regiis actionibus præsidentem, moribus tam compositis, institutis tam rigidis? Vale, uale Apollo. Si uerum esse hoc sensero, naturam ipsam credam iam repuerascere. Sed commodissime nobis offertur, ut uideo, Chariteus. colloquamur cum homine. Quid quod conturbatiusculum domo prodire intellego? CHA. Laudent qui uelint senectutem, mihi quidem sapientissime institutum uidetur, sexagenarij e ponte ut deijcerentur in Tyberim. Quin bene mecum actum putem, ante quàm hæc uideam, quàm hunc annum attigerim, si uel scaphariā cum Charonte exercuero. PAR. Charitee Charitee. siste Charitee. salue. quo properas? quæ te res tam impotenter agit? Siste gradum. amicorum res agitur. iubet hoc amicitia, uel humanitas id postulat tua. CHA. Ne per Deos quisquis es, ne obsecro me ab itinere incepto reuocat. PAR. Maior res agitur. Siste. salue. Quo te? CHA. Quo asinus imperat. PAR. Quid malam in rem, asinarium iam ne agis? CHA. Quin asinus ipse me agit. PAR. Iam, ut uideo, delirauimus, actum, atq; transactum est de sene, ut uideo. Explicat obsecro, quid hoc est, quod asinus te te agit. CHA. Quin immo impellit, ac proterit. Tu rem ipsam uide. Propero ad ærarios fabros comparaturus diuersi generis tintinnabula, cingulum item sericum diuersicolorem, quicum intextis tintinnabulis, asini collum exornem. Flamen quoq; purpureum auro intertextum empturus, ad illius frontem appensum aurata fibula, perinde ac flabellum, asino uentum in calore quod exciat. PAR. Dij boni quid ego e Chariteo audio. CHA. Quid? istis Parde oculis uideas, domum si meam ingressus fueris, bracteolas argenteas, auratas lamellas, flosculos etiam gemmatos auro intertextos asino parari. Vsqueadeo cum sapientia simul cultus quoq; ac comptus ad asinum transiit. Hoc hoc illud est, quod dici solet, omnia tempus suum sortito consequi. Maiora ne aut audire aut sentire uultis? Epistolam legite, quàm nuper suis ex ortis uester senex, quod gaudere oppido abunde potestis, ad pueritiam iam regressum, ad me per cursorem quàm festinatissime misit.

EPISTOLA.

Amabo Charitee meus ocule, pectinē mihi auratum emito, q sit ebur-

meus, Praxitelitus, q dū strigitur, dū dorso agitur, tinniat mihi, subblādiatur aio meo, qui risum pelliciat atq; hilaritudinem. qd enim asello meo delicatius? uult sibi applaudi. uult dici bellissima uerba. faciat mihi delicias, dū ei frontem defrico, dū uersiculos succino. Quin te beatiorem ut faciam, & hoc accipe. Apposui deliciolo meo è melle ientaculum. ubi illud delinxit osculo me confestim petiit, tam blande, ut ei quoq; amplexum cum osculo retulerim. beauit me, cupio & illum beatum esse. Tu uero meus amicule & illud statim cura. Timet deliciolum meum muscas, calores fugitat, perrectato institores omneis, dum è tenuissimo serico stragulū compares, quo intectus Arion meus, Cyllarus meus, muscarum aut culicum aculeos ne sentiat, atq; id cū primis effice, ut sit quàm fulgentissimum stragulum, delicatissimum textum, solidissimum muscarum repagulum. Ne uero aut mirere, aut indigne feras domini delicias. uide & contemplare ex asino, atq; in asino Pythagoricam disciplinam. Nam hæc ad te dum scribo, pellegente asello, ipse accommodatis humanam ad enuntiationem labris distichon hoc effudit.

Melle meus me pascit herus, pro melle recepit

Oscula, complexum pro sagulo excipiet.

Iudicabis aut Marsum, aut Cornificium in asello meo uersus edere. Illud quoq; summo studio, ac deditissima curabis opera, uti flabellum pauoninum, quod sit quàm oculatissimum, per hunc ipsum puerum ad me mittas, quo in umbra, atq; in æstu, meo deliciolo uentum faciam. Recte uale, nam et ego cū domino, sine quo uita mihi nulla est, ualeo etiam ualentissime. PAR. Hæc quidem epistola mera est deliratio, aut merus potius nostrum omnium dolor. Quando autem delirium ipsum radices non dum altiores egit, tentandum est, quàm possumus diligentissime, uti curetur. AL. Mihi quidem Actius conueniendus uidetur, qui nuper è Roma itineris, ac laborum socius cū illo rediit, uti ex eo perscrutemur, num quæ signa delirium antecesserint, siqua fortasse ad sanitatem regrediūdi relicta spes intellegatur. PAR. Longe optime consultum uidetur. Quo circa familiarem, atq; amicum hominem conueniamus, uti eo ipso comite in hortos ad senem proficiscamur.

Actius. Pardus. Altilius.

ACT.

Cliuum hunc Musarum esse uolebat noster Crassus, immo pace uestra dixerim meus. is enim me instituit, is me studiis his dedicauit. illi debē

tur quæ in me insunt, siqua laude digna insunt, omnia. PAR. Miror Lucium Crassum corpore tam obeso, uiribus non satis ualidis cliuum hunc quanquam amœnum, ascensu tamen non indifficilem, ut ex te tam sæpe audio, pedibus frequentasse. ACT. Mira etiam cum uoluptate, nam & sæpicule considebat sub arbusculis, aut muscoso aliquo conquiescebat in lapide, ueterum Poëtarum, aut siquos ipse lucubrasset uersiculos interim referens. multa etiam sæpe aut ipse docens, aut nos q eum sequebamur percunctatus. Ad hæc dicere nobis solebat, quo labor ipse ascensionis esset leuior, collem hunc Heliconem & sibi, & nobis esse, neq; posse Musarum ad templum, nisi cliuo perueniri, quem Virgilius ipse singulis fermè diebus ascendere esset solitus, ubi post & uillam sibi comparasset, & moriens humari testamento cauisset. AL. Recte sanè hæc ut cætera Lucius. Quando autem aliud nunc agimus, mussum illum tantisper faciamus, dum quod nos tātopere male habet, sciscitemur illud, si qua uia senis nostri delirio obuiam iri possit. Age Acti Romæ cum ageres, qualem se in obeundis Iouianus negotijs, qualem in suadenda, aut componenda pace nunc in urbe, nunc in castris, aut in itinere ipso egerit, explica, edoce, explana. nostrum omnium una res agitur. ACT. Quem se se egerit ipsa res docet, pacem enim obsistente Cardinalium collegio, quibus uoluit conditionibus perfecit. Miserati sæpe sumus senem languenti corpore, medijs diebus, ardentissimo sole, per frequentissimos latrones, quibus itinera circunsessa erant, nunc ex urbe ad Alphonsum in castra, nūc è castris ad Innocentium Romam properare, ut qui illum sequebamur, de senis uita actum iá in singulas propè horas nobiscum ipsi dolentes quereremur. Itaq; diligentiam si requiras, nihil illo etiam ad minima quæq; momēta attentius, si prudentiam, nihil omnino consideratius, ut non modo laudem, uerum summam sibi principum hominum admirationem, cum magna etiam populi Romani beneuolentia conciliarit. PAR. Non uidetur in tam breui præsertim spatio, parata esse potuisse aliqua ad delirationem uia. AL. Quæ obsecro in itinere, atq; in reditu eius consuetudo, qui etiam sermones erant? ACT. Consuetudo qualis antehac semper fuit, multum cogitandi, plurima secum in animo uoluendi. neq; enim tempus ullum labi frustra patiebatur. Erat illi post alias, atq; alias publicis de rebus cogitationes, in ore Vrania, quod à se non dum perpolita esset, neq; uti sæpenumero etiam querebatur, aut capillum bene cultum haberet, aut faciem puellarem ad comptum satis extersam, quæq; ad Hymenæum uocata, non dum dignam nuptijs uestem, aut dignum Talasio mun-

dum induisset. PAR. Nullũ hactenus, ut sentio, repuerascendi signum. ACT. Sermones autem post concoctas illas mentis agitationes erant quàm iucundissimi, ut affirmari in eo iure potuerit Laberianum illud,

" Facundum comitem in uia pro uehiculo esse.

Sæpe etiam multa nobis ex antiquitatibus referebat, ut quem locum aduertisset, in quo nauatum à maioribus aliquid, memoria teneret. Vbi ad meritoriam peruentum esset, ibi cum familiaribus quantum leporis erat, quantum hilaritatis? uti labor omnis abiret in uoluptatẽ. In cœna atq; inter discumbendum, nihil triste passus unquam. Oportere in mensa læta, atq; exhilarantia esse omnia, neq; iniuriam. Bacco faciendam, qui lætitiæ esset dator. Seueritatem in foro, tristitiam in funere, cunctationem in capiendo consilio, supercilium in senatu retinendum esse dicebat. Talem itaq; noster senex in itinere, quod commendare etiam debeatis, se se ubiq; præstitit. PAR. Quid igitur Altili, uidentur'ne tibi hæc delirio tam repentino conuenire? Vides quantam temporis, quantam rerum ipsarum pensitationem habuerit? Quamobrem etiam, atq; etiam uidendum nobis censeo, ne delirare ipsi cum hac delirij suspitione merito uideamur. ACT. Quod quidem ipsum etiam, atq; etiam prouidendum duco, quando in singulis actionibus ita se, suáq; omnia circunspexerit, uti diuina quadam prouidentia duce, ac magistra, res magnas illas quidem, ac perdifficiles confecisse uideri possit. Et cliuo hoc inter dicendum, atq; examinandũ superato, illud à nobis sequendum iudico, ne ad Iouianum hac cum suspitione in hortos procedamus, uerum ex insidijs quasi quibusdam, quid ipse agat, quid cum uillico, quod de more eius est, facundũ proponat, animaduertamus. Eius enim oratio uiam nobis patefaciet cum ineundi cũ eo sermonis, tum remedij cogitandi. Quócirca post contextã illam marino è rore sepiculam, insidendum, aut delitescendũ potius nobis statuo, inde singula eius uerba, gestus, ac motus etiam singulos commodissime aucupabimur. quodq; et uolo, et cupio, ac dijs bene iuuantibus spero, et animus etiam præsagit. Musæ ipsæ sacerdotẽ suũ, antistitem suum, sacrorum suorum arcanarium minime desertũ patientur. AL. Quod & nos omnes fore optamus, & uotis, ac supplicijs acceptum Musis ipsis referemus. Delitescendi autem consilium mea sententia magis è re capi non posset. Quócirca per diuerticulum ad sæpem, magno silentio, passibus etiam minime strepentibus progredimini, duce me, qui agrum omnem, singulasq; arbusculas exactissime nouerim. Vos autem pueri hic nos manete.

Pontanus, Faselio uillicus, Pardus.

PON.

Tantam istam inserendi diligentiam uel admiror Faselio, nimiam tamen illam detrimentorum lunæ obseruationem, arcessendæ frugis gratia, iure quidem improbauerim multũ. Etenim ipsam illam uim, qua fructus elicitur, non tam ad ultimos illos properantis ad coitum lunæ dies, quàm ad surculos ipsos referendam statuo, quippe ubi è ramo frugifero, atq; ad solem exposito, ex ipsóq; rami cacumine lecti fuerint, etiam primo insitionis anno frugem proferunt. Quodq; ipsa me obseruatio docuit, neq; aut offuerint multum, aut contulerint ualde lunæ detrimenta, si aut despectius præterita in insitione fuerint, aut diligentius obseruata. Quid enim conferre possunt surculi, male quidẽ atq; infelici è parte lecti, ut qui enascantur tanquam inutiles, atq; superfluentes, quiq; in fragella solum exeant, nec si non eruncentur, ad fructum etiam multos post annos ueniant, in quibus præter proceritatem ipsam nihil est iure quod laudes. Quam quidem prouocandæ feracitati mirum in modum alienam experientia ipsa docet, inde enim fragella dicta, quod perinde, ac inutilia, refringenda præcipiantur ipso è stipite. Quócirca obseruare te cum primis uelim ramum, solarem, frugiferum, ualentẽ, è quo surculũ legas. Hoc ubi feceris, non ẽ quod te oporteat detrimentorum lunæ curam tantam suscipere, non quod non & hoc ipse magnopere probem, tunc enim succus ipse coactior, atq; uegetior est, & glutinosi plus habet, sed quod nolim cuncta te ad lunam referre, quando et ars hanc ad rem plurimum conferat. Cum plena etiam luna insitionem optime cedere sæpiuscule sim expertus, tunc enim procerior arbor prouenit, atq; in conum orbiculata quadã specie honestius protenditur. Nec te pœniteat, ubi luxuriosior creuerit, annis insequentibus imminuto lunæ lumine, amputatis ramulis luxuriem ipsam ne maiorem in proceritatem exeat, falce compescere. Nec uero, quod colonos nostrateis latet, parum etiam conferet ad insitionis fœcunditatem Signiferi orbis cognitio, hoc est quæ signa, inserendi tempore, luna peragret, quo etiam è loco Saturnũ intueatur, cuius stella inde sit dicta, quod potissimum satui præsit, cum sit uis eius terrena, ac seminibus præesse itellegatur. Illud autẽ mirifice ĩprobãdũ, atq; accusandũ Faselio duco, ꝙ sub hæc frigora tã repẽte à septẽtriõibus excitata, Citrios irrigare multa ẽt aqua neglexeris. Nihil enĩ tãtopere ab hoc arboris genere frigus arcet, q̃ frigidissimis ẽt diebus, assidua irrigatio. quod ratio ipsa docet. Siqdẽ hyeme ipsa, cõcretóq; septẽtrionali

flatu aëre, qui terræ calor inest, magis, ac magis in se cogitur, cum euaporare concreta gelu, terræ superficie, ac solo nequeat. Quocirca cum arbor hæc siticulosa sit admodum, tepescente terræ sinu, aquam ad radices appetentius trahit, qua in alimentum uersa, robustiorem se se aduersus frigus agit, neq; enim exarescere succum patitur, perinde, ac materno fota sinu, Huberibusq; nutricis admota. Ad hæc arbuscula ipsa ad summam penè terram fibras etiã plurimas, capillamenta qua si quædam agit, & quidem minutissima, quæ glebulis inhærentes, multum inde succum ebibunt. hæ autem ipsæ glebulæ ut magis, ac magis capillamentis ipsis propter humidi uim conciliantur, sic rursus sicciores effectæ, penitusq; exuctæ capillamenta destituũt. Quod assidua quidẽ irrigatio omnino prohibet. Hanc ob rẽ tũ æstate, tum hyeme, opportuna irrigatione iuuãda est. PAR. Ratio hæc, colendarumq; citriorum cura, ingenij haudquaquam delirantis uideri potest. Non male igitur nobiscum agitur, nec est quod Musis gratias non agamus. PON. Te uero mi Faselio (quod seruatum etiam mirifice laudo) inspicere cum primis uelim, ne tera imbribus madescente, planta scrobibus infodias, quod permadido solo, ac liquescente tera, radices minus inhæreant, nec multo post mucidæ effectæ corrũpantur, uerũ impendente pluuia. Vbi enim sicco, non tamen arescente solo plantam infoderis, radices ipsæ magis, ac magis terræ coniunguntur, & fossa ipsa imbrem statim insequentem cupientissime pariter, ac siticulosissime recipit, fit etiam ut solum ipsum magis, ac magis spissetur à pluuia, & radices alimentum suum terræ conciliatũ, uberius multo ducant. Ac ne te morer diutius, exigendo præsertim operi instructum, hoc age mi Faselio, priusquam destinatam aggrediare operam, brasiculis illis (sunt enim perpaucæ) sarculũ benigne admoue, fimumq; radicibus propius sarriendo aggere, quippe quæ tanquam lacte suo destitutæ uideãtur pallescere, ac de matre queri. Tu illis opera tua subueni, nam & hero gratum feceris, & tibi iusculũ parauceris, qui cum bubulam concinnes, succidiáq; peruetere. Hoc est quod te agere destinatam ante operã uelim. Interea meã me operã asello reddere par ẽ, ne queri de hero suo iure possit. Heus puer, hoc age. siste huc ad me Cyllarũ q̃ nitidissimũ, atq; id uide, ne dũ sericã illũ reste ductitas, dũ ludere feroculus cupit, calcibus ĩ te insiliat. noui ego Cyllarinas illecebras, ac domini nostri blanditias. PAR. Vtinã ne hic hodie asinus nobilitate etiam Romana nos donet, agnomineq; Asinios. Aures arrigite, idq; in primis post sæpiculam uidete, ne musitari à uobis quippiam sentiatur.

Pontanus, Puer, Pardus.

PON.

Lepidissime illud quidem, & rudi simul, & calcitrat meum delicium. Vnum illud defuit, asini quod solent. an fortasse puduit, hero presente crepitulum facere? Vides quid præstet domini reuerentia? Blandire illi bone puer, fac delicias, dic bellum aliquid. PV. Agedum Cyllare. Eugedum heros Arionice, herum honora, præsta quod ludentes asini heris solent insanientibus, cócrepa musicum aliquid, effice si qui delirium aucupantur nostrum, tuum ad numerum choreas ut ductitent. Septenarium iam fudit Calliopa. Salite hortenses deæ. heus heros Cyllarice numeros muta. Anapesticum uolo. non placet in hortis Iambicum. theatris illum ablega. PON. Amabo ut belle, ut in tempore omnia? PAR. Asinus crepat. nos dirumpimur. PV. Heus Arion non mihi inter crepitandum placent caudinæ blanditiæ. Tute tibi caudam contineto, nec est quod muscas ab ore arceas flabello tã lepido. Apage caudam à me, hero tuo succodaneas istas blanditias tã suaues uentila. PON. Dic illi bene, ne subirascatur uide. Age Arionice, age Cyllarice heros, sentiat te herus tuus hilarissimum, quando ipse hilarissimus es. PV. Choream ductitat bestiola. Secedite Napææ, ne dum ternarium saltat, dum septenarium crepitat, ora uestra illiniat purpurisso. Ah, ah, ah. post ingentes tonitrus ingentes pluuiæ. Potuit ne lepidius, ac magis in tempore? O' Arabicam mercem, Sabæaq; odoramenta. Agite amantes legite Muscum, seligite Zebethum, imple te arculas Cyprio puluillo. PON. O' delicias regias, ó ludos Olympico deo dignos. Non'ne ego te uel ostro instrauerim Tyro abusq; aduecto? PV. Fac uenalem purpurissum prius, inde tibi pretium prouen iet tantum, uti fibulas etiam aureas ostro suffigas, & auratas cingulas, quibus illud subliges here delicatissime. Sed quid hoc Cyllare, quid inquam Cyllare? Disciplina hæc haudquaquam mihi satis placet. Ludum ego hero, non mihi calcitronem instituo. Abi malam in rem. blandicias istas tam urbanas & lude, & applaude domino tuo tam delicato. Ad illum recursa, illi concine cantilenas istas tam lepidas, asininum istud plectrum illi perpulsato. An etiã me petis? etiã, atque etiam calce petis? proripe hinc te ad regem tuum nequissime. PAR. Quid hoc? post suauiũ etiam complexũ parat quadrupes spurcissimus? Pulchrum erit uidere, quo asininæ istæ deliciæ tandem (ut dici solet) euasuræ sint. PON. Cur puero tam bono mi aselle malefecisti? quid altorem tuum uerberasti tam impie? An fortasse hordeũ

tibi negligentius excreuit? an pectinem dorſo inclementius duxit?
Vide, uide amabo, ut præ pudore auriculas, ut etiam caput demiſit,
ut obticuit pudentiſſimus, pigetq́; pœnitetq́; maleficij. Eum ego te aſel
le uelim, qui in aſino quidem aſini nihil habeas, qui ſis urbanitate
etiam ipſe urbanior. PAR. Vtinam ne in homine, qui aſinos ſeſe
gerant, etiam plurimos inuenias. peruetuſta eſt aſiniorum familia,
longeq́; noſtris in urbibus numeroſa. quæ enim domus, q̃ hæc ipſa,
tam ferax eſt, tamq́; fœcunda propagatu, atq; altu? PON. Hoc ſis
puer, flabellum cape, culicemq́; illum quàm potes longiſſime abige.
PV. Abegi. ſaluus eſt dominus. ſalua eſt patria. PON. Defrica illi
auriculas manu quàm leuiſſima. Vides ut geſtit? ut tibi gratias agit?
Tantum non tete oſculatur. PV. Abi malam in rem. Oſculi genus
tam ſuaue, aſininas morſiunculas tam illecebroſas. Labra penè mor-
dicus abripuit. PON. Ne quæſo iraſcere. Titillatum tu te illi conſti.
tua eſt culpa. Duc palmam urbaniuſcule ad coxam atq; ſub ipſis ili-
bus. PV. Hoc ago. Caue beſtia. quid caudam uentilas? PON. Ne
time. uentrem defrica. idq́; quàm leuiſſime ut agas, uide. PV. Iſtud
ipſum agitur. Quid crepitas nequiſſime. quid pedem quaſſas?
uide beſtia. caue beſtia. ſiſte ingratiſſime. Here tu te hoc ipſum
age. mihi in aſino imperium nullum eſt. Coſtas penè calce diffregit.
Non ſenſiſti ut inſonuit pectus? Noua hæc muſica aſininaq́; harmo-
nia placeat cuiuis. Mihi cum aſino poſthac res nulla futura eſt am-
plius, niſi uectem etiã quernũ teſtem adhibueris. PON. Abijt puer,
et quidẽ exclamabundus. Vides q̃d egiſti mea uoluptas? nõ te pudet,
non te pœnitet, altorem tuum etiam liberaliſſimum pulſaſſe tam illi-
beraliter? deturbaſſe in teram pexorem obſequentiſſimum tam im-
pudenter, deblanditoremq́; tam lepidum penè mutilum feciſſe nari-
bus, tanta cum peruicacia? Non intellegis quàm inique à te factum ſit,
quàm etiam impotenter? Amabo deliciæ meæ mores iſtos agreſtiores
exue, atque urbaniores induc. Quid puerum pepuliſti tibi tantopere
indulgentem? Abundas otio, abundas hordeo, ornamentis etiam re-
gijs nites. Decet in iſta fortuna minime uti ſuperbia. Humanitatẽ, atq;
manſuetudinẽ, ſecundæ par eſt fortunæ comitem eſſe. Hos te mores in-
duere uelim, hanc hero gratiam tot pro beneficijs referre. Demiſiſti
caput. heri pedes delinxiſti. nunc mihi places, dum te malefacti pœ-
nitet, dum erratorum pudet. Hoc eſt ſapere, in manifeſto peccato audi
re inſtitutorem, ac recte monentis præceptis obtemperare. Atqui ego te
pro pœnitentia iſta, uel ſapone etiam Arabicis odoramentis condito to-
tum perluerim, caputq́; & pedes lauerim. Peluem afferte, in eaq; te

pidiusculam plurimam, myrteo cum liquore, Arabicisq; condimentis, quibus meas delicias more meo inungam. Bene habet. aqua tepidiuscula est, & multa. peluis bene ampla, & nitida. liquor quem ipsius Veneris dicas. condimenta, quae Arabiam illam quidem Eudaemonem huc secum pertulisse uideātur. Quod ultra desyderem, nihil est, nisi te ut agas quàm mansuetissimum, dum te perluo, dum te inungo delicium meum. PAR. Expecto uidere quo res haec tandem sit euasura. PON. Etiam blandiris, iam caudam surrigis, iam capite micas, totusq; toto etiam corpore meus asine mihi gestis. Euge deliciae, ut ego te nitore ipso nitidiorem reddā. Siste age caudam ad me, dum bene lotam depecto quàm lepidissime, depexamq; multo lepidius inungo. Quid hoc? quod clunes mihi lauandas asine uix porrigis? Non satis placet ista pedum tam frequens agitatio. An fortasse titillatus ipse te coepit? Hoc illud est mea animula. Verum ego longe te ineptior sum, qui non à capite loturā coeperim. Sensisti erratum. hinc mihi caput obijcas, hinc auriculis micas. Euge lepidissime ut te delectat tepidula, ut frictio tam minuta & lenis? nunc me beas, dum dentes restringis, dū morsiunculas tam urbanas ludis. Apage, apage animal inertissimū, bestiā ingratissimam. ut mihi pene manum utrāq; morsibus abripuit? ut me tam offirmato capite pcussum in terā, atq; in lutum excussit? Arbuscula haec uix praesidio mihi fuit, quo minus stratum me atq; humi iacentem, & pedibus inculcauerit, & calcibus totum diffregerit. Apage te bestiam nequissimam. Hoc hoc illud est. tarde illud didici senex improuidus, homo minime cōsyderatus, hoc hoc, inquam, illud est quàm usurpatissimum, asino caput qui lauent, eos operam cum sapone amittere, in asinum abire, qui asino delectetur. Quo arca frustra me & opera, & sumptus habuit. Sero hoc didici. iuuat tamen exēplo ipso alios commonuisse. O asini ualete iam, ualete post hac ipsa cum Arcadia asini.

Faselio uillicus, Pontanus.

FA.

Quod sine ulla fiat fraude, meoq; permagno cum commodo, meum mihi nomē mutari here cupio, deq; Faselione fieri Caselio uolo. PON. Delectat me utiq; nominis commutatio, teq; ut de marra, rastrisq; benemeritum, donatumq; Parmensi illo caseo peruetere, & grandi, saluere Caselionem iubeo. Vale Caselio iam, salue Caselio, multumq;, ac diu salue. FA. Nec me dono ipso indignum here duco, et libens, uolensq; illud manucapio, nanq; et uetustulus est

caseus, & saracnam prorsus asinariam exæquat. Alia tamen est no
ui nominis & ratio, & causa. Ducere uxorem uolo, neq; ubi cum illa
inhabitem, mihi casa est ulla, hac ego à te donatus, dono ex ipso agno
minari Caselio uolo. PON. An ne magis Vxorio? quando uxoris
gratia donari à me, & ipse cupis, & ego te donatum opto, uxoriæ
rei gratia. Eccas tibi unciolas tris, Robertinis è liliatis. cape libellā,
siquidem & probi, & iusti sunt pensi. his tu te tibi casam commercat
tor, his in suburbanis locis. Vin ab hero tuo aliud? FA. Et unciolas ac
cipio, & alud est etiamnum here à te impetrare quod cupio. Tu me
de rastris, deq́; marra benemeritum donas, & recte quidem donas.
Verum neq; te diecula illius tam uoluptariæ immemorem esse decet,
gratiamq́; mihi ut referas, profectò par est. Lectulus ille in quo deli
cias tam illecebrosas meridiator fecisti, nouam sibi supellectilem cupit,
nouas munditias. ipseq́; nouus sum maritus, noua & illa nupta.
PON. Do, uolo, spōdeo, hac tamen condictione, ut mihi quoq;. FA.
Quid est hoc uerbi? Caselio ego sum non coquus. PON. Hoc uer
bi illud quidem ipsum est mi Caselio, ut mihi perueteri, liberali, atq;
indulgenti hero tuo illud liceat etiam in luce. CA. Tute tibi hoc ui
deto, dum foueo, dum aro, ut luceat, nunquam enim agrum ipse no
cturnis araui in tenebris. PON. Hoc ipsum est mi Caselio, ara-
re ego tecum in luce una cum uxorcula agellum uelim. CA. Ora
re profecto ad genua quoque prouolutus potes, ne tu trimodio qui-
dem cicerculæ ab illa, non si quotquot horti Caietani siliquulas fe-
runt, uel unam solam oculorū pœtulā inflexionē impetrabis, senex,
edentulus, exuctis medullis, senioq́; ipso confectus, atq; incanis malis.
PON. Quid si ad treis illas unciolas, atq; ad lectulū accesserit à me
senio etiā Alphonsinorum? quis et ollas pulmentarias, & patinas, et
pelues, quæq; uasa nuper peregrina è materia allata sunt Valentia,
Balearibusq; ab usq; insulis, ipsa sibi uxor comparet? Teq́; cum uide-
am hilarē atq; uxori deditum, illam mihi et illecebrosam uidere iam
uideor, & rei familiari etiam plus nimio deditam. Cūq; tenella ipsa
sit, atq; in suburbijs nata, urbanitatem præ se ferre scitulas inter puel-
las, festisq́; ut queat diebus, à te ipso summopere uidendum duco. Ego
mi Caselio nō deero. Vult puella crispellas aureolas capiti, uult collo
redimicula, pedibusq́; bracteatulas soleas. Ego hæc illi oīa, tibi quoq;
natalitijs in solēnibus calceas diuersicolores, treisq́; quotannis pnulas
suillas dabo. CA. Num & penulas? PON. Et penulas tibi, & su=
buculā illi rosaceam. Verū age quæso amice Caselio, qbus est papillu
lis nostra animula? CA. Tumidiusculis, quasq́; manu uix inter=
stringas.

stringas. PON. Innata ne obsecro adhuc illic est illi lanugo? CA. Nulla. PON. Nouaculam fortasse adhibuit. CA. Nullum adhuc illa fecit tonsum. putula tota est, nedum glabris femurculis. PON. Illud quoq; non est quod erubescas, fateare amabo, salit'ne, dum ipse salis nostrum delicium? CA. Et salit & subsilit, & auram inspirat, & scit quibus uerbis paxillum surrigat, fermentillã dicas. PON. Quid hoc uerbi mi Caselio? CA. An ignoras fermento contumescere panificiam materiam? habet illa in manibus, in uerbis, in ocellis fermentum. PON. Venus bona. Vt blande, ut deliciose futurum est mihi cum fermentilla nostra. Sed heus tu mi Caselio nihil ultra. continendus est sermo. Ecos Philosophos. exhibe uultum grauem aduenientibus, ac si de ipsorum aduentu collocuti hic simus diutius.

Pontanus. Caselio. Pardus.

PON.

Video ne ego heroes meos? illi ipsi sunt. dies hic profecto mihi futurus est oppido quàm iucundus. Valeat omnino res asinaria. heus tu Caselio, de fermentilla nulla sit cum heroibus nostris omnino mentio. Atq; ut illa secum magis, ac magis gaudeat, asinum tam belle cultum, cuteq; tam nitida, dono ad eam ducito. quo satis illam scio & ruris, et suburbiorum puellas superaturam specie, comptu, stratu, dũ ad nuptias uocata, dum Puteolanas it ad balneas, etiam blandientibus crepitaculis. CA. Here mihi crede hoc asello tibi ab illa & meridies hermaphroditinas comparabis, & noctes. PON. Amabo quid nobis cum hermaphrodito? CA. quod illa sic tecum amplexa, innexa, implicita accumbet, incumbet'q; in lecto, itaq; inhaerescet, hederescet'q; tecum unà, hermaphroditum simul ut agatis. ego tum uobis inspergam & rosam & myrtum, & quos illa è citrio deliquauit rores. Verum approperant iam Philosophi, ego ad eos praecurro. CA. Expectati aduenitis uiri boni, & herus de aduẽtu q̃dẽ solicitus erat uestro, quod diebus compluribus ad eũ nõ uenissetis. Scilicet domestica uos negotia impedierunt. Ipse uero de brassiculis diebus his solicitus fuit admodum, quod eruculis auerruncandis non medicamenta, non Catonianum illud carmen quicquam profuerit. omnia exederunt holera bestiolae tam importunae. PAR. Senex ergo noster etiam in hortis non caret molestia? CA. Adite ad illum, liberabitis eum alia etiam molestia. Diẽ hunc penè dimi

diatum trā segit in uolutando cœlo, qđ in manibus adhuc ēt uersat. Cui mea qdem sententia cerebrū identidem uolutatur, & ni ego accurissem, amiculo iniecto, dum cœlum suspectat, & aluearia nō uidet, in ea illatus, apiculæ illum confecissent. Mihi credite, senes tandem omnes, quiq; præsertim habiti sunt sapiētiores, delirio corripiūtur. Senex autem hic noster non uno delirat modo. Sed non est nunc plura dicendi locus, dicam apertius aliâs. Amore etiam insanit, ac nutrire sibi capillum cœpit, qui tonso semper capite in hunc usq; diē, atq; in publicum processerit. PAR. Faselio mi dic obsecro, de asino quid est actum? CA. Perbene, quod non senem ipsum confecit iā calcibus, adeo nihil defuit ad lumbifragium. quem dono mihi post id dedit, suboluit enim illi uxorculam mihi ducendam, nihil enim est eo salacius, ac nescio quomodo in maritas fœmellas magis accenditur. PAR. Parcius oro Faselio, quippe qui solitus sis illi subblandiri, & de amore laboranti ferre suppetias. Sed uenit iam ad nos senex, conferamus gradum, & hilares hilarem salutemus.

Pardus. Syncerus. Altilius. Cariteus. Pontanus.

PAR.

Et bene & feliciter cum familiaribus his tuis agitur, dum te ualentem conspicimus, dum quæ ruris sunt, ea te summo studio, singulari diligentia curantem intuemur. Quodq; quatriduū hoc in secessu, procul ab negotijs, uacuus etiam urbanis curis requieueris, nouum te excudisse aliquid tua pro consuetudine arbitramur. Quo sit tanto etiam iucundius, magisq; e sententia nobiscum agitur, Eoq; & ualentem saluere te hilari maxime animo iubemus, & perscrutationibus gratulamur. Quādo otium tibi nullum absq; mentis negotio fuisse tibi unq̄, abunde cognitum & perspectum nobis est, PON. Ego uero amicissimos homines, ac Musarum nostrarum alumnos ea uoluptate his in hortis accipio amplectorq;, qua cœlesteis res, diebus his, in hac ipsa solitudine, uel magis secessu, sum contemplatus. Siquidem contemplationis ipsius communicatio cum studiosis rerum earundem uiris, is profecto fructus est etiam suauissimus.

FINIS.

P. Summontius Suardino Suardo. S.

Nequa in re non felix Iouianus Pontanus haberetur, contigit illi Suardine Suarde, ut te quoq; amicum haberet. Nã (quæ tua est ex antiqua nobilitate generositas) mortui famæ ita consuluisti, ut maiora inter uiuos officia uix optanda uideãtur. Omitto quo uiuũ semper studio colueris, utq; illius Vraniam paulo ante ipsius obitum unà cum Meteoris Hesperidum hortis, atq; Eclogis quàm emendatissime Venetijs edendam curaris. Idem postea, uix audita eius morte, neque precibus, neq; adhortationibus, non etiam pecuniæ modum ullum fecisti, donec nos ad excudenda hic deinceps reliqua paratos iam, accinctosq; uideris. Quo fit, ut tibi non parum debituri sint, quicunq; absolutam hanc quamprimum editionem uidebunt. Nam post hæc quæ de Sermone Aristotelico more scripta sunt, postq; Historiam belli Neapolitani, quæ duo non dum omnino authore ab ipso elimata, quodq; miserabile magis sit, non dum suis omnibus ornata procœmijs, ita ut erant suasu tuo præmisimus, insequentur statim qui reliqui sunt in philosophia de fortuna, ac de immanitate libri. Demum uero ultimo quasi partu res astrologicæ, quod unum superest, in lucem prodibunt. Vale.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ELOQVENTISSIMVM E' PRAEDICATORVM ORDINE FRATREM IACOBVM MANTVANVM DE SERMONE LIBER PRMIVS.

Nnum agimus Iacobe Mantuane tertium ac septuagesimum, & eum quidem nequaquam otiosum aut desidem, quando otio illo frui, quod suapte natura concessum est senectuti, per Italiæ turbationes non licet, discursante per Aemiliam, Hetruriam, Latium, Campaniam, Apuliam, ac Brutiam Gallorum exercitu, meq; ipso de rebus non modo familiaribus, uerũ de uita ipsa solicito. Nam ut desidem agimus uitam, ante acta ætas docere satis potuit in tot, tantisq; occupationibus, docet etiam præsens, quæ ne per ignauiam transeat, uolumina à me scripta, diuersis etiam de rebus, ac disciplinis ostendunt. Itaq; uagantibus per Italiam Gallicis, ne dicã eam uastantibus copijs, regnumq; Neapolitanũ hinc Gallis ipsis, illinc Hispanis occupantibus, à maximis doloribus nos merito labefacientibus, animum, ac mentem nostram omnino auertimus, q́q; mirũ fortasse uideri possit, cõuertimus ad scribẽdas eas siue uirtutes, siue uicia, quæ i sermone uersantur, nõ autẽ aut Oratorio, aut Poëtico, sed q ad relaxationẽ animorũ pertinet, atq; ad eas quæ facetiæ dicuntur, id est ad ciuilem quandã, urbanamq; consuetudinem, domesticosq; conuentus hominum inter ipsos, non utilitatis tantum gratia conueniẽtium, sed iucunditatis, refocillationisq; à labore ac molestijs. Diuisimus autem peruestigationem eam in plureis libros, quodq; solari literarũ studiosum hominẽ, ipsorum esset literatorum proprium, quasi dissertatio hæc inter literatos, q in Italia florent haberetur, libros ipsos non uni inscripsimus, sed compluribus, quo plures habeamus iacturæ nostræ, nostrorumq; dolorum consolatores. Tu librũ hunc accipe, et ad iucunda tantum animum, cogitationesq; tuas uerte, neq; enim te ad complorationem inuitamus, sed ad risum, atq; festiuitatem, neq; nos ipsos à dolore auertimus, quo te ipsum, reliquosq; inuitemus ad lacrimas, sed ut sciatis nos neq; consolatione etiam in summis erumnis indigere, & ut uos ipsos intellegatis Italicis à uastationibus contemplandis à me auerti. Tu uero Mantuane quod tuum est,

quodq; literatorum omnium proprium, id & contemplare, & age, ut arbitrere, cogites, scias non pauca hominum consilijs, atq; actionibus & geri, & posse, rerum tamen omnium summam ad deum optimum maximum referendam esse, qui uero secus arbitrentur, uanos eos esse homines, ac maxime futiles.

Rationem, atq; orationem esse homini à natura tributam.

Et rationem homini natura dedit, quo animal ipsum perficeret, et orationem, atq; altera, mente quidẽ duce, cœlitibus maxime eum esse similem uoluit, utraq; uero cœteris præstare animalibus summa etiam cum excellentia & dignitate. Itaq; ratione quidem ipsa homines, seq; suaq; & metiuntur, & componunt omnia, oratione autem & conciliationem à natura insitam conseruant, tuẽturq;, & quæ ratio ipsa dictat, ea explicant, atq; eloquuntur, siue ad usum spectent, atq; ad seria, siue ad iocum, ac uoluptatem, quando absq; illa ratio manca quædam res eẽt, maximeq; imbecilla. Cum hominis præsertim uita in actionibus uersetur, ciuiliq; in congregatione et cœtu, cuius oratio ipsa, totiusq; humanæ societatis uinculum sit præcipuum, ac sine ea ad summi boni adeptionem perueniri nullo modo queat. Vt autem ratio ipsa dux est, ac magistra ad actiones quasq; dirigendas, sic oratio illorum ministra est omnium, quæ mente concepta, ratiocinandoq; agitata, depromuntur in medium, cum sociabiles (ut dictum est) nati simus, sitq; uiuendũ in multitudine, quæ quo maior est, ac frequentior, eo in illa uberior est copia eorum omnium, quibus uita indigeat, quando nascentibus hominibus inopia data est comes, qua è re uita ipsa longe aptior redditur, atq; habilior, tum ad assequendas uirtutes, tum ad felicitatem comparandam. Igitur ut ratio dux est, ac magistra dirigendis actionibus, uirtutibusq; comparandis, oratio uero mentis est interpres, rationisq; ipsius instrumentum quasi quoddam (siquidem consultationes, consilia, ratiocinationes ipsæ deniq; dissertionibus constant, dissertiones uero uerbis) Sic eadem ipsa oratio instrumentum quoq; rationi & quasi materiam subministrat, in qua uersetur. Nam si laudantur, recte qui loquuntur, dicuntq; apposite quod sentiunt, improbentur necesse est, qui male, atq; incomposite.

Virtutem, & uitium uersari etiam circa orationem.

Quod si ubicunq; laudi locus suus est, ac uituperationi, illic et uirtuti et uitio, nimirum & in oratione uirtus, ac uitium sedem sibi constituent

aliquam. Vt quemadmodum in agendis rebus, sic in explicandis quæ animo, menteq; concepta sunt, sententijs item dicendis, atq; in habenda oratione, siue ad multos, siue apud paucos modus, mensuráq; seruanda sit, ac mediocritas illa quæ uirtutes constituit, estq; in omni uitæ genere merito laudanda. Etenim grauiter alij quæ sentiunt explicãt, ac composite. inepte alij, ac ieiune. híq; ut inepti, leuesq; improbãtur, illi contra commendantur, ut graues, atq; compositi. Ergo & in oratione quoq; uirtus sibi locum comparauit, illumq; ipsum cum dignitate et laude.

Maximam esse uim, atq; authoritatem orationis.

Nec uero populosissimis in ciuitatibus, amplissimusq; in administrationibus non maximum sibi perperisse locum, summamq; authoritatem eos constat, qui inter cæteros essent elocutione præcipue clari, inde ea qui pollerent, Oratores dicti. Sed nos hac in parte, de ea quæ Oratoria siue uis, facultasq;, siue ars dicitur, nihil omnino loquimur, uerum de oratione tantum ipsa communi, quáq; homines adeundis amicis, communicandis negotijs, in quotidianis præcipue utuntur sermonibus, in conuentibus, consessionibus, congressionibus, familiaribusq;, ac ciuilibus consuetudinibus. Qua è re alia quadam hi ratione commendantur, quàm q Oratores dicuntur, atq; eloquentes.

Maximam esse in hominibus orationis uarietatem, ac diuersitatem.

Nec uero natura in hoc quoq; à seipsa discessit, aut ab ea quæ sua ipsius propria est, uarietate, ac dissimilitudine. Cum aliorum sermones seueri sint, ac subtristes, aliorũ iucũdi, et lepidi, huius blãda sit elocutio, atq; ornata, illius inculta, & aspera, atq; alius in loquẽdo præ se ferat urbis mores, alius uero ruris. Est, uideri qui uelit facetus, & comis, cõtra qui austerus, et rigidus, q maxime uerus, oĩq; à simulatiõe alienus, secus autem, cui dissimulatio placeat, aut ea quæ Græce est εἰρωνία. Itaq; loquendi genus tum cuiusq; naturã, tũ ẽt mores sequi potissimũ uidetur. Quid? ꝙ populi, gẽtesq; siue natura ab ipsa, siue ab institutiõe et usu, ꝙq; alia alibi magis probãtur, suntq; in pretio maiori, aliæ taciturniores sũt, cõtra loquaciores aliæ. Magniloquẽtia delectat Hispanos, fucatus ac cõpositus sermo Græcos. Romanorũ grauis fuit oratio, Lacedæmoniorũ breuis, et horrida. Atheniẽsiũ multa et studiosa. at Carthagineñsiũ, Afrorũq; callida, et uafra, de natura illorũ sic dicta. Quo fit, ut genus colloquẽdi alibi aliud magis probetur, aut minus. Cũ igitur de Fortitudune disseruerimus, déq; uirtutibus ijs quæ in pecunia uersantur, quæ quidem plures sunt ac diuersæ, itemq; de

Magnanimitate, Prudentia, deq́; Fortuna ei contraria, tentemus hoc in ocio, quod senectus nobis concessit, uis'q; etiã hostilis, de ijs item uirtutibus præcepta tradere, quæ in uerbis uersantur, quotidiano'q; in sermone, quiq; plerunq; indicare mores cuiusq; consueuit, ac uel laudem afferre, uel reprehensionem. Etsi (ut Horatius inquit)

Oderunt hilarem tristes, tristem'q; iocosi.

Neq; enim nos de laude sic nunc loquimur, atq; improbatione, ut qui ex aliorum iudicijs uirtutes metiamur, ac uicia, uerum à ratione tantum, atq; à mediocritate, penès quã iudicium est, atq; examen uirtutum omnium.

Etiam in oratione seruandam esse mediocritatem.

Censemus igitur rerum nostrarum omnium, non in agendo solum, uerũ ẽt in loquẽdo, explicandis'q; in sententijs, ac cõsilijs, mẽtis deniq; atq; animi conceptis, siue serijs, siue iocosis, mediocritatem esse iudicem, quam qui sequantur, ij & in dicendo, & in agendo cum delectu rationem retineant, ipsa'q; cum ratione modum, ac mensuram, siue sermo ipse grauis sit, atq; austerus, siue iucundus, & comis aut in festiuitatem deflectat, aut in seueritatem. De quibus singillatim distincte'q; ordine quidem dicemus, ac pro natura uirtutis cuiusq; sua. Verum quoniam uirtutum earum quæ in loquendo uersantur, oratio materia est quasi quædam, eaq; ipsa nobis à natura tradita, id uidendum est, dũ aut faceti uideri uolumus, aut graues, ne aduersus naturam ipsi propriam contentionem moliamur aliquam, ne'ue uelimus uniuersa illi acie ire obuiam, quod est non modo difficile, ac laboris plenum, uerum etiam reprehendi iure solet à sapientibus uiris. Cum (ut prouerbio etiam monemur) nihil inuita sit agendum Minerua, hoc est natura repugnante. Nec nisi etiam sapientissime est à Cicerone præceptum, ut quibus ipsi apti rebus sumus, in ijs potissimum occupemur. Nam & si concessum est aliquando propria relicta natura alienæ se accomodare, tamen aduersus uniuersam ut suscipiatur certamen, nullo id pacto uidetur committendum, quando præstari id cum laude ac dignitate uix omnino queat, id'q; si ad breue fortasse tempus, natura tamen ipsa ad id quod est proprium ac suum tandem recurrit. Qua è re argui solet, atq; haud iniuria accusari uitæ inconstantia, ac morum leuitas.

À natura inesse homini cupiditatem quietis, ac recreationis.

Principio quod hominũ uita tũ corporis, tum animi laborũ plena est, ac molestiarum, iccirco post labores cessatio quæritur, in qua recreetur

animus, atq; inter molestias iocus. Natura enim duce ad requietem trahimur, ac uoluptatem. Nam & à regibus, & bene constitutis populis, & à Romanis præcipue gentium dominis ludi fuere, diuersi etiam generis instituti, quibus spectandis tum populus uniuersus, tum magistratus ipsi relaxarentur quotidianis à laboribus, negotijsq; susceptis & priuatim & publice. Quando & fossores, & qui cædendis exercentur lapidibus, & iocat inter se funditant, oblectandi gratia, & illa ubi defuerint, cantu laborem mulcent, leniuntq; erumnas. Vnde & recte, & naturaliter ab equite Romano, eodemq; Poëta suauissimo dictum est.

Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Vrbanitatem, ac ueritatem merito laudari.

Merito igitur laudatur urbanitas, expetiturq; à plerisq; urbanorum, ac facetorum hominum consuetudo, ac familiaritas. Et qa tractandis rebus, atq; administrandis, ratio recta præsidet, cuius maxime amica est ueritas, proinde à quibus ea colitur, ij et commendantur ab omnibus, et summo habentur in pretio. Ad hoc autẽ tũ ueri, tũ iucundi studiũ, motusq; circa ea animorũ, atq; affectus, moderatio ubi accesserit, eaq; quæ mediocritas dicitur, existent illico quæ & uiris bonis, & ciuibus ingenuis dignæ, & suo etiam utraq; nomine uocata est uirtus, altera quidem, quæ susceptorum laborũ honestum sit leuamen, relaxatioq; maxime laudabilis à curis, ac molestijs, altera uero quæ hominem ipsum ita constituat, ut per eam constet humana conciliatio, uigeatq; in ciuitate fides, penes quam actionum nostrarum omnium, ac negotiationum uinculum existat, ac promissorum, dictorumq; obseruatio. Quod ita esse nobis innuit Christus & deus idem, & homo, cum ueritatem se se esse professus est. Verum cum ipsis è uirtutibus aliæ uersentur aut in eroganda pecunia, aut in obeundis periculis, aliæ in moderandis uoluptatibus, aut in reddendo quod suum est, cuiq;, alijsq;, atq; alijs aliæ, nomineq; singulæ appellentur suo, hæ quidem duæ, quæ tum ueritatem in dicendo, tum leporem sequuntur, circa orationem tã tum operam suam conferunt, uerbaq; sibi perinde, ac materiam subministrant. Et alteri quidem quæ relaxationem quæritat ab laboribus ac molestijs maiores nostri nomen fecere Vrbanitati, & qui ea præditus esset, nunc Vrbanum dixere, nũc uero aut Facetum, aut Comem.

Vnde Vrbani dicti sunt, ac Faceti.

Et Vrbanos quidem uocauere, quod ij oratione uterẽtur, & cue, et eo

qui in urbe conuersaretur digna. cum uiuentium in agris & uita esset agrestior, & sermo etiam qui rus referret, rusticanaeq; consuetudinis tum mores, tum etiam locutionem, ac gestus. Facetos uero, quod in congressionibus, collucutionibusq; domesticis, familiaribus item, ac popularibus in sermonibus uerba cum iucunditate facerent, cumq; audientium uoluptate, ac recreatione. Etenim apud priscos illos uerbũ Facio maxima in usurpatione fuit loquendi, quãdo & foedus facere, et pacẽ, et bellum, & insidias, & ludos, & delicias, & iocos, & uerba facere dicebant, aliaq; etiam plurima diuersi quoq; generis, & qui eleganter, ac copiose Facundos, & tum Facundiã, tum Facunditatem dicendi uim, quibus in uocibus temporis illius Poëtae quantitati uti consulerent, tertiam literam geminarũt. Nam ne à fatu dictus sit Facundus, tertia repugnat litera, ne ue à fando, plura simul obstant. Itaq; qui uerba facerent ferendis in sermonibus, cum audientiũ oblectatione, ac dicendi lepore, Facetos eos dixere, & comes, adhaec & Festiuos, & Lepidos, nec minus libenter etiam Salsos.

De Lepidis, Festiuis, & Salsis.

Quanquam autem hi ipsi quos nominauimus, eodẽ continentur genere, suntq; inter se cognati, & familiae pene eiusdem, differunt tamen inter se. Quocirca ostendendum uidetur, in quo ab alio alius iudicetur differre. neq; indigna sane, neq; inutilis inquisitio. Cum sit omnino nihil tam fugiendũ in disserendo, ratiocinãdoq;, quàm ne cõfusio, incertitudoq; exoriatur è uerbis aliqua, neq; aliud magis sequẽdũ, q̃ ut distinctio adhibeatur, selectioq; & uerborũ, & rerum. Tentabimus igitur quoad fieri poterit, & res ipsa tulerit, secernere eos inter se, ut quid commune inuicem habeant, quid item disiunctum, aperte intelligatur. Ac materia quidem ipsa communis ẽ, oratio scilicet, ac uerba, & item finis, ac propositum. Quaeritur enim pariter ex dictis oblectatio, ac uoluptas. Nãq; (ut in carminibus nostris adolescentes lusimus) Lepos leuando est ab labore dictus, partim mutatis, partim contractis literis. Itaq; Lepidus is uidetur, qui suauitate dicendi, teneritudineq; quasi quadam delectat & uerborum, & rerum. Vt apud Terentiũ, Aedepol te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico, dum huic formae studuisti, mores ut essent consimiles. Omnia ibi in gratiam puellae, & cum lepore dicuntur, & apud Plautum, Cum ego antehac te amaui, & mihi amicam esse creui mea Gymnasium, et matrem tuam, tũ id mihi hodie aperuistis, tuq; atq; haec soror si mea esses qui magis po

ueritis honorē ire habitum nescio, ut meus est animus fieri non posse arbitror, ita omnibus relictis rebus mihi frequentē operā dedistis, et eo uos amo, & eo magnā à me inistis gratiam. Tantopere autem di cendi olim lepos datus est laudi, ut inde primus ille qui post, idem gen ti cognomen reliquit, cognominatus sit Lepidus. Atq; ut inter sapo res, suaues quidam tantum sunt, quidem & suaues simul & salsi, sic etiam & dicta, alia tantum lepida, alia lepida pariter, ac salsa, quē admodum ratio ipsa fert aut dicendi, aut respondendi. Vt cū Pópeius Ciceronē illudens, quanquam uultu fortasse hilariore dixisset interro gans, Gener ubi est tuus? ibi Cicero qui amarū, atq; aculeatū inesse quiddam uerbis illius intelligeret, reddidit illi in respondendo par, Vbi et socer est tuus? Erat enim Cæsar belli suscepti et dux & author, quem Dolabella sequebatur. Itaq; & qui aderant suauitate eos, atq; extemporalitate responsi affecit, & suauitati salem adiunxit, ut ipse quidem arbitrer utrunq; et Ciceronem, et Pompeiū ex eo in risum cō uersos. Atq; eiusmodi quidem dicta dicuntur salsa, et qui iis utuntur, ipsi quoq; Salsi. Lepidis itaq; suauitas tantū inest dictis, Salsis etiam acumen, quando salsus sapor est ipse quidem acutior. Inesse autē eius modi dictis acrimoniam, docet etiā apud Terentium illud ipsum de quo gloriatur ille, Eon Strato es ferox, quia imperiū in belluis habes? Illud autem etsi salsum admodum, non caret tamen obscœnitate, Lepus tute es, & pulpamentum quæris, Plautinum uero hoc & salsum, & lepidum, & aue etiam ingenuo dignum, Speraui ego istam tibi pari turam filium, uerum non est puero grauida, sed insania. Veniamus ad Festiuos, qui mihi uidentur à fando dicti, uetustate temporum im mutante literas, festis enim diebus mos fuit et benigne hilariterq; affari populum, & in ludis qui in honorem deorum fiebant. oblectare eos qui diuinas ad res conuenerant, blande eos appellando, atq; accipien do comiter. Quanto autem studio diebus iis festis oblectamenta quære rentur, indicio sunt & ludi, & tibiæ, & tubæ, & cantus, & choreæ, et lectisternia, & templorum apparatus, ac theatrorum, et porticuū, & uiarum, & ipsa etiam fercula. Vt qui illis in ludis, sacrificiis, pō pis, ferculis in popularium, ac conuenarum gratiam iucunde se ha berent, eaq; et excogitarent, et loquerentur, quæ ad iucunditatem face rent ac lætitiā, merito ii Festiui uocarētur. Adhibent præterea Festiui in iocādo æque ac ludēdo, dicendoq; uarietatē ꝑmultā, quæ sermones maxime condiat, ut quæ i cessationibus, animorūq; relaxatione præci pue exigatur. Ludi eni ac festi dies, et si in honorē deorū, cessationis tn̄ gratia potissimum fuere inuēti. Indicio sunt apud Græcos, nostrosq;

actiones siue comœdiarū, siue tragœdiarū. i ijs enī et histriōes, mimiq́;, et musici, et gladiatores exhiberi soliti, uenationes item, et pugnæ nauales. Itaq; Festiui uarietatem admiscent plurimam in dicendo, ludendo, delectando.

De Comibus.

Iam uero Comis uiri studium eo etiam spectat, dicendo ut delectet, pariatq́; audienti iucunditatem, Eius tamen consilium est, quæ à se dicantur, non ut delectent modo, uerum etiam ut sint grata, nec solum uerba, uerum etiam res ipsæ, quæ dicuntur, quippe cuius studium sit gratificari, atq; in gratiam loqui audientiū. Itaq; & ornatum rebus adiungit, præstatq́; quod Terentianus ille desyderat, Ornato munus uerbis, quantum potes, & in eo est maxime, ut uerba etiam ipsa, resq́; quæ à se dicantur, gratiam præ se ferant, Itaq; à comendo hoc est ornando dictus. Puellæ nanq; placere ornatu præsertim amatoribus student, illisq́; ex eo gratiores fieri. Vide quæso quibus uerbis, quàm etiam comptis, quàm gratis itē sententijs Aeneam alloquatur apud Virgilium Euandrus.

» Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum
» Finge deo, rebusq́; ueni non asper egenis.

Non dubitauit Liuius post sermonem illum à Marcello habitum aduersum Nolanum Bancium, qua in collocutione multa in commendationem, multa de beneficientia populi Romani dixerat, deq́; futura beneuolentia, & opera in illum sua, non dubitauit inquam hæc dicere, Ea uerborum comitate deuinxisse sibi iuuenem. Comitatem appellauit, quod undequaq; in gratiam illius Marcellus esset locutus. An non quod in conuiuio, cœnisq́; grata omnia conuiuis esse debeant, ac præsertim sermones, translatum est uerbum etiam ipsum ad cœnas? ut comiter accepti & conuiuio, & hospitio dicantur, quod & uerba admodum grata, sermonesq́; et frons etiam serena epulis accesserit. Omnino uero Comis uiri oratio, quo grata sit, atq; iucunda, & lepida, uersatur magna è parte in fabellis referendis, in ijs enim & oblectationi maxime amplus conceditur locus, & uerborū ornatui, suntq́; omnino comitate præditi enarratores iucundissimi, & in conuiuijs et in circulis, collocutionibusq́; siue inter paucos, siue multos. Qua quidē è re Ioannes Boccatius maximam sibi laudem apud doctos pariter, atq; indoctos homines comparauit, centum illis conscribendis fabulis, quæ hodie in hominum uersantur manibus. Hoc idē Græce conatus ē Lucianus. Innuere autē hoc ipsum quod dicimus Plautus uidetur, cū ait in Milite glorioso, Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas, si ad auscultandum uestra erit benignitas. Quæ autem, & qua-

lis sit comitas, Ouidius in commutationibus illis formarum explicandis, plurimis in locis ostendit. præcipue uero locus is declarat, qui est de Vertunni conuersione in aniculam. Cuius hic particulam inserere placuit, idq; uoluptatis tantum gratia, uarietatisq; ostendendæ.

» Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
» Inter Hamadryadas coluit studiosius hortos.
» Nec fuit arborei studiosior altera foetus,
» Vnde tenet nomen. non syluas illa nec amnes,
» Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.
» Nec iaculo grauis est, sed adunca dextera falce,
» Qua modo luxuriem premit, & spatiantia passim
» Brachia compescit, fixa modo cortice lignum
» Inserit, & succos alieno præstat alumno,
» Nec sentire sitim patitur, bibulaq; recuruas
» Radicis fibras labentibus irrigat undis.

Quibus dictis, haud multo post transit ad Vertunni amores, atq; ait,

» O' quoties habitu duri messoris, aristas
» Corbe tulit, ueriq; fuit messoris imago,
» Tempora sæpe gerens freno religata recenti.

Hisq; alijsq; uarie, eleganterq; explicatis, uertit illum in anum, & blande, & illecebrose loquentem, quippe quæ

» Innitens baculo, positis per tempora canis,
» Assimulauit anum, cultosq; intrauit in hortos,
» Pomaq; mirata est, tantoq; peritior inquit
» Omnibus es nymphis, quas continet Albula ripis.
» Salue uirginei flos intemerate pudoris,
» Paucaq; laudatæ dedit oscula, qualia nunquam
» Vera dedisset anus, glebaq; incurua resedit,
» Suspiciens pandos autumni pondere ramos,
» Vlmus erat contra speciosa nitentibus uuis,
» Quam socia postquam pariter cum uite probauit,
» At si staret ait cælebs sine palmiti truncus,
» Nil præter frondes, quare peteretur haberet.
» Hæc quoq; quæ iuncta uitis requiescit in ulma,
» Si non iuncta foret, terræ acclinata iaceret.
» Tu tamen exemplo non tangeris arboris huius?

Vides quàm & delectet, & comiter ludat, & uariet rem ac dictionem, & uerbis innitatur ornatis, ac maxime suis. Verum de hac ipsa comitate post uberius.

De Blandis.

Eorum uero qui Blandi dicuntur, etsi eadem uidetur esse materia, finis tamen ubiq; non est idem, nec sola delectatio ac iucunditas quæritur, uerum potius utilitas quale illud est, Nunc obsecro te Milphio hanc per dexteram, perq; hanc sororem leuam, perq; oculos tuos, perq; meos amores, perq; Adelphasium meam, perq; tuam libertatem, alibi iræ delinitio, aut morositatis, alibi doloris, indignationisq;, alibi illectio ad turpem uoluptatem, atq; proprias in appetitiones. Nõ pectinẽ eburneum Plautus, non cæseum molliculum, non monedulam prætermisit inter blandiendum. Atq; illa quidem amantium sunt, non facetorum hominum. Itaq; serui, familiaresq; iratis blandiũtur dominis, patribus filij, nutrices pueris, captatores ijs, quibus nec liberi ulli, nec legitimi sunt hæredes. Quocirca Blãdos in eorum numero, qui oblectationem tantum quærant, urbanis ex allocutionibus, habendos non esse Iuuenalis etiã docet. Proditum quoq; est à scriptoribus Heluium Pertinacem Augustum blandum potius quàm benignum fuisse habitum, quod uerbis quidem alliceret homines, essetq; affabilis admodum, cæterum re ipsa non modo non liberalis, uerum etiam sordidus.

De Vrbanis, & Facetis.

Reliquum est de Vrbanis ut dicamus, ac Facetis. Et quoniam Vrbanitas non ad iocos tantum, ac festiuitatem, dicendiq; leporem pertinet, q̃d in ea quidem uirtute potissimum laudatur, uerum ad uirtutes quoq; alias, quæ & uiro & ciue ingenuo dignæ sunt, uidetur alia quærenda uirtus, quæ propria magis sit, solumq; id complectatur, ac respectet, quod ad iocos tantum, animorumq; relaxationem spectet. Nam et Vrbanus dictus est, quod urbis seruet, sciatq; ac retineat mores. Quando aduersus illi est qui è contrario ruris sequatur, non urbis institutiones, indeq; agrestis uocatus, ac uitiũ id à rure rusticitas, ut ab urbe urbanitas dicta. Nam & qui seniori assurgit prætereunti, & qui magistratum ab domo deducit in curiam, & qui præteriens salutat, urbanitate utitur. Facetus uero ex eo nullo modo est dicendus. Video populariter, atq; à uiris minime indoctis Affabiles quosdam uocari, qui & ipsi urbanitate quidem utantur. Nam et in accipiẽdis hospitibus, & in aduentu peregrinorum, in primis etiam congressibus, ac salutationibus, et blãde affantur, ac comiter, et hospitaliter alloquuntur. Iidem amicæ quoq; et salutant, et compellant, & summa cum

iucunditate congrediuntur. Sed nos eum quærimus, qui parte ex omni munus ipsum impleat, qui è iocis, suauibusq; è dictis oblectationem tantum quærat, ac recreationem post labores, qui & salem habeant in dicendo, et quæ ipse dicit tanquam illo condiat. qui leporem admisceat, qui uerba apta, idonea, concinnata, iocisq; accommodata usurpet, uultumq; illis adiungat, ubi opus est, ac gestum, qui fabellis narrandis, recitandisq; iocosis, ac ludicris rebus, et curas sedet, & deliniat molestias, qui non discedat urbanitatis è finibus, aut è ciue in rusticum, atq; agrestem transeat, ex ingenuo in seruum, aut seruo persimilem, ni forte res ipsa ita tulerit, qui minime uolens offendat dictis, nisi lacessitus, idq; tamen urbane, qui & temporis, & loci, & audientium, & sui ipsius, & quam gerit personæ, & ætatis, & negotiorum, & publicæ, priuatæq; letitiæ habeat, ac tristitiæ mœrorisq; rationem, idq; cum primis curet in singulis ut retineat modũ, ne & uerba profundat, & iocos, qui deniq; summo id studio uideat, ne cum alios in risum prouocat, ipse ab astantibus risui habeatur, triuioq; dignior iudicetur, quàm honestorum, atq; ingenuorum hominum audientia, ac consessu. Demum etiam qui intellegat, perinde ut cessatio omnis, quiesq; conceditur, relaxandi gratia, utq; reditus ad labores ac negotia nõ sit grauis, sic iocos, dicta, sales, lepores, facetiasq; concedi, ne uitam, cogitationesq; nostras omnis, studiaq; in iis collocasse, aut in otio, desidiaq;, aut in marcescẽtia potius nos appareat. Hũc, ni fallor (quando qui & qualis Comis sit, qui etiam Vrbanus, ac Festiuus, explicatum est) maiores nostri Facetum uocauere. Nam urbanus (ut diximus) plura, quæ urbanæ consuetudinis, morumq; ciuilium sunt, complectitur, perinde ut etiam Comis, at Festiuus minime quidem omnia quæ uirtuti huic conueniant, quæq; inesse ei debeant, qui iocis, dictisq; iucundioribus usurus sit cum mediocritate & gratia. Quã in opinionem propendere uidetur Cicero, cum ait duo esse genera facetiarum. Habemus igitur nomẽ eius qui tali sit mediocritate, ac uirtute præditus. Cæterum uirtutis, atq; habitus ipsius nomen hactenus proditum est nullum, quod quidem sit proprium, ac suis limitibus terminatum. Nam etsi rerum scriptores et Comitatem usurpant, et Vrbanitatẽ, tamẽ (ut dixi) parũ sunt omnino propria. Quia uero cognata hæc essent, et necessitudine sua cõiuncta, idcirco illis usi uidentur. Nos uero licet nõ absq; rubore (neq; enim licẽtiosi haberi uolumus) tamen quod in acie cum periculo uersamur, tentabimus illud nouiter deducere, quod in plurimis & Cicero è nostris, aliiq; non pauci seruauere, et Aristoteles inter Græcos, etiam non quadam sine liber-

tate, etsi maxima tamen cum utilitate legentium. Ac primum quidē minime ut à modesto deducimus modestiam, sic à faceto Facetiam, quando Facetiæ ipsæ dicta quidem sunt iucunda & lepida, nequaquam uero habitus, aut uirtus. Verum ut sanctitatem à sancto, & ab honesto honestatem, castitatem'q; à casto, sic à Faceto Facetitatem deducemus. Vt Facetitas ipsa sit uirtus, ea deniq; Faceti uiri habitus, forsan non omnino etiam displicuerit Facetudo subducta syllaba, ut à sordido sorditudo, quæ Plautina deductio est. Nam neq; maiores illi nostri aut castitudinem reformidarunt, aut mœstitudinem. Quid si ut mœstities, sic etiam dicatur Faceties? Sed nos hæc ipsa ita tradimus, ut qui nullo modo uelimus regulam hac in parte præscribere. Sit eni sua cuiq; libertas usurpandi nominis, Verū ideo hoc facimus, ut aperte magis intellegatur habitus ipse, qui sit, & quo etiam quis nomine ac proprio, & tantum suo uocitandus. Constituimus itaq; siue Facetitatē, siue Facetudinem, Facetiem'ue habitum, & qui eo sit habitu ornatus, Facetum. Sed ad alteram quoq; partem uerborum transeundum est, ut quæ in ea uersetur mediocritas, lucide etiam intellegatur.

De Veracitate.

Quemadmodum autem uirtutis huius, de qua pauca locuti sumus, siue Comitatis, Vrbanitatis'ue, siue Facetudinis, proprium munus est, atq; officiū sedare molestias, in cessationibus'q;, ac in relaxatione à negotijs, iucundum aliquid quærere ad reficiendos animos, siue in ipsis quoq; laboribus, ac negotijs, inter'q; molestias reficere eos, quo uegetiores ipsi fiāt, longe'q; ualentiores, siue peruincendis, aut tolerandis laboribus, difficultatibus'q;, siue leniēdis doloribus, atq; molestijs, qui finis ei uirtuti est constitutus, Sic cum eadē ipsa oratio, ac sermo uel præcipuum sit uinculum retinendæ societatis, ad quam colendā nati, atq; educati sumus, cœtus'q; ipsius una sociati et ampliandi, & conseruandi, sic inquā alterius uirtutis, cuius etiam initia quærimus, proprium munus est, ueritatis studiū, ac cultus. Loquimur autem de ueritate hoc in loco non illa quidem, quæ à Physicis quæritur, aut Mathematicis, quæ'ue uersetur circa certitudinem Syllogismorū, in ipsis'q; disputationibus quæ sunt de rerū natura, de'q; disciplinis atq; scientijs hominū, ac facultatibus. Verū de ueritate ea, quæ nihil ī sermōibus, atq; in oratione, nihil etiā in moribus inesse fictum, fallax, fucatū indicet, nihil quod simulatum, adulatoriū, mendax, gloriosum, uanum, quod'q; supra uires appareat, supra'q; facultates ipsas, aut ueri fines excedat, captus'ue nostri terminos, quam assecuti qui sint, retineant'q; et in dicendo, & in

do, & in tractandis rebus, domesticisq; in consuetudinibus, ij ueri dicuntur, & uirtus ipsa ueritas, ni fortasse proprie magis ueraces illi, uirtus autem ipsa ueracitas, ut ueritas sit rei ipsius, ueracitas uero, ea utentis habitus. Ac nihilominus & uerum fuisse hominem Catonem dicimus, & quod summa etiam in eo inesset ueritas Sibyllas quoque ueras, & uates etiam, atq; haruspices ueros. Hæc uero à nobis eo consilio dicta sunt, quo distinctius intellegatur quæ nam res ipsæ sint, & quales. Tertia quoq; quædã uirtus (si Aristoteli credimus) in eadem hac uersatur materia, quæ amicitia ab illo dicitur, de qua quoniam his in libris dicendum nihil decreuimus, de duabus his uirtutibus, & Facetitate, et Veritate tantum differemus, ac primo quidem de Veritate, deq; oppositis ei uicijs.

De Adulatoribus.

Admodum autem ueritati aduersatur lucri studium, atq; habendi cupiditas, itaque huiusmodi hominum una est cura, totiq; in eo ipsi sunt, quo adulando rei suæ consulant familiari, & quasi uerborum mercaturam faciant, oratione ubiq; utuntur secunda & blanda, hocq; sibi uitæ genus delegerunt ad ampliãdam rem domesticam. Periculosa sanè ac maxime pestilens hominum consuetudo ac familiaritas, quorũ quia primatum uirorũ, principumq;, ac regum præcipue, plenæ sunt aulæ, inde Adulatores dicti, qui dum placere & gratificari tantum student, ueritati apud dominos aures obstrudunt, atq; ad illorum uultum, libidinemq; seruilem in modũ omnia loquuntur. nam et δοῦλος Græce seruus est. ijdem alio sunt nomine Assentatores ab assentiendo dicti, quod eorum cogitationes atq; consilia in id solum intendant, id ipsi tantum agant, sibi ipsis ut prosint, secuti Terentianum illud, Ais aio, negas nego. Quibus hominibus, quod plerunq; solis, qui res moderantur publicas, suas patefaciunt aures, hinc & uidemus, & audimus, et legimus eorũ res frequentissime in præceps rapi, turbariq; ac misceri repente principatus ac regna. Quæ res nostris quoq; temporibus clariores sunt, q̃ ut exẽplis indigeant. Huius autẽ generis hominũ plures quidem sunt species, nesciã tamen sint ne omnes adulatorum in numero habendi. Quando (ut Aristoteles queri etiã uidetur) singulis siue uirtutibus, siue uitijs certa neutiq;, propriaq; insunt nomina. Itaq; & lucri, et compendiorum tantum gratia adulantur non pauci, quidam captandæ solum auræ, ac fauoris in populo, atq; inter ciues, alij quod ita à natura comparati sint, usuq; etiam confirmati, ut ipsa tan

tum blanditione capiantur, eaq; auicularum in modũ sese oblectent, quam uel maximam etiam uoluptatem, uel solam potius statuant.

De Captatoribus.

Eorum igitur qui pecuniariũ secunda ex oratiõe sibi quæstum constituerint, duplex cum sit genus, & illorũ qui tum Captatores dicuntur, in quibus late quidẽ regnat ambitio & leuitas, tum qui Adulatores cõmuni tamen nomine uocitantur. Captatorũ quidẽ ipsorũ studium est, non dictis modo, sed conferendis muneribus captare animos ac uoluntates illorũ præsertim quibus aut certi minime sint hæredes, aut eorum eijciendorũ ex hæreditate spes adest. Quod genus late diffunditur, nõ maximis in hiantiã modo fortunis, uerũ patrimonijs etiã minimis. Dicti igitur à captando, quo in uerbo et fraus inest, & maius etiam habendi studiũ. Quippe cũ ipsi non uerbis modo, uerũ etiam donis, conuiuijs'q; grassentur, aucupũ morẽ, atq; allectationes secuti, eorũ enim captiosa sunt oĩo obsequia, fraudis'q; atq; insidiarũ plena. Aduersum quos merito et dẽtes acuunt, et gladios stringunt Satyrarũ scriptores. Sed nobis hac satis in parte fuerit uitij genus innuisse. Quantopere autẽ ueritati horũ obsit hominũ oratio atq; obsequiũ, abunde quidem manifestum est. Sũt quoq; quos ambitio honoris'q; studiũ, minime uero pecuniæ cupiditas trahat ad assentandũ, leuitate quadã tantum duce, dum uideri q̃ esse ipsi malunt, sola'q; populari et capiuntur, & pascũtur aura, qua in re se'q; sua'sq; res omnis uidentur collocasse, plebeiorum etiam ad hominum opinionem omnia referentes. Ac superius q̃dẽ uitium Captatio, et qui ea utuntur Captatores. huius autẽ propriũ, ac maxime suũ nomen existit nullũ. leuitas tamen est, ac uanitas sanè maxima, & homines ipsi perquam leues, ac uani, dũ umbra capiũtur rerum, magis q̃ rebus ipsis. Atq; hoc quidẽ uitium potest ratione alia ad Ambitionem referri, qua de re alibi quoq; à nobis dictũ est. Quod si Captationem ipsam duplicẽ fecerimus, et eorũ quos cupiditas habẽdi trahit, et quos popularis auræ atq; ambitionis studiũ, ut alteri pecuniæ, alteri popularis auræ Captatores dicantur, fortasse non male distribuisse iudicabimur, quando etiã sunt qui inter loquẽdum differendũq; etiam uerba captent, qui quidem ipsi dicantur Captiosi, & fraus ipsa Captiuncula. Verũ ad Adulatores redeamus, quiq; ijdẽ Assentatores sunt, neq; alio quidẽ nomine inter se discernũtur. Cæterũ studiũ id eorũ est, ex adulationibus rẽ facere, ac peculiũ. ut dũ uerbis obsequuntur, dum oratione secunda primatum, ac principum res consilia'q; extollunt, dum eorũ admirantur facta, dicta, consilia, mores,

gestus, & (ut Iuuenalis inquit) ubi
» Trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo,
Domesticam rem adaugeant, amplificentq; patrimonium. Quorum hominum studijs, dominantium (ut dixi) aures plerunq; oppletæ sunt, dum ijs sese regendos permittunt. Quo efficitur ut ueritas uideri possit eorum inimica, præsertim ubi qui rerum potiuntur, adolescentes ipsi fuerint uel ætate annisq;, uel etiam moribus, ac rerum usu. Horum igitur omnium studium est atq; propositum, adulando atq; in gratiam loquendo rebus ipsos suis consulere, hisq; artibus atq; consilijs rei familiari prospicere. Quod dum consequantur, non modo nulla è parte molesti esse uolunt, uerum singula laudant, dictisq; & factis quibusq; assurgunt, quin quæ maxime fortasse ridenda sint, & admirantur illa, & in cœlum ferunt, uerbis quoq; ipsis, oris gestum adiungentes, & corporis totius habitum. Regem aliquem capies, inquit ille apud Iuuenalem, ad magni illius rhombi aspectum, aut de temone Britanno
» Excidet Aruiragus. peregrina est bellua. cernis
» Erectas in terga sudes?-
Itaq; quid in maioribus illi ipsi Assentatores facturi essent negotijs consultationibusq;, conijcere ex his facile quidē possumus. His accedit maxime uanum genus hominum, quorum studium tantum est loquēdi in aliorum gratiam, atq; ad illorum ipsorum uultum atq; opinionem, orationem suam, seq; ipsos componere, ijsdemq; in omnibus morem gerere. seq;, suaq; dicta, sermonesq; ad hæc ipsa tantum instituere. Quorum quidem consilium Terentianum quoq; est illud, & meta quasi quædam, ad quam se ipsos instruunt, Obsequiū amicos, ueritas odiū parit. Quod dictum quanquā latius fortasse patet tamen maxime ad eos referēdū, q uoluptatem solā suis è dictis quæritant, quā ad adipiscendā se se omni arte instituunt, ac dicendi studio. solumq; eorū est propositum, dominantibus ut placeant, & quibus cū obuersantur, eos delectent, ijs blandiantur, et illorū, arte ut omni aures demulceāt, uoluptatis gratia, demū omnia. Hicq; illorū ē finis, ac propositū.

De Lasciuis.

Qua in re quoniam nec modum, nec mensuram tenent ullam, lasciuire eos necesse est, ut qui neq; in iocando, neq; in oblectando delectum habeant, aut rationem aliquam, uerum qui & uerbis, & iocis, & fabellis referendis, nimium ipsi serpant, atque inter iocandum explicandumq; dilabantur alio atq; alio. Quo circa Lasciui sunt uocati, & uitiū ipsum Lasciuia, nimis enim profundunt sese ad ioca dictaq;

omnia, ad quæ dilapsi, nec lasciuiunt tantum, nimijq; in illis sunt, uerum petulantes, osceni, & (quod turpissimum est) impuri. Minime autem uerebimur, hoc ipsum genus partiri eorum qui ad uoluptatem tantum, atq; in gratiam loquantur, comparandæ tantum uoluptatis causa. Sunt enim qui ipsi quidē minime lasciuiant, seruentq; in iocando delectum atq; in dicendo, uerū in hoc à recto atq; honesto abeūt, quod uoluptatem sibi proposuerunt, uile sane pretium, pro quo tamen assequendo & ueritati obstant, & ab hominis recedunt dignitate. Siquidem quo instrumento, quaq; naturæ dote præditi sumus cum excellentia animalium cæterorum, eo ipsi pro re maxime sordida, belluarumq; magis quàm hominū propria abutuntur. Neq; enim finis eorum est in laborum requiete, molestiarumq; relaxatione, ut iucunditatem aut quærant, aut afferant, quo & tranquillent audientitium animos ac suos, & refocillent eos à præteritis defatigationibus, uiresq; renouent ad easdem rursus obeundas, uerum quod à natura atque ab habitu ita quidem instituti ad ea ipsa sunt, ut neq; ab desidia ignauiaq; longius absint. Atque hæc quidem uidentur esse Assentatorum genera.

De Insulsis, & Profusis.

Sunt ex hoc etiam numero, qui dum oblectare student, maxime aures audientium offendant, tum insulse loquendo, tum profundendo & res & uerba, nec delectu habito, nec modo aut mensura adhibitis. Itaq; tædij genus hoc ac molestiarum ueteres dicebant hominem occidere, cum eiusmodi homines in cunctis & multi essent, & insulsi, ineptiq;, ac cum primis importuni, ut non inconuenienter à ranarum similitudine sint qui eos Coaxatores uocitent, quod coaxare eos quàm loqui magis existiment, ut qui non modo non mulceant aures, uerum ad impatientiam usq; obtundant.

De Contentiosis.

Adulatorum studijs maxime aduersi uidentur contentiosi quidā homines, quorum ea est natura, id etiam studium, ut non modo non loquantur in aliorum gratiam, neq; gratificentur ipsi alijs, sed contra ut aduersentur et ubiq;, & in qbusq;, neminemq; uereantur in dicendo offendere, quin & serant ipsi sponte studioseq; contentiones, & ab alijs satas accipiant, lætenturq; ijs & fouendis & exercendis, qui-

bus etiam

quibus etiam uitæ ipſa uel moleſta futura ſit, ni in cunctis uel dentes
imprimant, uel infigant aculeos, ut ad contentiones, diſſidia, rixaſq;,
atq; altercationes nati prorſus uideantur. Et quam alij à natura con=
ceſſam elocutionem exercent in conſeruanda hominum ſocietate, in cõ
ciliãdis amicitijs, in ſolandis demulcendiſq; moleſtijs, laboribus, ac
mœroribus aliorum, ea ipſi in aduerſum utantur, uel abutantur potius
ad odia contrahenda, liteſq; excitandas, ac ſerenda diſcordiarum ſe
mina. Hos et Cõtentioſos uocauere, et Rixatores, et alio atq; alio noĩe.
Vitium autem & ſi eſt fortaſſe innominatum. quid tamen prohibeat
Rixationem appellare, ac Contentioſitatem, ut contentionem rerum eẽ
dicamus, ac Rixam, uitium uero ipſum, peruerſumq; illũ habitum tũ
Rixationis appellatione, tum Contentioſitatis deſignemus. Odioſum ſa
nè genus hominum, & muſcarum maxime ſimile, ut nati hi omnino
uideantur ad turbas, uexationes, inquietudinem, uitæq; ad uniuerſæ
turbationẽ, ac tædia. Quod Plautus indicauit in ſerui illius perſona,
Decretum eſt mihi quaſi umbra quoquo ibis tu, te perſequi. Quin æde
pol ſi in crucem uis pergere, ſequi decretum eſt. Horum duplex mihi
uidetur eſſe partitio, eorum una, qui id ſtudent, ut commoda, utilita=
temq; inde ſibi comparent, illorum altera, qui uoluptatis tantum gra
tia, utq; inuidentiſſime ſuæ naturæ, ac peruerſiſſimis cogitationibus
morem gerant. Eorum autem utrum genus longe ſit peruerſius, iudi-
catu difficile uideri iure quidem poteſt, utrunq; tamen peruerſiſſimũ.
Montium adoleſcens ipſe noui Branchatium, qui generis ac familiæ
contempta, uel repudiata potius dignitate, totum litibus ſe ſe tradide=
rit, ac ſatis ſcio lites quaſdam ab actoribus deſtitutas, ſiue ob inopiam
rei familiaris ad eas proſequendas, ſeu quod male eſſent cœptæ, pre-
tio mercatum, quo (uti conuenerat) exoluto, proſecutum ſumptibus
ſuis litigia, in hocq; uitam ſuam egiſſe omnem. Ex eadem item familia
alterum mirifice controuerſijs aſſuetum, quin omnino illis addictũ,
ut cum aliquãdo ab Antonio Panhormita, iucundiſſimo homine per
riſum interrogaretur, quo nam modo cũ cauſis? reſponderit, bene ſibĩ
atq; è ſentẽtia in oĩbus ſucceſſiſſe, eaſdemq; in rẽ ſuam terminatas,
duas tñ aut tris in lõgũ à ſe ſe ea ratione protrahi, ꝙ aliter ocio im-
marceſceret, illaſq; eo à ſe ſtudio reſeruatas, ut haberet in quo oble-
ctaretur, paſceretq; animũ. Vide hoẽs ingeniũ, q litigia, cõtrouerſiaſq;
ſibi uoluptatẽ ſtatuerit? Sed nobis ac in parte loquẽdũ neutiq; ẽ iudi=
cialibus de cõtentionibus, tatũ ſtudia uolumus contẽtioſorũ quorun-
dam hoium oſtẽdere. Itaq; hos ipſos Litigioſos, ſeu Litigatorios potius
qs uocauerit, et Cõtrouerſos. Nã Litigioſas res proprie magis dicamus.

Contentiosos autem illos uolumus, qui maxime aduersentur adulatoribus, & quantum hi loquuntur in omnium gratiam, tantum illi nemini parcant, studeantq; prorsus offendere, quos siquis Inciuiles uocauerit, ne ille mea sententia, uera ab appellatione recesserit. Quãdo autem res ipsa itellegitur, nolumus de uerbo nimio plus eẽ soliciti. Laurentius Vallensis in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticisq; ita & scripsit, & disputare est solitus, ut minime uideretur uelle præcipere, nec appareret tam contendere illum de ueritate, proprietateq;, aut docere uelle, quàm maledicere, obiectareq; uetustis scriptoribus, atq; obloqui, Itaq; Ciceronem uellicabat, Aristotelem carpebat, Virgilio subsannabat, Quippe qui própalam sit asseuerare ausus, siue Pindarus quispiã author is nomine suo fuerit, siue alio (de hoc enim ambigitur) q Homericæ libros omnis Iliados non multos ad modum in uersus contractos latine conuertit, qui própalam sit inquam asseuerare ausus, Pindarum eum Virgilio anteferendum. Est autem carminis illius principium.

" Iram pande mihi Pelidæ diua superbi,
" Tristia qui miseris iniecit funera Graijs.

Tali igitur iudicio hominem, ingenioq; tam siue retrouerso, siue præpostero (quippe qui maximis quibusq; ringeret authoribus, uni tantũ Epicuro assurgeret) q̃ ob cõmunẽ utilitatẽ contendere, aut cognitionem dicas, atq; altercari? qui nec aliud uelit, curet, studeat, quàm ut detrahat quibus minime par est, ac maledicat? Quando qui cum Laurentio familiarius uixerunt, affirmant illum eo nequaquam consilio in Grammaticis scripsisse, ac Dialecticis, quo doceret, disciplinasq; ab ignoratione uindicaret, atq; à sorde, uerum ut malediceret, obloquendoq; detraheret de fama atq; authoritate rerum scriptoribus, tum illis qui exemplo sunt ad scribendum alijs, propter antiquitatẽ, maiestatemq; dicendi, ac præcipiendi, tum illis ipsis, qui tunc uiuerent, qui ne dubitauerit ipse q̃dẽ dicere, profiteriq; palàm, habere se quoq; in Christum spicula. Sed nobis propositũ minime est detrahendi homini maxime studioso, quem senem adolescens ipse nouerim, cumq; è Roma se Neapolim contulisset ad Alphõsum Regem, et inuiserim ẽt reuerenter pro illius, meaq; ætate, et plures post congressiones maxime familiares ita ab, eo discesserim, uti ex eo de me nisi pleno, atq; amico ore locutus fuerit nunquam. Sunt ex his igitur quos non tã contentiosos dicas, quàm insectatores cũ singulorum, tum etiam humani generis, ꝙ de Timone traditur, neq; ueritatis ipsius cultu et gratia, sed quod ita q̃dẽ sint à natura ĩstituti, atq; ab assuetudine cõfirmati, et moribus.

DE Verbosis.

P ræter hos in utroq; genere quos peccare dicimus, delabiq́; in excessum, siue adulãdo, siue cõtendendo, rixandoq́;, sunt q Verbosi dicũtur, uitiumq́; ipsum uerbositas. Hi dũ placere studẽt, et grati esse, minime qdẽ aut placent, aut uoluptatẽ afferunt. quin molestiam potius, ac tædiũ pariũt defatigationis, ac satietatis plenũ, decepti iudicio, rerumq́; simul, ac uerborum aceruationibus, ut nescias, ex eo quod aures uel offendunt, uel excitiãt, sint ne Cõtentiosis potius, quàm Insulsis annumerãdi. Verũ Contentiosi id agunt, ut nemini parcant, parumq́; omnino offensitare alios aut curẽt, aut caueant. Verbosis uero propositũ est, ac consilium oblectandi, modũ tamen dum minime retinent, dum delectum adhibẽt nullũ, in castra trãseũt aduersariorũ, apparentq́; trãsfugis similiores. Itaq; Verbosi & initio, et inter dicendum subinde delectant, nec odio ipsi habẽtur, sed recusantur eorũ sermones, magis q̃ fugitãtur. At Cõtentiosi ubiq; offendũt, et odio eos boni oẽs prosequũtur, ab illisq́; abhorrẽt audiundis, quos et maledictis quoq; isectãtur.

De Loquacibus.

S unt qui uitiũ hoc loquacitatẽ dici malint, & illos ipsos Loquaces, in quo non est, cur eos impediamus. Tamẽ Loquaces nos à Verbosis differe hoc ipso uolumus, quod Verbosi uersentur in ijs quæ iucũditatem præ se ferãt, inq; illis ipsis in qbus locũ habeat Facetudo, et Comitas. At Loquaces eos eẽ contendimus, quorũ studiũ minime sit quale ẽ aut Facetorũ, Vrbanorũq;, aut Cõtẽtiosorũ, ac molestorũ hominũ, qppe cũ & dicendi infinitate capiãtur, & dum loquantur, dumq́; exultẽt cãpo, equisq́; (ut dici solet) ac uiris, aliud nihil aut quærãt, aut curent, aut sibi propositũ habeãt, qbus quidẽ seruãdis, ĩ diuersa etiam uitia incurrant.

De Nugatoribus.

H is ipsis haud multum etiam uidentur differre Nugatores, quorum narrationes inopes quidem rerum sint, nugæq́; (ut Horatius inquit) canoræ. Cœterum uanitate illi uerborum, atq; aggestione magis peccãt, hi rerum. Vterq; tamen & confunduntur in dicendo, et nimij sunt, nullũ cũ delectum adhibeant, indeq́; maxime etiã molesti uterq;, quãdo uterq; inepti sunt, maximeq́; incõsyderati. Horũ haud multũ dissimiles sunt qui Garruli dicũtur, quorũ sermo et molestus ẽ, et nimius. Obtundũt autem tũ uanitate rerum, tum inanitate uerborum, quibus in omnibus et nimij sunt, & iportuni, ualdeq́; indecentes. Vitiũ autẽ ipsum Garrulitas, ab auibus ductum, neq; enim cessant, & in ijs-

dem assiduo uersantur uel potius interstrepitant. Verũ attigisse hæc satis fortasse hoc in loco fuerit, cum ea siue uitia, siue uirtutes minime sint aut ad Veritatem, de qua dicturi sumus, aut ad Comitatem, Vrbanitatem'ue referenda. Loquaces enim uideri magis possunt Taciturnis aduersari, Taciturnitas'q; ipsa Loquacitati. De quibus dicere his in libris minime propositum est nostrum.

De Taciturnis.

I llud tamen non prætermittemus. Taciturnitatem mediocritatem esse quandam, Loquacitatem excessum. Parte uero ex altera, qui tacẽdo excedant, eos esse sine nomine, neq; enim aut ubi, aut quantum, aut quomodo, aut quid oporteat, dum tamen taceant, pensi quicquam habent, & siquid quandoq;, musitant potius quàm loquuntur. Sed musitatio ex ore, innutuq; constat, ac superalijs, non minus quàm uerbis, & plerunq; occulta est, gignitur'q; interdum è metu, aut reuerentia, nonnunquam pudore, aut stupore, non raro simulatione, ut eorũ aduersarij uideãtur, qui obganniunt, potuis quàm qui loquaces sunt. Sed quærere hæc ipsa distinctius hoc (ut dictum est) loco, nostri non est propositi. Quam ob rẽ qui mediocritatem hac ipsa in re de qua disputatio est, sequantur, quiq; ipsi sint, perquiramus. Cum enim Contentiosi, atq; Assentatores è regione penè sint constituendi, atq; ex aduerso collocari debeant, medium quidem inter hos ipsos perquirendum est. Etsi nomen mediocritatis eius minime est proditum, & Contentiositatem, & Adulationem extrema uerius dicamus, quàm opposita, quippe quæ à medio recedãt. Itaq; mediocritas ipsa quærenda nobis est. Aristoteles uero quanquam innominatam Græce tradat, putat tamen illam & retinere quæ utrinq; oporteat, ac seruare, & ratione eadem reijcere quæ, & ubi, & quomoddo opus fuerit, atq; omnino repellere, ut etiam existimet hanc ipsam mediocritatem amicitiæ maxime esse similem. Qua in parte si aliquantum fortasse immorabimur, ueritatis, ac rei ipsius indagandæ gratia, sat confidimus, te (quod humanitatis est tuæ proprium) uitio id minime esse daturum.

De Delectu, qui, & qualis sit.

E t Poëtæ, & scriptores rerum tum humanarum, tum naturæ uoces rebus ipsis adijciunt, unde dictæ sunt adiectiuæ, quibus proprietates, appellationes'q; & declarant explicant'q;, & etiam finiunt. Nam hominem cum dicunt animalem esse, & rationalem et mortalem, hominem ipsum finiunt, & quæ substantia sit eius declarant. Quid cum

Poëtæ & placidam dicunt quietem, & arma horrentia, & fertilem Ausoniam, non ne & armorum, & quietis, & agrorum qualitatẽ indicant? & cum humilem Italiam, & campos iacentes, & colles supinos, an non situm innuunt, ac posituram? & ubi ingentis artus, mariáq; patentia, quid nisi amplitudinem signare uolunt, ac magnitudinem, & membrorum, & pelagi? Eadem ratione qui de moribus scribunt, oportet ut uocibus adiectis actiones nostras, quæ mores, ac uirtutes constituũt, terminent. Terminantur autẽ actiones ipsæ, perficiũturq;, si qui agunt, & sicuti oportet, & quando oportet, quantumq; ẽt oportet agant, modumq; in cunctis retineãt, ne'ue aut nimia sit eorum opera, aut remissior, minimaq;, utq; & loci meminerint, et personarum, ac rerum etiam ipsarum. Quæ qui seruant, hi dicũtur agẽdis rebus delectum adhibere. Delectu enim illa continentur omnia, quibus actiones ipsæ, uirtutesq; perficiuntur. Etenim quemadmodum consultationem ipsam sequitur electio, confirmatumq; consiliũ, ac propositum, sic postquam eligimus incipere, suscepimusq; agendum aliqd, sequitur è uestigio delectus, hoc est ut deligamus inter ea quæ ad agendum offeruntur, & tempus quod sit opportunum actioni, susceptoq; negotio, & locum idoneum, & uiam, quæ tenenda sit, cum plures offerri soleant. Adhæc multi cum indigeant, ut de liberalitate exemplum proponamus, dilegendũ est quibus potissimũ daturi simus. Cũq; non uniuersa sit pecunia eroganda, ne fons ipse liberalitatis exareat, dandoq; alijs plurima, liberis desimus, parẽtibus, uxori, nepotibusq;, quantum etiam ijs ipsis quibus daturi sumus, singillatim sit erogandũ. Quo in delectu præcipue etiam uidendũ est, rationem uti habeamus & negotij, & eius ipsius, qui cum habenda res est, & urbis, & ciuilium tum legum, tum consuetudinũ, ac propriæ præsertim personæ, quæq; alia recta ipsa ratio tenenda monstrauerit, ne in aliquo agentes peccemus. Neq; enim tantummodo à nobis peccabitur, si aut nimij erimus, aut astrictiores in erogando (ut in quo cœpimus exemplo persistamus) uerum etiam si liberales in eos fuerimus qui minime digni sunt liberalitate, aut si quibus conferenda præsens est pecunia, quod domestica, extremaq; laborent egestate, equestri eos prerogatiua exornauerimus, aut si quibus opus est opera, eos uerbis iuuerimus, proseque murq; consilijs, ac monitis. Igitur hæc ipsa mediocritas de qua nũc disserimus, uersatur potissimum in habendo delectu, ne aut ad nimiam declinemus uerborum gratificationem, quæ leuis sit, ac uana, ubi forte opus esset commonitione, oporteretq; uerbis grauioribus, maximeq; accommodatis retrahere amicum, uel acrius etiam obiurgare, aut ubi

indulgentius fortasse agendum esset, ut in nuptijs, atq; in publicis ludis, afferre in mensam, atq; ad choreas supercilium, & publicam laetitiam uelle aut sermone minus suaui, aut fronte obducta contristare, hilaritatemq; inficere iurgijs, atq; contentionibus. Quid (inquit ille) in theatrum Cato seuere uenisti? Intellegebat enim alium hilaritudinis locũ esse debere, alium seueritatis.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Diuersa omnino haec est persona, monet enim omissa rerum innaniũ, picturaeq; inspectione, rei maxime seriae quae instaret, preuertendũ eẽ. Quẽ locum animaduertẽs Cicero, Turpe esse dixit, ualdeq; uitiosum in re seria conuiuio dignũ, aut dedicatum aliquem inferre sermonẽ.

Ad consequendam mediocritatem opus esse delectu.

Qui igitur mediocritati huic daturus est operam, ne aut in gratiam loquens recedat à medio, profundatq; se se in assentationẽ, atq; obsequium, aut dũ seria sequitur, delabatur in aduersum, acerbasq; ad contentiones, modo refragatoris personã, modo rixatoris induens, huic delectus cũ primis habendus est, & rerum, & temporũ, et locorum, & personarum, quo uirtutem maxime laudabilem ac publice, priuatimq; & apud ciues, peregrinosq; aeque spectatam consequatur. Ex hoc itaq; Aristoteles mediocritatem eã amicitiae per quàm similẽ esse putat, quando qui eiusmodi uirtute est praeditus, et ciues amplectatur, & exteros, & aequales, atq; inferiores, & quibus cum uiuendi consuetudinem frequentat, & quibus nulla prorsus necessitudine est coniunctus, quin eodẽ quoq; erga eos afficietur studio, q in honoribus cõstituti sunt, ac magistratibus, primumq; in populis locum abtinent.

De mensura seruanda in gratificando, & commonẽdo.

Hoc autem tale est, ut cũ opus fuerit, gratum se se illis exhibeat in sermonibus, conuersationibusq;, ĩ eisdemq; appellandis, atq; inuisendis, ĩ salutationibus, deductionibus, reductionibusq;, atq; assurrectiõibus, deniq; ut omni è parte gratus esse illis studeat, & (quantum par est) in illorũ gratiam ac commomẽdationem loqui, ac modo res eorũ laudare, proq; loco, ac tempore commendare dicta, probare, consilia, sententias, actiones, studia, opera, uitae genus efferre, eaq; cuncta cum delectu, ac ratione. Contra haec, ubi labi aliquẽ uiderit, peccare decipi, parũ prudẽter rebus suis consulere, aut nimiũ sibi ipsi tribuere, discenẽtẽ ab honesto, delabẽtemq; ad ostentationẽ, ac uana consilia, captantemq; popularis auras, et (ut Seuerus Alexãder usurpabat) uẽdẽtẽ fumos et loco suo, et tẽpore, et uerbis maxime accõmodatis cõmonefa=

riet illũ, etiam authore Christo Optimo Maximo, studebitq́; ab ĩceptis, aut iutilibus, aut parum honestis retrahere, ijs uerbis, exẽplis, cõsilijs, ut monitoris recti, uiri boni, ciuis beneuolẽtis, reprehẽsoris quãdoq; lenis, blãditoris nonnunq̃ comis, cõsiliarij ubiq; prudentis, et integri, institutoris interdũ et probi, et sapiẽtis personã suscipiat. Forsitan et locus, et tempus, et res ipsa aliquando tulerit, ut increpatoris etiã acerbi, aut inclamatoris agrestis, non ut molestiam afferat, uerum ut ubi retinere suauioribus illum uerbis neq̃t, aut dictis, exẽplisq́;, aut probabilibus, suasorijsq́; rationibus, deterreat inclamando austerius, proponendo etiam turpitudinem, infamiã, periculaq́; tum rerũ, honorisq́;, tũ uitæ quoq; ipsius. Videamus quibus dictis Annibalẽ etiã efferatis moribus ducem Maharbal uerberet, Nimirũ ó Annibal non omnia tibi dij dedere, uincere scis, uictoria uti nescis. Forsan aũt hæc ipsa increpatio, acerbitasq́; hunc ipsum de quo disputamus minime decuerit, nihilominus eiusmodi esse debet, ut dũ prodesse possit, dum iuuare dictis suis, atq; cõmonitionibus, sibi proponat, potius recte admonendo, prudenterq́; consulendo in molestiã esse aliquam incidendũ, quàm tacẽdo, aut loquendo in gratiã, assentandoq́;, in turpitudinem, honorisq́; iacturã ac famæ, pati amicũ, familiarẽ, ciuẽ, hospitẽ, addã et peregrinũ incurrere. Itaq; Terentianũ illud dictum, Nihil humani à me alienum puto, nequaq̃ uidetur ab hoc ipso quẽ adumbramus, alienũ. Est apud Sallustiũ cõmonefaciẽs Iugurtã Micipsa Rex grauissima hac, uel paterna potius oratione, Paruum te Iugurta amisso patre, sine spe, sine opibus, in meũ regnũ accepi, existimans non minus me tibi, q̃ liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore. Neq; ea spes falsum me habuit. Nã ut alia magna et egregia tua facta omittã, nouissime rediẽs Numãtia, meq;, regnũq́; meũ gloria honorauisti, túq;a uirtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti. In Hispania nomẽ familiæ nostræ renouatũ est. Postremo (ꝙ difficillimũ inter mortales ẽ) gloria inuidiã uicisti. Nũc quoniã mihi natura finẽ uitæ facit, per hãc dexteram, per regni fidẽ moneo, obtestorq́; te, ut hos q tibi genere propiqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiũgere, q̃ sanguine coniũctos retinere. Nõ exercitus, neq; thesauri præsidia regni sũt, uerũ amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio et fide parãtur. Quis aũt amicior q̃ frater fratri? aut quẽ alienũ fidũ inuenias, si tuis hostis fueris? Eqdẽ ego uobis regnũ trado firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillũ. Nã cõcordia paruæ res crescũt, discordia maximæ dilabũtur. Cæterũ te his Iugurta q ætate & sapientia prior es, ne aliter qd eueniat, prouidere decet. Nã in oĩ certamine, q opulẽtior ẽ,

etiam si accipit iniuriam, quod plus potest, facere uidetur. Vos autē Ad
herbal & Hiempsal colite et obseruate talem hunc uirū. Imitamini
uirtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse uidear, quàm
genuisse. Quales igitur admonitiones in eiusmodi rebus ac negotijs
esse debeant, locus hic Sallustij nos docet, Nec minus docet apud Liuiū
Scipio in maxime amica & sapienti illa ad Masinissam allocutione,
qua nihil grauius, nihil amitius, ac (si rem ipsam introspicias) nihil
accommodatius, ne'ue aliqua in parte dignitati aut suæ, aut Masinis-
sæ deesset, post Sophronisbæ interitum, nunc solatur illum, nūc leuiter
castigat, post etiam aduocata concione Regem appellat, eximijsq; orna-
tum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, scipione ebur-
neo, toga item picta, palmataq; tunica donat, additq; & uerbis hono
rem. Quamuis autem ut decoro, reiq; præsertim ipsi satisfiat, seue-
rior nonnunquam assumenda uideatur persona. Quid tamen Comē
deceat in commonefaciēdo, Plautus docet, in Philoxeni illius persona,
Eia Lyde, leniter qui sæuiunt, sapiunt magis, minus mirandum est,
illec ætas si quid illorum facit, quàm si non faciat. feci ego istec itidem
in adolescentia. Igitur quoniam hic ipse uir circa uoluptates uersatur,
ac molestias, quæ inter conuersandum usu ueniunt, illud omnino præ
stabit, hinc molestus ne sit, illinc ut oblectet, probetq; probanda mode
ste & grauiter pro re, ac loco, sitq; in alloquendo gratus atq; periucun
dus, nō tamen ut aut omnem refugiat molestiæ respectum, uereaturq;
ne recte monendo, ac suadendo honesta, parum forte placeat, aut un-
decunq; gratiam, ut inire uelit, assentando impudenter, quin eum se
se geret, utrunq; ut referat tum ad honestatem, tum ad utilitatem, quæ
tn̄ honestate nō sit uacua. Et quod meretriculæ seruare audēt in re ipudi
ca, nō seruabit in re maxime honesta, et utili uir qui sibi proposuit, ubiq;
gratus esse, seq; in oī uita, hominumq; consuetudine mediocritatem uel
le sequi, tum in cōmendando, ac loquendo in gratiā, tū in cōtinēdo ab
ijs, quæ parū laudanda uideātur, aut in ijs improbandis retinēdo mo
dum ac mensuram? Nam quanquam eius studium est, ut sit maxime
gratus, atq; etiam utilis, negliget tamen leuiorem interdum offensiun-
culam, quæ posset ex commonefactione proficisci, dum prosit multum.
Satis nunc (inquit apud Plautum) credo soror ornatam te tibi uide
rier, sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi erit
cordolium, si quam ornatam melius forte aspexeris. Non uerita ē illa
sororem paulisper offendere, dum ei prodesset multum, ad cultum atq;
ornatum, utq; inter alias excelleret, quæ pariter quæstum facerent. No
nimus ipsi & temperantem, & mediocritatis huius studiosum homi-

nem, qui cum sermo aliquis allatus esset, in quo retineri à se modum posse diffideret, sensim è concilio se subtraheret sub aliquam honestam causam. Quoniam autem nullum hic aspernatur genus hominum, quod ita sit à natura, usuq; institutus, q̃ppe cuius studium sit gratificandi notis, ignotisq́;, summis atq; infimus, meminisse eũ oportet, aliã cum ciue, aliam cum hospite, aut peregrino rationem à se sequendam esse, cum amico, quàm cum ignoto, cum ignobili, q̃ cum eo qui sit honesto loco natus, educatusq; maxime liberaliter. Qua in re delectum eum adhibebit, ut cuiq; quantum sat est tribuat, seu in gratiam loquatur ac commendationem, seu dum commonefaciendo prosit, in molestiam ut incurrat aliquam, quanquam studium eius illud est præcipuum, gratiam ut uerbis ineat, offendat uero in conuersando neminẽ, atq; ut in illud maximum omnino studium confert, adiungitq; operam, ita ab altero præcipue cauebit, quantum tamen honestas simul, utilitasq; dictabit, Qua quidem ratione ab utroq; & assentatore, & contentioso mutuabitur sibi quantum satis est, atq; ut oportet, decet, quæq; parum decuerint, neq; honesta erunt, minimeq; conducabilia, ea pro loco ac tempore repudiabit. Et res tamen, & locus, ac tempus ipsum, nonnunquam etiam persona illud exigent, ut peregrino, quàm ciui, plebeio, quàm nobili plusculum sit aliquid tribuendum. Cauendum tamen ubiq; ne dum in gratiam alterius loqui uolumus, alterum in iram, atq; odium prouocemus.

Virtutem eam non esse Amicitiam, sed aliam quampiam sine nomine.

Virtutem uero hanc non esse Amicitiam, quamuis sit ei non parum similis, illud docet, quod amici officium est in amicum, quodq; mutuus inter amicos est amor, mutuum etiam studium, mutua utilitatum collatio, expetitioq; gratificandi, quodq; amicus est alter ego, ut omnes consentiunt. At hic ipse quem suo sine nomine esse dicimus, non mouetur in peregrinum, aduenã, summum, uel infimum ciuẽ, notũ, ignotum'ue, beneuolentiæ atq; amoris, mutuiq; ipsius gratia, sed naturali quadam commotione, quodq; ita suapte natura institutus sit, eumq; se se ipse assuescendo comparauerit, ut qui gratus esse omnibus uelit, molestus uero nulli, aut impudenter contentioseq; aduersari. quin ut assentari minime uult, recusatq; altercari, ac rixas serere, sic media inter utrunq; officia inter omnes exercere nititur, humanitatis præcipue memor, generisq; hominum studiosus, eorumq; societatis, & insiti à

natura officij. Quo fit, idem bonus ut sit uir, ciuis probus, homo hominis amicus, gratus ac iucundus & simul cunctis publicè & priuatim singulis, molestus uero nemini. quiq; in conuersationibus, uitaq; sociabili eum se se geret, ut lenibus pariter gratus sit, ac seueris, iucundis æque ac tristibus, mansuetis item, ac duriusculis, præstabitq; aduersum singulos id quod Horatius præcipit,

" Sed pater ut gnatis, sic nos debemus amicis,
" Siquod inest uitium, non fastidire. strabonem
" Appellat pœtum blandus pater.

Quæ ad habitum hunc innominatum pertineant.

Omnino igitur huiusmodi habitu qui est præditus, ita loquetur in gratiam, ut in impudentiam aliquam ullo modo incidat, aut parum modestam commendationem ac laudem. Quod si quandoq; deflectendum sit à linea, illud seruabit, quod ij q rapida, ac maiora tranant flumina, in obliquum trahi se tantisper ut sinant, dum ea ratione ad alteram ferantur ripam, cum uelle aduersum ire contentius, sit non modo difficile, uerum etiam temerarium, longeq; periculosissimum. de quo idem illud iure dici poterit, quod de Empedocle ridet Horatius, Rursusq; ita aliquando aduersus contendet, eaq; modestia & lenitate aut refragabitur, aut parum aliquid probabit, ut exemplo illorum qui dirigere uirgulam, aut flagellũ incuruum uolunt, et sensim, & molliter retorquendo dirigere illud studeant, ne maiorem dũ afferre uim uolunt, flagellum ipsum frangant. Quid enim imprudentius? quàm dum studes benefacere, id agas, ut obsis. Aduersatio enim immodesta, & parum prudens, iram nunc occultam parit, atq; indignationem, nunc manifestum odium, sæpe etiam repentinum excitat impetum, Id quod inciuilis, et parum experti est hominis, quod quantopere sit euitandum, Antisthenis factum docet. Illud itaq; præcipue Iuuenalis attendendum est dictum,

" Venit & Crispi iucunda senectus,
" Cuius erant mores, qualis facundia, mite
" Ingenium, maria ac terras, populosq; regenti,
" Quis comes utilior, si clade, & peste sub illa
" Sæuitiam damnare, & honestum ferre liceret
" Consilium. Sed quid uiolentius aure tyranni?
" Cum quo de pluuijs, aut æstibus, aut nimboso,
" Vere locuturi fatum pendebat amici.

" Ille igitur nunquam direxit brachia contra Torrentem.

Itaq; hic ipse Crispus maximus & ciuis, & senator in ipso aduersandi, atq; in gratiam loquendi genere sic quidem continuit, ut à rapiditate fluminis illius trahi se in obliquum pro re, ac tempore permiserit, quod seruans sæuissimi monstri rabiem etsi difficulter præterijt tamen. Sed desinamus iam in hac ipsa mediocritate indaginda uberiores uelle uideri, aut acutiores. Cum & in gratificando, & in obsequendo, aut commonefaciendo, ac tum modeste aduersando, tum obsequendo pudenter, satis illud fuerit, delectus si adhibeatur, de quo abūde admodum dictum est. Vides iam quæ mediocritas hæc ipsa sit, et qualis, quodq; apud Græcos est ignominis, ut minus mirum uideri possit, si sua apud Latinos appellatione careat, quando qui de ijs Latine scripserit, perscrutando ea, & quæ, ac quales uirtutes ipsæ sint indagando, Aristoteleo præsertim more, aut nullus in hunc usq; diem extitit, aut eius scripta ad nostra hæc tempora parum peruenere.

De Comitate.

Cæterum recte inquirēti, ac pscrutanti acutius, quæ uirtutis huius partes sint ac munera apparebit fortasse eam esse Comitatem, de qua non pauca haud multo ante dicta sunt à nobis, quando Comitas ipsa communis est ad omnes, non ad paucos, ad exteros, ignotosq;, non tantum ad ciues, et cognitos, ac familiares, neq; modo ad æquales, atq; eiusdem ordinis, uerum ad ignobiles, atq; in excelso gradu constitutos, aduersaturq; in uerbis, ac collocutionibus, studetq; oblectare, atq; in gratiam loqui, minimeq; molestiam afferre, neq; ab honesto recedit, atq; utili. Liuius quoq; (alios ut prætercam scriptores) satis aperte pluribus in locis nobis ostendit, Comem uirum suauem esse in consuetudinibus, ac familiaritatibus & facilem admodum ac lenem, dantemq; operam, ut quibus cum familiaritatem exercet atq; consuetudinem, gratiam sibi eorum sic conciliet, ut tanquam influat in ipsorum animos. Itaq; uideamus obsecro quid hic ipse Liuius de Marco Valerio Coruino loquatur. Nō alius militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos, militum haud grauate munia obeundo. In ludo præterea militari, cum uelocitatis uiriumq; æquales certamina ineūt, comiter facilis, uincere, aut uinci uultu eodem, nec quenquam aspernari, parem qui se offerret. Agnosce facilitatem eius ad cedendum, minimeq; esse contentiosum, uultum insuper, qui indicio esse potest, quibus etiam uteretur uerbis. Adhæc & communitatem tantam illā quidē, ut dux ipse militem non aspernaretur quenquam concertatorem in iaculando, equitando, in cursu se exercendo. Præterea consyderemus eiusdem

etiam authoris uerba de Lucio Papirio Cursore. Sensit peritus dux, quæ res uictoriæ obstaret, seueritatem miscendam comitate. Atqui proprium est et Comis, et eius, cuius appellationem quærimus, reijcere à se austeritatem, retinere lenitudinem, & obsequi potius quàm repugnare, et cedere magis quàm in contentionem prorumpere aut iurgia. Animaduertamus quoq; quæ & de Volumnio idem dicit. Volumnium prouinciæ haud pœnituit. multa secunda prelia fecit. aliquot urbes hostium ui cepit, prædæ erat largitor, & benignitatem per se gratam comitate adiuuabat. hoc illud est quod paulo ante retulimus, uerbis honorem addere, quo uidelicet maiorem inde gratiam sibi à militibus compararet. Quod quidem uirtutis est huius propriũ quærere. Sed nec illud negligamus quod de Quinto Fabio tradit, inita illum cum Samnitibus pugna, uocasse ad se Maximum filium, & Marcum Valerium tribunos, nominatimq́; utrũq; pari comitate nũc laudibus, nunc promissis honerasse. Quid magis consentiens ad gratiam ineundam? quod mediocritas hæc nostra quæritat. Nam & de Marco Marcello (ut diximus) refert, accitum ad se Bancium Nolanum benigne appellasse. Cuius enim uirtutis, nisi huius, benignæ sunt appellationes? militaria ei facinora retulisse, quæ à ciuibus ob inuidiam sibi minime indicata erant. Quid accommodatius ineundã ad beneuolentiam? non posse tamen obscura esse, quæ Romanis in castris fortiter gererentur, adijsse illum & multa, & grauia pericula pro dignitate populi Romani, Cannensi in pugna non ante abstitisse prelio, q̃ propè exãguem, ruina oppressum superincidentiũ uirorũ, equorum, armorum. Et honesta, & grauia allectamenta, ad demerendam gratiam, ad contrahendam beneuolentiã ex commemoratione rerum strenue gestarum. Postq́; assurgentem illum Bancij fortitudini, rebusq́; ab eo egregie gestis, macte uirtute esto, cum dixisset, hortatũ refert, se cum inde ut esset frequentius, futurum ei apud se omnem honorem, atq; omne pretium cum dignate, atque emolumento. Credendum est his dictis & uultum, & totius corporis gestum conuenientem accessisse. Nam cum primus gestus gratiam sibi conciliat, & (quod ingeniosissimus Poëta inqt) Super oĩa uultus accessere boni. Quocirca hæc ipsa omnia cũ ad Comitatem Liuius referat, cumq́; propria sint mediocritatis huius de qua tam multa diximus, quis dubitet Comitatem eam appellare? cũ ex omni parte Comitas ea cõplectatur, ac sibi uendicet, quæ mediocritatis huius propria esse dicamus, quãdo et in gratiã loquutur, et commendat, et laudat, et hortatur, et mulcet, et monet, et amice consulit, omniaq́; cum delectu, neq; ab honestate recedit, neq; utilitai

tis eius obliuiscitur, qui cum orationem habet, & cuius inire studet gratiam, idq; hac solum ratione, ac uia. Eadem quoq; ut est summe facilis, benigna, lepida, accommodans sese omnibus, & ciuibus, & exteris, sic omni studio cauet, ne offendat, ne molesta sit, ne in contentionem incidat, altercationes, iurgia, tantum deniq; in gratiam intenta, et in eorum tum iucunditatem, tum commoda, cum quibus ipsa uersatur, non ita tamen ut refugiat molestiam aliquando subire siue aurium, siue animi, pudenter tamen, ac permodeste dum prosit, dum quod impetrare ipsa nititur, retrahat ab inhonesto, ac parum utili, aut etiam damnoso, maleq; tum dignitati, tum rei domesticae conducenti. Itaq; & moderanter, & accommodate apud Plautum agit cum domino seruus. Nũ quod tu quod te aut genere indignum sit tuo facias, aut inceptas facinus facere Phedrome? num tu pudicae cuipiam insidias locas, aut quam pudicam esse oporteat. Ita tuum conferto amorem semper si sapis ne id quod amas, populus si sciat, sit probro, semper curato ne sis intestabilis. quod amas ama testibus praesentibus. Nemo ire quenquam publica prohibet uia. Quid? quod & Comitatis, & mediocritatis huius materia, & quidam quasi campus, in quo uersentur, eadem ipsa est atq; una, collocutiones uidelicet, apppellationes, congressiones, sermones, consuetudines, conuersationes, salutationes, uisitationes, confabulationes, conuentionesq; in coenis, in nuptijs, in ludis, in rebus tum iocosis, tum ad uires refocillandas, ac repellenda taedia. Sed maluerint fortasse aliqui mediocritatem hanc innominatam iacere. Nos uero nequaquã ij sumus qui cum contentionem, ac rixationem uitium esse censeamus, uelimus hac praesertim in parte contentiosi uideri, atq; altercatores, satisq; fuerit uirtutem hanc ipsam etiam innominatam quae &, qualis sit offendisse.

De Popularitate.

Illud uero praetereundum non est, Popularitatem uocari hanc ipsam mediocritatem quosdam malle, quando Popularitas Comitatem quandã erga populares facilitatemq; prae se fert, ut uideatur uirtus esse illorũ potius, qui in alto sunt gradu constituti, quiq; aduersum inferiores se se faciles admodum gerant, exhibeantq; affabiles, quam fuisse in augusto principe traditum est. Sed ea fortasse nõ minus perspicitur in actionibus, fauore, suffragijs, quàm in oratione, ac uerbis, quãquam & Popularitas Comitate condienda est. Ad haec popularitas studium habet populi, ac multitudinis, multiq; ob eam Populares dicti, ac fa-

ctiosi habiti, ut uideri possit aduersari eidem contrariũ ergã nobilitatẽ studiũ. Quod in Appio Claudio fuit, ut de Mario taceamus, ac Sylla, contrarijsq; utriusq; studijs. Habet præterea Popularitas applicationẽ illã suã erga populum, popularesq;, atq; illorũ res tantũmodo. At Comitas delectu adhibito eadem quoq; est aduersus exteros, atq; alieni generis homines, & natura, & habitu, et ratione ita dictante.

De Humanitate.

Nec desunt qui Humanitatem eam dici malint. Verum nec Humanitas aduersatur contentionis, ac rixarum studio, nec qui humanus est, contentioso, ac rixatori est aduersus, est tamen comis uir etiam perhumanus. Etsi non pauci humani quidem ipsi sunt, nequaquam tamen comes. Nemo tamen comis, quin idem ipse sit humanus. Agit comiter familiaris meus Antonius Galateus, dum (quod ingeniũ est eius, quiq; etiam habitus) quoscunq; habet obuiam, gratificari ijs studet, salutando perhumane, appellando benigne, congrediendo hilariter, iocando urbane, arridendo familiariter, offerendo grate operam suam & facilem, & minime importunam. Quo fit, ut quemadmodum maximam in congressu affert iucunditatem, ac delinimentũ, sic post digressum, maximum quoq; relinquat sui desyderium, delinitionemq; animi quandam cum requiete ac uoluptate. Quod suaues præstare sorbillationes cõsueuere, uti os ac buccam (quod hodie dicũt) suauem relinquant, satietate omni prorsus repulsa & epularum & cœnæ. Exhibet se quacunq; in actione, ac uitæ genere humanum Ioannes Pardus, quod & philosophiæ studium, quod in eo summũ est, exigit, & natura eius exposcit. nihil superbe agit, nihil arroganter. In incessu, in sermone, in consuetudine, æqualem se cunctis exhibet. ægre fert ubi in quempiam agi uiderit insolentius. fert grauate & amicorum, & ciuium aduersos casus, solatur mœrentes, laborantibus qua potest succurrit, adest, opitulatur, operam suam confert. astat ubiq; comes ei mansuetudo, ac facilitas, studium tamen loquendi in gratiã uix ullum, nulla obsequendi, quemadmodum nec contendendi procliuitas. oratio eius suauis, & placida, quæ tamen nullum præ se ferat studium ineundæ gratiæ, proprijq; compendij. abstinet autem sic à gratiloquentia, ut maledicentiam prorsus detestetur, ac contentiones. Quo circa à Comitate nõ uno modo differt Humanitas. Etenĩ q aliorum moueatur damnis, incommodis, captiuitate, orbitate, inopia, exilio, malisq; alijs, humanum hunc dicimus, nequaquam in hoc ta-

men comem. Itaq; aliud est comis uiri officium, aliud humani. Inest tamen utriq; quędã quasi communitas uiuendi quacunq; in actione, ac negotio. siue eam Facilitatem uocare uolumus, siue Tractabilitatẽ. Nõ desunt tamen, qui, quam Comitatem ipsi uocari non iniuria fortasse dicimus. Ciuilitatem eam appellari malint, quod uirtus ea sit maxime honesto ciue digna, ac tametsi aduersum peregrinos, exterosq; ius extendat suum, tamen ducere potiore à re appellationem uolunt, Qua ratione qui eam assecuti sint, ciuiles & ij dicantur. Quorum opinioni minime qdem aduersaremur, si ciuiles ipsi nõ minus in actionibus, rebusq; uersarentur alijs, quæ ciuiles & dicuntur, & habentur, quàm in uerbis, congressionibusq;, atq; in gratiam cõferendo sermones suos. Igitur cum & qui, et quales Adulatores sint, atq; Assentatores, abunde explicauerimus, qui item Contentiosi, ac Rixatores, mediusq; inter utrosq; habitus qui sit, et qualis, ostenderimus, ad ueraces trãseamus, & ad eam uerborum partem, quæ aut ueritatis studiosa est unius, aut contra mendacij, de qua in sequenti libro disseremus.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE SERMONE LIBER SECVNDVS.

De Ostentatione, & Simulatione.

Veritati autem huic quæ in sermone uersatur, ciuiliq; in consuetudine, atq; in hominum uita, illinc aduersa obsistit fronte Ostentatio, nequaquam ex æquo se'q; res'q; suas metiens, cum aut affingit sibi maiora, quàm quæ re ipsa sint, & quàm ingenium ferat, ac facultates, aut falsa omnino de se prædicet, alia'q; quàm sint, eaq; præclara admodum, magis'q; ac magis narratu, atq; honoratu digna, Vitium sanè leuissimorum hominum, se'q; ipsos decipientium, id'q; etiam conantium, ut alij quoq; decipiantur. Quid enim est aliud simulare, quàm sub ueritatis specie uelle decipere? Hinc uero aduersatur Dissimulatio, ut'q; illa supra uerum & loquitur, & se se effert, sic huius est studium aut dissimulare quæ insunt, aut deijcere ea, infra'q; uerum eleuare, ac deprimere. Itaq; ut ueritati mendacium, sic mendax aduersatur ueraci, ueracitati'q; mendacitas. Sed uerax unus ipse quidem duntaxat est, & simplex, mendax uero duplex. Nam è numero mendacium alij (ut dictum est) Ostentatores sunt, ac Simulatores, alij Dissimulatores, de quibus post.

De Veracibus.

Nunc de Veracibus, quos nihil refert si Veros aliquando uocauerimus. tametsi Verax ab habitu, ac consuetudine, suo'q; ab instituto ueritatem profitetur, eamq; ubiq; sequitur, est'q; moribus, ac sermone, hoc est factis, dictis'q; ita constitutus, cum tamen Verus dici quis possit ex aliquo dicto, sententia'q;, qui tamen mentiri plerunq; sit solitus. In actione igitur omni, uita'q; uniuersa cum laudetur ueritas, uituperetur mēdaciū. efficiatur ut Veracitas uirtus sit, Mendacitas uero uitium. siquidem improbatur uitium, commendatur è contrario uirtus. Nec uero ueritatis studium inesse cuiq̄ potest absq; summa etiā probitate, perinde ut nec sine improbitate mendacitas. Igitur qui ueraces, ijdem et uiri, & ciues probi sunt, ex aduerso mendaces improbi. Sane'q; non maximis tantum aut mediocribus in actionibus, in'q; minus grauibus siue sermonibus,

nibus,

nibus, siue cõgressionibus, ac siue serijs, siue iocosis in rebus ueracitatis elucescit studiũ ac uis, uerum etiam in minimis quibusq;, ut ueritatis studiosi, & tanquam professores, de minutissimis quibusq;, ac maxime leuibus non aliter sint soliciti, quàm pudicissimæ matronæ de honestatis, ac pudicitiæ fama, nec de continentia tantum, pudorisq; commendatione, deq; moribus, ac uerbis singulis, uerum etiam de leuissima oculorum inflexione, deq; incessu, qui forte mollior iudicari posset, aut de manuũ agitationibus, atq; oris habitu liberiore. Et uero alia ratione nequaquam præstare illud poterit, ut (quod Aristoteles dicit) et uita, & sermone uerax sit, quod necesse est, assuetudo præstet, habitusq; ita comparatus, ut ueritas ipsa & ubicunq; opus est, et quocũq; in sermone, minimaq; quaq; i actione, oculis semper obuersetur eius, neq; aliud aut studiosius meditetur, aut potitus eẽ censeat, magisq; per perpetuum, aut constitutum habeat, quàm nullo pacto ueritatis è uia deflectere, deq; ueri delabi curriculo. Sequitur igitur ueritatis studiũ uirtus ea quæ suo nomine est Veridicentia, & qui ea utuntur Veridici, unde et q uera uaticinãtur, siue uates siue harioli, dicti sunt ueridici pariter, ac ueriloqui. Quanquã autem in ijs quæ sopra sunt à nobis dicta, satis præfati sumus, hac nos in parte, hocq; in tractatu minime loqui ea de ueritate quæ in inquirendis uersatur rerum, ac naturæ causis, aut de iure, iniuriaq;, ac siue forensibus in negotijs, siue physicis, mathematicisq; inquisitionibus, tamen id ipsum iterũ testatũ uolumus. Itaq; illiusmodi quidem uero falsum opponi dicimus, huic autem mendacium potius. Qui enim sua in opinione fallitur, ac sententia nõ statim ipse mendax est, aut id agit, ut decipiat, & qui mentiendi studio tantum peccat, uanus magisquam fallax est, aut deceptor. Sequitur præterea Veridicentiam Benedicentia, cum sit probi uiri benedicere, sitq; Veridicus & ipse maxime probus, ac bonus & uir, et ciuis. Nec profecto si detrahendũ aliquando flagitio fuerit, Verax ipse parcet ueritati, ita tamen, ut ne maledicendi, aut detrahendi studio id agere uideatur, uerum ut honestas uigeat in ciuitate, ipsaq; simul libertas, commune ciuium omnium bonum, proculq; repellatur flagitium, atq; improbitas. Contra uero mentientium hominum comes esse consueuit Maledicentia, quando mendaces existunt plerunq; maledici pariter, ac nugatores. Nanq; ut lucrentur, ut uanitatem patefaciant suam, necesse est, perperam multa ut dicant, & fingant, atq; (ut Comici inquiunt) garrulose deblatterẽt. Quorum sunt è numero nebulones, nugigeruli, blatterones, ueteratores, & id genus uanissimorum hominum, ac maxime seruilium. Veri igitur ipsius studiosus, & tanquam professor in

uita omni, & in actione quacunq;, ac sermone, qualis est ueritas, ta=
lem ipse personā assumet, quippe qui etiā in ijs , in quibus forte nihil
referret, ne uel tantulum quidem è uia deflexerit, nedum ut à linea
digrediatur ueri, maioribus in rebus ac negotijs, quin tenorem ubiq;
suum seruabit, rectáq; ad metam proficiscetur, ut qui mendacium, nu
gas, ueterationesq; ubiq; fugiat, detesteturq; , perinde ut rem maxime
turpem, summéq; indignam recto, & bono uiro. Etenim prima Vera
cium cura est recti, atq; honesti. Itaq; & à turpitudine quæ honestati
aduersatur, & ab insinuatione, atq; obliquitate quæ à rectitudine ē
aliena, abhoreat necesse est. Quando autem uirtus omnis gratuita est.
ac per se expetitur, Veracitasq; ipsa est cum primis etiam laudabilis,
ac percommoda & retinendæ, & amplificandæ hominum societati,
nimirum Veraces ipsi propter solā ueritatem ueri sunt ipsius studiosi,
eamq; tum propter se ipsam colunt, tum quod uinculū eam humanæ
societatis uel maxime tenax esse intellegunt, ad quam colendam natos
se esse sciunt. Quia uero de ueritate nunc illa loquimur, quæ potissi-
mum in sermone uersatur, atq; oratione, ac tum in laudando, déq; se
atq; de alijs prædicando, tum in improbandis, ac reprehendendis tur
pibus, Veracis uiri officium est, uera & cognita de se nequaq̄ dissimu
lāter sed libere, atq; aperte ubi opus fuerit loqui, nihilq; supra quàm
suum est, sibi aut arcessite affingere, aut subductim detrahere, modeste
tamen omnia. euitabit insinuationes, flexusq; uerborum. non detor-
quebit iter à linea. Nihil simulanter dicet, aut dissimulanter, aperte
quidem cuncta, sineq; iniuria. erit autem sermo eius nequaquam aut
affectatus, aut lubricus. neq; rancescet ille q̄dē, neq; spurcabitur. pror=
susq; alienus erit à fuco, infractione, effœminatione, molitia , talis
denuq; qualem serenitatem esse nocturnam requirimus , in qua nihil
turbidū, nihil uentosum, neq; quod uel æstum afferat, uel gelu , qualis
profecto serenitas est uerna , quæ , nullo modo cum offendat (quod
suauissimum tamen est) rorem effundit ad omnem germinationem q̄
maxime utilem ac felicem. Qui igitur talis erit, ut de se, rebusq; suis
uera tantum, & qualia sunt prædicet, nimirum idem hic non erit
à se ipso alienus, ac diuersus in explicandis ac referendis aliorū re-
bus, quas ita referet, atq; explicabit in circulis , in concilijs, in cœnis,
conuentibusq;, ut minime in gratiam loqui uideatur , atq; inseruire
auribus, sed ueritatis unius studio & causa. Ac nescio etiā quomodo
uidetur hic ipse Veridicus de se dū dicit, si quippiam sibi , rebusq; suis
subduxerit, dum ne dissimulandi gratia, de modestia uel merito lau=
dandus, quin (modo tamen modeste) si quid laudandis, ac referen-

dis aliorum rebus ornatus addiderit, ut uirtutis laudatori, ut recte factorum commendatori uidetur assurgendum. In quo naturam imitatur ipsam, quae ornatus quoq; ac cultus nunq̃ uidetur oblita. Nanq; ut in enarrandis suis, ubi fuerit partior, dum ne id fiat cum dissimulatione, commendatur ut modestus, sic uidendum est, ne si differendis alienis fuerit constrictior, detur id inuidentiae. Optat Cicero (ut laudum expetentissimus) exornari res suas à Luceio, uidelicet cupit illas amplificari, adiungiq; iisdem ornatum, ac nitorem. Quis accusauerit Ciceronem, si idem cupiat, quod natura nobis ipsa exemplo est, cupere ut debeamus? Tamen uerecundius cum Luceio suo, cumq; rebus à se gestis egisset, si illũ ita rogasset, ut historici officio fungi uellet, naturaeq; ipsius exemplum sequi, illiq; inhaerere. Sanctus fuit uir Hieronymus, & perbeatus, ut Christianus, & deo maxime carus, Rufinus tamen pati illum minime potuit, cum ut Ciceronianũ male se habitum referret. Quis autem non uel magnam eloquentiae laudem Hieronymo ẽt indulgentissime concesserit? tamen à Ciceroniano dicendi genere (si ob hoc ipsum male fuit habitus) & à simplicitate illa Attica, Ciceronis amica tantum abest, ut oratio quidem Hieronymi appareat conquisitior, nimioq; elaborata studio, id quod non solum uerba, uerum etiã ductus ipse orationis prae se ferat. Quintus Fabius ille cunctator ex iis quae apud Liuium ei respondentur à Scipione, fuit fortasse nimius iis edisserendis, quae aduersus opinionem trãsferendi ex Italia in Africam belli facere uidebantur. Itaq; iudicatus à quibusdam ob inuidẽtiam, magis q̃ ob ueritatem ipsam ea disseruisse. Quod ne iudicari de se possit, uerax oĩ studio uir cauebit. Alexander Augustus parce admodum, ac breuiter de rebus à se contra Parthos gestis in senatu retulit, & quamuis summam uictoriae non dissimulanter expressisset, datũ tamen est illi modestiae, ꝙ diceret minime opus esse referẽdis illis magniloquentia. Nõ pepercit ueritati Alexãder hic, cõsuluit tñ modestiae imperatoriae. Caesar in terrore illo formidabili aduentantiũ Germanorũ forsan infra uerũ, minime tamen praeter tempus de hostiũ uirtute locutus est, eã deprimẽdo apud milites, pluraq; de legione decima sibi persuadere ostẽdit, q̃ re ipsa sibi ꝑsuadebat. Nequaq̃ itaq; aut se ipsum decepit, aut milites, uerum iperatoriae satisfecit prudẽtiae. Quo fit ut ueritas ipsa (qđ pudicis etiam matronis concessum est, qđ etiam sacerdotibus in publica laetitia, sacrisq; solennibus) patiatur aliquando sibi cultum adiici, decentem tamen, quamuis nequaquam perpetuum, sed pro tempore. Omnino igitur Veracis uiri proprium est, non simulate, aut dissimulate de se ipso loqui, non ob-

ſcure, aut inſinuanter, minimeq; oblique, uerũ aperte, palàm, directe,
liberaliter, quod etiam eſt magnami, nihil'q; quod ſibi non inſit, aut re
bus ſuis adiungere, aut quod ex parte deſit per ſimulationem affin-
gere. Erit'q; oratio eius ut ab omni iactatione uacua, ſic nullo pacto
nimia, quæ'ue ſatietatem audienti afferat, careat ſupercilio. ſit tamen
ſeuera & grauis, atq; ita tamen grauis, ut ueritati ac grauitati ſuo
loco ſit adiuncta comitas. ſit diſpoſitio, & ordo ipſe compoſitus, accom
modata'q; explicatio. nanq; ut ſit ea ſiue arceſſita, ſiue fucata, nihil eſt
quod tam ueritatem ipſam inficiat. rerum deniq; amplificatio ita tem
perata, ut appareat cupere ſe extolli eam ab auditoribus magis quã
ut ipſe uelit eẽ rerũ ſuarũ prædicator, atq; (ut hodie uſurpant) præco.
præcipue uero erit in dicendo breuis, & candidus, qui'q; diſpoſite, atq;
ordinate proſequatur quæ dicenda ſuſcepit. At in laudandis alienis, dũ
ne id fiat inſeruiendo auribus, magiſquã ut ueritatẽ ſequatur, eamq;
ut approbet, et maior erit atq; uberior, & oratio eius ornatior, ma-
gis'q; magnificat, et plena. quo et uirtus operæ accipiat ſuæ pretiũ, et cæ
teri incitentur exemplo. Summa tamen cura uidendum erit, ne dum
habenis utitur laxioribus, metam tranſiliat, quo uitio infecti ſunt Pa-
nagyricorum maxime ſcriptores, qui pleraq; arceſſita, partim'q; non
uera, aut ficta afferunt. ut erubeſcendum etiam uideatur, ſiue lectori-
bus illorum, ſiue auditoribus. Quando autem tenerrima quædam res
eſt ueritas, eius ipſius profeſſor illum in cunctis quæ ad eam expli-
candam ſpectauerint, modum retinebit, ut neq; apud quoſq;, neq; quo
cunq; aut loco, aut tempore, aut in circulo, neq; quoq; in conuentu, con-
cilio, cœtu, neq; iiſdem ubiq; uerbis, aut uultu eodem putet ſibi licere,
de ea habere ſermonem, aut eandem retinere rationem. Cum aut lo-
cus, aut tempus, aut rerũ ſtatus eiuſmodi eẽ poſſit, ut tacere, aut magis
cõducat, aut cõtra obſit de ſe, rebus'q;, ſuis aut alienis loq liberius, ore'q;
magis pleno, ſitq; nonnunquam confugiendum ad exprobratio-
nem collatorum beneficiorum, minime tamen exprobrandi gratia,
ſed quod neceſſitas ita ferat, quod imperatores ſeruare ſolent, dũ aut
fugam ſiſtere uolunt militum, aut minus eos obedienteis, ſeu parum
promptos habent ad imperata facienda, atq; ad obeunda munia, aut
dum decumare illos, aut aliis ſuppliciis afficere, aut ignominia uolũt.
Quæri poteſt hac in parte, an Veraci huic ſit permiſſum, aut uerũ
quandoq; ſubticere, aut aliquid, quod nequaquam ita ſe habeat ſubſi-
mulare, atq; effingere. Magna eſt uis temporis, ac rerum, non minor
perſonæ ipſius, q̃ quis gerit. Figunt nũc multa, nunc contra cælant in
aduerſis, ac periculoſis caſibus ſapientes, tũ rerũ publicarũ temperato

res, tum duces exercituum, multa peritissimi medici periculosissimis in morbis, non pauca sacerdotes, quiq; Prædicatores dicuntur, quo rebus adiungant authoritatem, nec tamen illi ex eo aut mendaces habẽtur, aut minus ueridici. quando neq; propositum eorum est aut mentiri, aut fallere, uerum & prodesse ea ratione, & pericula auertere. quod omnino prudentium est hominum munus, atq; officium. Nesciam tñ quomodo perpetuitas illa ueritatis retinendæ maximum in mentibus, atq; in uoluntatibus ipsis hominum locum obtinet in omni actione, & causa. Tribuit hoc nobis Innocentius Octauus Pontifex Maximus in componenda dissensione inter ipsum & Ferdinandum Regem Neapolitanorum. Nam commonefacientibus quibusdam eum Cardinalibus cauendum esse ne à Ferdinando, quod esset parum firma fide, cõpositis post rebus frustra haberetur, At inquit, neutiq; falsos nos habuerit Iouianus Pontanus, qui cum de concordia agitur. neq; enim eũ ueritas destituet, ac fides, qui ipse nunquã ueritatem deseruerit, aut fidem. Sed à nobis hac ipsa de re abunde admodum disputatum est ijs in libris, quos de Obedientia scripsimus. Quam ob rem his de Veracitate, Veracibusq; explicatis, hoc est de mediocritate ipsa, ad extrema, quæq; contraria ei sunt, dicunturq; uitia, transeamus.

De Mendacibus.

Aduersatur igitur mediocritati huic, quam Veracitatem appellare placuit, Mendacitas, cuius & excessus existit quidam, & defectus, atq; excessus quidem ipse suo nomine est Ostentatio, quod iã diximus. Sũt tamen qui Iactantiam malint, alij qui Arrogantiam. Sed hæc ipsa Arrogantia magis uersatur circa honorum nimiam, munerumq; ciuiliũ affectationem, quàm in ueri dictione, atq; usu. quippe cum arrogantes per uim, præterq; quàm suæ ipsorum ita partes ferant, arrogent sibi supra merita, ultraq; natales suos, atq; actiones, ac uitæ genus, neq; enim captus sui rationem habent. Itaq; arrogantes ipsi quidem uiolenti sunt, qui uero sibi plus in dicendo de se, suisq; de rebus tribuũt, atq; assumunt, quàm quod re est uera, atq; ex merito assumendum, hi neq; quaquam uiolenti habendi, aut impotẽtes, uerũ mendaces, uani, futiles, leues. Quocirca Arrogantia accedit ad superbiam, atq; elationẽ, Ostentatio ad uanitatem potius, inanemq; quandam rerum suarum siue persuasionem, siue ascriptionem. Quando uerbum ipsum Arrogo, unde Arrogantia deducitur, uiolentiæ quidem est, atq; elationis, Ostento autem uanitatis, atq; inanis cuiusdam umbræ dictio. quasi uideri sibi inesse uelit, quod nullo modo insit, Et Arrogans quidem hoc agit conaturq;, ut re ipsa talis sit, qualis uideri uult, Ostentator uero

tantum ut uideatur, atq; appareat.

De Iactatoribus, & Ostentatoribus.

Nam qui Iactantiam excessum hunc potius dici, atq; esse uolunt, in eo labuntur, quod Ostentatio cũ plerunq; uana sit, Iactantia ipsa ad superbiã ubiq; est, aut ad stoliditatem referenda, in leuitate uero parũ omnino differunt, Et Ostentatio quidem affingit sibi aut quæ nulla prorsus è parte insunt, aut maiora ea q̃ sint, facit. At Iactator etiam in iis quæ uera sunt, referendis, atq; extollendis est nimius, peccatq; in eo uehementer, ꝙ nec modum seruat, nec mensuram, nimisq; fastidit et gestu, & uerbis, & contentione est immoderatior. Quo in toto ferè genere Aiax peccat apud Ouidium, quando & quæ dicit uera illa ipsa sunt, atq; adeo quidem magna, ut magnificari, affingendo eis aliquid, nullo modo necesse esset, et singula quidem erant notissima Græcorũ ducibus, ac senatui. Tamen quod insolentius ea ab illo dicantur, quod nimis indignanter dictum uideatur,

" Agimus pro Iupiter inquit

" Ante rates causam, & mecum confertur Vlysses,

Quodq; et ore, et manibus, et toto corpore (ut mos est indignantium) insolenter iactabatur, potest iactantiæ iure ipso argui, atq; accusari, nequaq̃ tamen aut ostentationis, aut fortasse arrogantiæ. Quo fit, ut Iactator ipse nimius sit, atq; immoderatus, siue uera dicat, siue parũ uera, atq; arcessita, Cum Ostentator nequaq̃ sit ipse iactatu nimius, sed parum omnino dictis uerus, atq; ex eo uanus, magis q̃ aut superbus, aut arrogator. Hæc autem dicuntur à nobis non detrahendi recentioribus quibusdam scriptoribus, uerum docendi studio, cum præsertim de ueritate ipsa sit quæstio.

Plura esse mendacium genera.

Mendaces igitur cum eorum propositum sit mentiri, alij quidẽ honoris mentiuntur adipiscendi gratia, alij uero comparandæ pecuniæ. Sunt quibus mendacium ipsum pretium est, ipsaq; mentiendi uoluptas per q̃ suauis est eorum fructus. quod genus maxime uanum iudicandum ẽ. Videtur autem huiusmodi homines ab illo ipso ad quod geniti à natura sunt, q̃ longissime discessisse, cum ad grauitatem geniti simus, & ad constantiam, ac firmitatem omnes, nec (ut Cicero ait) quicq̃ sit turpius uanitate. Iure igitur Vani appellati sunt, Cum eorum cogitationes, ac uoluntates prorsus inanes sint, fluxaq; consilia, uitium uero ipsum Vanitas, quando propositũ ipsum futile est, leue, inane, uacuũ, quæ oia uanitatem, & quidem summam indicant. q̃ autem ridicula hæc ipsa

" sit uanitas, ea fingens, quæ nusq̃ sint, ca[p]tentiens quæ fieri, aut esse ne-

» queăt, Vmber noſter Comicus docuit, in milite illo oſtētante uictorias
» ſuas, Sexaginta hominum millia uno die euolaticorum manibus oc=
» cidi meis, & (quo ſermo eius uanior appareret) ſubdit, uiſcum le=
» gioni dedi, fundiſq; eos proſternebant, ut folia farfari. Quid multa?
» quos uiſco offenderant, tum crebri ad terram decidebant, quaſi pira, ut
» quiſq; ceciderat, eum necabam indita per cerebrū pinnula, ſic quaſi
turturem. Quid his euanidū magis? ꝙ igitur uani per ſe ipſi ſint men daces huiuſmodi, ꝙ ridiculi, & contemptibiles, quis non uidet? Atq; hac quidem ratione Poëtas omnis ridiculos, ac deſpicabiles forte quis dixerit. Non eſſe autem deſpiciendos, uerum admirandos potius, illud docet, quod Ariſtoteles, & Homeri, & aliorum Poëtarū authoritate in maximis ꝗbuſq; rebus utitur, et Poëtarū dicta pleraq; habita ſunt pro oraculis, cū Mēdaces ipſi, atq; Oſtentatores nugentur, ac garriăt, magiſꝙ fingăt, ſitq; fabula ipſa inuenta non uanitatis gratia, uerū ut arte ea hoīes uel deterrerētur à uitijs, ut cū Lycaonē in lupū fingunt ob crudelitatē maxīe efferată cōuerſum, uel incitarentur ad uirtutes, cū Caſtorē, Pollucē, Herculē in cœlū translatos decătităt. Aeſopi fabu la exēplū uitæ eſſe poteſt illis præſertim, quos cōtigit obſcuriore in loco aut naſci, aut educari, & uiuere. At Homeri poema uirtutem eſſe ſanctiſſimus uir Baſilius iudicat. Nihil enī Poëta ille neglexit, ꝙ tum heroicas, tū ciuiles ad uirtutes pertineat. Quid porrò ad pietatē, reli= gionē, tolerătiă, fortitudinē, ꝗd itē ad declarandă rerū humanarū in= cōſtantiă, fortunæq; uarietatem, ꝙ non Aeneæ Virgiliani res decla- rent? ut etiă illorū qui diem obiere, quæ præmia ſint cuiq; pro meritis cōſtituta, aut rurſus pœnæ, liceat apud illū planè noſcere. Et Horatius ait de Homero,

» Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
» Plenius, ac melius Chryſippo, & Crantore dicit.

Itaq; Mēdaces hi ꝗdē inanes ſunt, ac uani, qñ eorū finis, ac propoſitum ē uanitas, et ꝗdē moralis, eaq; aptiſſima uanitas. At Poëtæ habiti ſūt admirabiles, diuiniq;. Delectādo enī, et ꝑ blăditias ī animos hoīum ī fluēdo conati ſunt eos ad geneſiſſima quæq; ab maxime fœdis, feriſq;, atq; à belluarū oppido ꝙ ſimilibus moribus retrahere, abducereq; à ſyl uis. Quòcirca ob hoc ipſū ſtudiū putatus ē Orpheus ſyluas cătu traxiſ ſe poſt ſe, animaliaq; illas icolētia, et Amphiō rupes ac ſaxa. Quid igitur iter fictiōes interſit publicæ utilitatis, atq; humani generis iſtituē di gratia ſuſceptas, et eas quæ ſolă ob uanitaté, nō modo uetuſtiſſimi Poëtæ docēt, uerū ēt Prædicatores huius noſtri tꝑis, ꝗbus familiare ꝗ dē ē, prudētiſſime excogitata quædă, et ficta in exēplū adducere. Ve=

rũ de hac ipsa Mẽdacitate satis. Quãtũ eni ueritas ipsa laudatur, estq; ĩ pretio, tãto ẽ magis ridicula ostẽtãdi uanitas, fallaxq; emẽtiẽdi studium.

Quid Aristoteles hac de re sentiat.

Totum autem hoc genus, de quo suscepta nobis disputatio est, Aristoteles tradit in sermonibus uersari, atq; in actionibus, adhæc (quod Ostentatores simulanter affingant sibi, quæ ipsis nequaquam insint, aut maiora quàm re ipsa illa sint) etiam in fictionibus, arcessitisq; fucationibus. Hos ipsos autem homines Ostẽtatores esse ait, proprioq; nomine ἀλαζόνας, qui apud Plautũ sunt gloriosi, At quos Irones uocat, eos aut inficiari, aut dissimulare quæ ipsis insint, aut ex ijs sibi multum detrahere, eaq; quæ uera sunt, dissimulando minuere, Horum uero medium ἀληθευτικὸν, hoc est & uita, & sermone ueracem esse, quæq; & quanta sibi insint, profiteri, illisq; nihil aut fando demere, aut adijcere rebus suis, Atq; hæc quidẽ ipsa consuesse fieri aut nullius, aut alicuius rei gratia. Esse autem unumquemq; perinde ac sunt eius dicta, factaq;, ac uita omnis, præterquam si rei cuiuspiam dimoueatur gratia. Mendacium uero ipsum per se & turpe esse, & opprobriosum, secus autem uerũ ipsum, & honestum, & laudabile. Itaq; Veracem hominem (quod medium teneat) quasi æquipensatorem quendam merito laudari, contra Mendaces utrosq;, & qui Ostentatores sint, & qui Ironici, uituperabiles, Ostentatores tamen amplius. Esse igitur Veracẽ, qui & uita, & sermone, hoc est factis, dictisq; ueritatem tueatur, & colat, talisq; habitu existat, ac consuetudine, exq; eo probum illum uirum esse, ut pote ueritatis oppido quàm studiosum, etiã in minimis quibusq;, atq; hoc etiã magis in maximis, ijsdemq; serijs rebus, qppe qui abhoreat à mendacio, ducatq; illud quidẽ per se ipsum fugiendũ, quod & si commendatione dignum est ac laude, tamen (quæ ueracis hominis modestia est) suapte eum natura propensiorem putat ad subducendum de ueritate quippiam, cum superlationem omnem, atq; immoderantiam inuidiosam existimet, atq; odio dignam. Ac de Verace quidem hæc ab illo traduntur. E Mendacibus uero, qui nullius rei gratia, sed ob ipsam tantum mendacij uoluptatem, maiora quàm quæ sunt, sibi per simulationem, rebusq; affingat suis, prauum illũ quidẽ suapte natura esse, atq; à probitate alienum, quæ ueracium hominũ comes sit, ni enim ita esset mendacio nequaquam gauderet, Cæterum uanum potius uideri, quàm malum. At qui honoris gloriæue ac famæ gratia ostentandis rebus suis, ijsq; falsò, ac simulanter arcessendis, ueri fines egrediatur, adijciatq; supra quàm res ipsæ se se habeant, illũ nõ ita quidem uituperatione dignũ, At qui pecunia captus emẽtiatur,

hunc procul dubio turpiorem, Mendaces enim omnes ab electione exi
ſtere, atq; ab habitu, & qui oſtentatores ut uani mendacio lætentur,
& qui honore & gloria capiantur, uelintq́; inter alios uideri excelle
re, quiq́; item pecunijs inhient, reiq́; domeſticæ compēdijs, utq́; ſibi pro
ſint, ac ſuis. Conſueſſe autem ea ſibi affingere, quæ laterae quidem poſ
ſe, eaq; haud palàm fieri arbitrentur, ut qui cum è medicina, aut di
uinatione aliquid modo attigerint, & medendi tamen, & diuinan=
di maximam ſe peritiam aſſecutos gloriantur, profitenturq́; ea ſe te-
nere, quæ ſint earum artium abditiſſima, deq́; ſe ipſis magna cum
oſtentatione, ac iactantia prædicant.

De Ironicis.

De Ironicis uero ac diſſimulatoribus hæc ſentit. Eſſe ex ijs qui minora de
ſe, rebusq́; ſuis dicant, aut ea prorſus inficientur, ac diſſimulent, in
quibus ijdem ipſi præſtent, ſintq́; ea præclara admodum, ac magis
magisq́; nobilitata, nullo modo tamen emolumenti cauſa, aut pecu-
niæ, uerum ut inſolentiam deuitent, ac tumorem. cuiuſmodi fuiſſe So
cratem refert. Eſſe item alios, qui parua ac minuta quædam, ea tamē
planè cognita diſſimulantes, dum minimis quibuſdam è rebus ſiue ele
uandis, ſiue diſſimulandis laudem aucupantur, ex eo contemptibiles
fieri, eſſeq́; deſpiciendos. Quin etiam hanc ipſam interdum Ironiă,
oſtentationem prorſus eſſe quandam iudicat, qualem fuiſſe Lacedæmo
niorum ueſtitum dicat, Etenim ut excedentem arrogationem, ſic atte
nuationem nimiam, ad oſtentationem eſſe referendam. Itaq; modeſte
qui utantur Ironia in ijs ipſis quæ manifeſta ſint, atq; in promptu, ur=
banos eos uideri, gratiamq́; quandam inter ciues promereri, indeq́;
iucundos eſſe, atq; admodum gratos. Quod autem oſtentatio ipſa tur
pior per ſe ſit, ac uiro probo indignior, inde Oſtentatores, quiq́; ea ſi-
mulant, quæ nullo modo inſint, idq́; contendunt, ut ineſſe credi ea ue
lint, atq; ultra uerū ſeq́;, resq; uerbis magnificant, atq; extollūt ſuas,
ꝙ qui Ironici ſunt, ſuaq́; diſſimulăter inficiătur, aut ea deducunt. Ve
racibus utiq; magis aduerſari. Atq; hæc quidē in hanc traduntur ſen
tentiă à Peripateticæ ſectæ cōſtitutore. Nos uero inſtitutū noſtrū ſecuti,
in his iiſdē diffuſius uerſabimur, magisq́; aliquăto explorate, et aliud
eſſe Simulare dicimus, aliud Diſſimulare. Simulamus enim quæ nullo
modo uera ſunt, quæq́; ipſi nec fecerimus, nec dixerimus, quæq́; nec
ſeruare in aīo habeamus, Cōtra diſſimulamus quæ ipſa ꝗdē dicta, aut
facta ſint, perinde ac nec dicta fuerint, nec facta, aut nō quemadmo
dū, quoq; animo, cōſilioúe aut fecerimus, aut dixerimus. Qua ratio=
ne Salluſtius Catilinā cuiusq; rei ſimulatorē eſſe dixit, ac diſſimulato

rem. Cum tamen & simulare, & dissimulare nonnunquam pruden ti uiro sit permissum, ut qui

" Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.

Singula enim ad finem sunt ipsum referenda. Sed hac nos in parte de simulatione, ac dissimulatione illa loquimur, quæ mendacium respe ctat, uti'q; ementiendo fallat, recedatq; à ueritate profitenda. Itaq; Simulatores Ostentatorum necessarij sunt, atq; affines, Dissimulatores Ironicorum. Simulant nanq; Ostentatores. Dissimulant Ironici. Alteri affingunt, ementiuntur, arcessunt, quæ non sunt simulantes, alteri subtrahunt, minuunt, inficiantur, uerum ipsum dissimulantes. Vtcunq; tamen se res habeat, diuersum est utrisq; consilium. Illi enim quæ quærunt, ea id ratione assequi uolunt, ut fingant & uultum, & uerba, & consilia, & res ipsas, nonnunquam tristitiam, dolorem, lacrimas, aut contra hilaritatem, lætitiam, uoluptatem, hi quæ uera sunt, ut aut omnino inficientur, aut plurimum illis demant.

De quatuor generibus Ostentatorum.

Triplex est igitur Ostentatorum (ut dictum est) genus, qui in simulationibus uersantur, alij enim sunt quibus mendacium sit ipsum, mentiendi auctoramentum. quo in uitio plane regnat uanitas, Alij quibus ea è re proposita sit honoris, famæ'ue consecutio. ostentant enim séq;, & sua, quo honores, magistratus, dignitates, sacerdotia assequãtur. quod studium nõ uacat ambitione. Sunt qui ampliandæ rei familiari hac ratione dent operam. quod uitium ab auaritia ducit ortum. Sed nec uerebimur quartum quoddam ijs genus adijcere hominum illorum, qui cum dissensionibus gaudeant, ac discordijs, partim affingendo ueris falsa, partim subtrahendo, ac nunc demendo, nunc accumulando, aut dicta, factáq; ipsa interpretando perperam, id agunt, ut ciues inter se committãt, serantq; odia, atq; inimicitias, Qui morbus ad naturæ prauitatem, morumq; peruersitatem est omnino referendus. Quæ enim ciuili in congregatione, hominumq; societate maior accidere pestis potest, quando ad eam colendam cum instituti à natura simus, contra ad euertendam arte hac, fingendiq;, ac fallẽdi studijs innitimur? Hos Cõmissores Latino, & suo uerbo uocare possumus, uitiumq; ipsum Commissionem. Quin horum quidem è numero alijs propositum est hac uia, atq; his artibus magnos sese, ac potentes, aliorum è contentionibus, ac dissidijs facere, dum & miscent, et interturbant omnia. Quod malum Romæ latius se se diffudit, Pompeij maxime ac Cæsaris, item Antonij, atq; Octauij tempestatibus. Alijs uero nullum omnino pro

positum est ampliandæ dignitatis, lociq́; in ciuitate maioris assequendi, tantum id curant, student, meditantur, contentiones ut exuscitent ac dissidia, peruersitate quadam naturæ ducti, quippe q seditionibus tantum lætentur, ciuiumq́; inquiete, ac turbulentia.

De Susurronibus.

His accedant (si placet) et Susurrones, quibus etsi eadē hæc uoluptas est, nihilo tamen minus auribus quoq; & ipsi inseruiunt, quo aliquod inde emolumentū, et cœnas saltem, et uultus bonos (ut dici solet) reportent, Seruile sane genus hoc hominū, nec deprauatis modo, uerū etiā sordētissimis moribus. Vtq; prioribus illis magna præclaraq́; obuersantur ante oculos, ita posterioribus his minuta quædam, ac sordida. Nec uero inficias ibimus, et uirtutes, et uitia ita quidē misceri inter se, atq; cōfundi, ut quædā nūc ad hoc, nunc ad illud uitiū, quædā tum ad hanc, tum ad illam referri uirtutem possint. Nā & insimulatores, et falsi accusatores, de quibus nihil est dictum, mendaces quidem ipsi sunt, mentiuntur enim. Iidem tamen ipsi alia quidem ratione iniusti habendi sunt, alia uero inuidentes, atq; auari, dum & nocere alijs student, etiam quibus minime debeant, & illorum quieti, ac diuitijs inuident, indeq́; conantur ipsi locupletiores fieri. Nero, ac Domitianus Augusti simulationes suas, fictosq́; uultus, ac uerba composita ad crudelitatem plerunq; conuertere. Ferdinandus Alphonsi filius Neapolitanorum Rex magnus & ipse fuit artifex & uultus componendi, & orationis in quem ipse usum uellet. Nā ætatis nostræ Pontifices Maximi fingendis uultibus, ac uerbis uel histriones ipsos anteueniunt. Ptolemæus ille, qui postea in Nilo perijt, à Cæsare ita discessit, ut etiā lacrimaretur, ostētans se desideriū absentis eius uix eē passurū, qui tn̄ ubi ad exercitū atq; ad suos transijt, bellū è uestigio multo acerrimū excitauit. Itaq; nō temere nostris à maiorbus Alexādrini habiti sunt aptissimi, atq; in primis solertes ad simulandū, atq; fallendū.

De Fucatis, & illecebrosis lenocinatoribus.

Et quoniam hanc (ut diximus) partem diffusius prosequimur, ex hoc etiā sunt ordine, qui fucata oratione utuntur, quos tamē uideas non tam mentiri uelle, q̄ ueritatem ipsam artificio quodam uerborum aut obtegere, aut illi ipsi loquendi artificio ornatum quasi quendam adiungere, siue ut uitiū aliquod cōtegāt, siue ut fucū illināt ueritati. Fucatæ nāq; orationis nō una ē ratio, et alij aliā ob causam fuco ipso utuntur orationis. Sūt eni ex ijs q lenocinētur ut illiciāt, ꝙ est lenonū, inducantq́; quos captāt ad ea quæ ipsi cupiāt uerborum lenocinijs, hoc est

oratione ficta & illecebrosa admodum. Itaq; eiusmodi homines Illecebrosos dicimus, magis quàm Fucatos, quamuis Illecebrositas non careat fuco. Quando omnem uerborum compositionem, quæ ex eo adhibetur, quo aut uerum occulat, aut fictum quippiam uero adijciat, aut tanquam comat quod dicitur, ac res, & uerba lenit, fucum dicimus. Nam & fuco puellæ utuntur, quo aut formosæ magis appareant, aut ut quod inest deformitatis, aut omnino tegant, aut ex parte minuant. Itaq; ut sermo horum Illecebrosus, sic Fucatus illorum. Quæ uitia à simulatione proficiscuntur omnia, atq; à dissimulatione.

De Proditoribus.

Perniciosissimum autem simulatorum genus, itemq; dissimulatorũ sunt Proditores, quippe qui simul & simulant, et dissimulant, tametsi neq; simulatores habendi sunt, aut dissimulatores, magis quàm supremum in modum infidi, iniusti, impij, immanes, truculenti, societatum, amicitiarum, rerum publicarum, populorum, regnorum, omnisq; probitatis, iuris item diuini, atq; humani, euersores, profligatoresq; uirtutum omnium, per quos nequaquam stat quo minus humana consortio funditus tollatur, atq; intereat.

De fallacibus.

Hi tamen simul omnes Fallacium comprehenduntur numero, quippe cum mendaces sint omnes. Nemo autem mendax quin idem sit fallax, acsi non qui ob uanitatem mentiuntur, & hi se se ipsos præcipue fallant. Cum primis autem hoc ipso ex ordine accusandi sunt illi quidem, qui cum maxime (ut Cicero ait) fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni esse uideantur. De quibus merito dicitur quod est apud Plautum, Lupus est homo homini, non homo. Horum non modo ficti uultus, uerbaq;, uerum etiam uestitus, incessus, capitis, ac ceruicis tum demissio, tum inflexio, oculorum deiectio in humum, atq; infixio, summum silentium, rarissima in publicum proditio. Idẽ quæritant solitudines. uersantur in locis potissimum sacris, quin etiam oris colorem arte deformant. Nullum est autem uitæ aut genus, aut ordo, in quo uel non paucos eiusmodi inuenias. E sacerdotibus tamen, illisq; quos hodie Religiosos dicimus, plurimi hoc uitio infecti sunt, quo morbo affectos etiam Philosophos insectatur Iuuenalis.

De Hypocritis

De Hypocritis.

Quibus quidem omnibus Christiani Græcos secuti scriptores, fecere nomen Hypocritis. Eorum autem omnium idem est propositum, ut quod ipsi minime sint, id habeantur, atq; appareant. E quibus alij in id intendunt, ut lucrentur, uictumq; inde sibi uberiorem parent, maioremq; reuerentiam, utq; habeantur in honore, uendicentq; sibi apud populũ sanctitatis opinionem, existimenturq; deorum frui colloquijs, ac præsentia. De quibus tamen parcius loquar, ne dum uitiũ, ac simulationem insector, uelle uidear religioni detrahere. Itaq; huic parti finem facio, si rem tamen maxime ridiculam prius retulero. Adolescentibus nobis puer haud malæ indolis à patre missus est literariũ in ludum. Is quo patri appareret literis deditior, sensimq; patrem diuerteret ab incœpto, dum ueretur, ne uehementiorem ob operam in ægritudinem filius ipse incideret, è fabæ polline tenuissimum in modum contritæ, cœpit mane sibi uultum affatim inspergere, magna arte adhibita. Quod dũ aliquot à filio cõtinuatur diebus animaduertit pater, os eius subflauescere, atq; illi metuens, an bene se, an satis ualide haberet sciscitatur. respondet ille & bene & ualide, ac tum uehementius multo quàm ante literis incumbit. multum noctu uigilat. matutinus è lecto surgit, totumq; se se ad libros conuertit, ac nihilominus singulis diebus plusculum è polline in faciem insufflat, atq; nõ ita multo post, languere se simulat. Quo cognito pater uetuit illum ex eo ad Grammaticum proficisci, malle enim filium sibi illiteratum uiuere, quàm ob causam literarum in tenera eũ ætate amittere. Quod puer igitur simulando effecit, an non efficiet & religiosus, & senex, præsertim sub speciem bonitatis, ac sanctimoniæ? Videas quosdam cũ nulla nõ parte corporis contaminati sint præ se ferre summã continentiam, alios qui cum sint langori, ac desidiæ dediti, fortitudinem & quandam quasi uiuendi rusticitatem simulent, hos mirificam integritatem, cum sint corruptissimi, illos eximium in deum cultum, cum ab omni clàm abhoreant pietate, nonnullos lacrimari, cum in miserabilem aliquem inciderint, ac miserari eum, hacq; arte occulere animi sæuitiam, nefariasq; cogitationes, haud paucos, quorum auaritiã, atq; occultas fœnerationes abscondat simulata liberalitas, erogatæq; inter mẽdicantes, atq; in triuijs stipes. Plurimorũ peruersa consilia, artisq; dolosissimas obuelat templorũ quotidiana frequentatio, aut obtegit nequissimas insusurrationes, uiuendi humilitas quædã, aut multũ in circulis silẽtium, aut coràm ficta quæda de singulis benedicentia.

Itaq; rarissimi illi quidem sunt, ad quos non penetret simulatio, Quodq; flagitiosissimũ est, ad permulta uerisimilius simulanda nũc religionis adhibent uincula, nunc affinitatis, amicitiæ'ue. Quæ si persequar, an erit aliud, quàm uelle iras hominum in me, ac maleuolentiam prouocare? Itaq; satis nobis esse potest, hæc attigisse, quæ et inquirenda diligentius, et accusanda liberius sacerdotibus relinquimus, qui ea ab confitentibus quotidie intellegunt, ac Prædicatoribus, quorum est officium, coràm, atq; in templis de ijs liberius disserere, maioreq; cum licentia. Nec tamen hoc in loco fabella nobis deerit, eaq; diuulgatissima, fuisse in parte Italiæ Iannem quendam proauorum nostrorum temporibus, qui inter pastores assiduus, agrestesq; alios diuersaretur. eum autem consuesse die, cum aut aries feroculus offerretur, aut uitulus, uitabũdũ fugitare eum, contremiscereq; ad illius aspectum, atq; hac ratiõe ridiculum sese inter pastores facere, noctu uero profundissimos saltus ingredi ausum, atq; ex armentis uegetum quenq; siue bouem, siue taurum apprehensum cornibus, resteq; illigatum secum trahere, tractumq; socijs tradere deducendum ad fora, mercatusq;, ubi eum uenalem facerent. Iure igitur Vmber meus, mihiq; pnecessarius A. COLOTIVS Bassus, uir & doctus, pariter et iucundus, usurpare consueuit, nec Aquinatem Thomam, nec Ioãnem Scotum plures reliquisse auditores, doctrinæq; suæ sectatore q̃ Ioãnes hic, cui factum sit agnomen à uitellis, imitatores reliqt, ac discipulos.

De Mercatoribus.

Transeamus ad mercatores, quorum non pauci sunt, quos parum iuuet lucrari, nec multum ipsi possint proficere, nisi (ut Cicero ait) admodũ mentiantur, quin & mendatio addunt iurisiurandi religionem, nec uerbis solum, uerum etiam scriptis. annotationibusq;, dum qui pannus Italicus est, aut Hispanus, Gallicum eum ementiuntur, aut Britannicum, quoties genus panni aliquod maiori est in pretio. Idem in linteis seruant, ac sericis. Qui equorum, qui mularum mercaturam exercent, compungunt & equos, & mulas eius generis notis, de quo maxima est opinio. Itaq; uix aliquod genus est mercis, in quo non prĩmũ sibi locum mendaciũ pepererit, potissimaq; apud mertatores laus est, scire et multũ, et caute fingere. Quo effectum est, ut fides mercatoria, quæ antea maxime habebatur integra, nunc fluxa sit admodũ, ac fragilis. Annibal ĩsidijs maxime, ac fraude grassatus est. Quotusq; est hodie præsertim, dux, imperatorq; exercitus, q non fraude nitatur,

insidiosisq; consilijs? Cæsar cum in Africam uenisset, dicitur cunctatior factus ad conserẽdas manus propter dolos Afrorum hominum. Itaq; simulatio rerũ, uerborumq;, atq; consiliorum in omni artium genere, ac negotiorũ, facultatumq; præcipue regnat, quasi non etiam in disciplinis, quod sophismata ipsa docent, ut iam ueritas non in abdito, atq; in puteo delitescat, ut Democritus dictitabat, uerũ sophistarum laqueis præpedita, ac fallacijs prodire in lucem, atq; in libertatem nequeat. Iã uero pontificum, regum, dominorũ, ac principũ hominum aulæ ac domus (ut q; hodie dicuntur) curiæ, simulationibus ac fallacijs, mendacissimisq; susurrationibus, ijsdemq; nocentissimus infectæ sunt, ut uideatur ueritas ab illorum regijs exterminata, neq; bonus quisquã habeatur curialis atq; aulicus, nisi q et mẽtiri admodũ, et pro loco ac tẽpore uultũ fingere, ac lenocinari scierit. Quo effectũ est, ut quæ maximorũ uirorũ domus est, sit eadẽ simulationis, ac mẽdacij.

De Dissimulatoribus.

Dissimulatorum studiũ longe ab his diuersum est, moresq; item alij. Hi enim quæ insunt, quæq; dicta, aut facta sunt, aut parte ex omni inficiantur, aut de ijs multum detrahunt, deq; uero quantum possunt, deducunt. Itaq; quam illi dant operam, ut ueris ficta affingant ac falsa, tam hi ex aduerso in id intendunt, ut uel prorsus abnegent quæ uera sunt, quod dissimulatoris est proprium, aut uehementius imminuta ut eleuent. Nesciam tamen quomodo sæpenumero qui dissimulator est, sit item diuersa tamen ratione simulator. Nam & Iunius Brutus sapientiam dissimulauit, & cum minime esset stultus eum se se gessit, moresq; eos induit, ut Brutus à ciuibus uocaretur. Proindeq; idem hic & simulator dici, & dissimulator potest. Illud tamen interest, qđ hic inficiatur, ille affingit. Sunt igitur dissimulatores quidem huiusmodi. Alexander postquam ab Hammone redijt, Iouis se se esse filiũ uoluit. quid hac ostentatione insolentius? Scipio cum audiret Iouis quoq; se & haberi, & dici filiũ, ijs dictis aures ea cum modestia adhibere est solitus, ut inficiari id nullo modo uideri aut posset, aut uellet. Audio de maioribus natu sacerdotes quosdam, quiq; ab ordine Fratres dicũtur, quiq; post obitum inter sanctos relati fuere decreto Romanorum Pontificum, cum uiuerent, interrogatos an uera essent quæ de ipsis ferrentur miracula, solitos respondere, deum esse qui & ipse miracula faceret, et bonis uiris eorũdẽ faciẽdorũ uim infunderet. Quæ cũ modestia quædã potius q̃ inficiatio dici possit, uidetur dissimulationis quædam species, ad uirtutem tamen referenda, cum modestiæ sit,

ciuilisq́; cuiusdam siue urbanitatis, siue tractabilitatis plena, qua Socratem præcipue fuisse usum legimus. Qua è re eiuscemodi homines à maioribus nostris dicti sunt Ironici, effectumq́; est, ut Ironia species quædam sit uirtutis, de qua post dicemus.

Dissimulatorum plura esse genera.

Sunt autem dissimulatorum genera quædam, eaq; perniciosissima in ciuitatibus, ac populis. Cum alios uideas, qui sub liberalitatis speciem ipsi quidẽ sint largitiosi, hacq́; ratione studeant clientelis, q̄bus ciues alios opprimant, seq́; efficiant quàm potentissimos, Alios qui dum publica negotia, resq́; ciuitatis maxime difficiles, atq; erumnosas diligentissime pariter, ac fortissime obeunt, maximisq́; pro patria sese obiectant periculis, clàm regno studeant, Illos, qui suscipiendis miserorũ patrocinijs, ac popularium causis, factionibus clanculum dent operã, Hos eroganda inter pauperrimos atq; egentissimos quosdam stipe, quo sub speciẽ minutissimæ, ac uulgatissimæ erogationis, fœnus occulant, ac ciues, aduenas, peregrinos clàm excarnificent. Disserentem Mediolani de religione, deq́; hominum moribus Bernardinum, quem merita ipsa inter diuos retulerunt, adhibat sæpius, hortabaturq́; mercator quidam, ut multus esset in abominando fœnore, laborare enim urbem ipsa nimio plus eo morbo. Itaq; dũ Bernardinus mores, uitamq́; exquirit hominis, comperit perditissimum eum esse fœneratorum omnium, illudq́; agere, quo cæteris deterritis, liberior ipsi uni fœnerãdi relinqueretur prouincia. Horũ igitur omnium perinde ut turpe est admodum, ac perniciosum urbibus genus, sic etiam multiplex est, ac diuersum. Videre etiam licet (ut inquit Cicero) plerosq; non tam natura liberales, quàm quadam gloria ductos, ut benefice uideantur facere multa, quæ proficisci ab ostentatione magisquam à uoluntate uideantur. Talis autem simulatio uanitati coniunctior, quàm aut liberalitati, aut honestati. Quod idem dicere de ijs liceat, qui appetitum uoluptatis occultant, honorumq́; dissimulant cupiditatem, quippe qui ostẽtatores uideantur, magisquam temperati, ac continentes. Cognitũ ipsi habemus hominem Iurisconsultum, iure, iniuriaq́; corradentem undiq;, summaq́; pressum auaritia, deq́; deo ac religione Chistiana male omnino qui sentiat, diebus tamen ferè singulis, siue pro templo, siue pro domus suæ foribus mane, mendicantibus cõpluribus de manu nummulum singulatim præbere, qua ratione, et auaritiam celet, & animum à religione prorsus alienum. Qua cogitatione, ac facto quid

perditus

perditius dicas, ac peruersius? Sub sanctitatis autem, ac continentiæ opinione quantum mali foueret, frater Hieronymus Ferrariensis ex ordine beatissimi, ac maxime sancti uiri Dominici, declarauit, nuper populus ipse quem subduxerat, Florentinus, cuius decreto morte & quidem acerbissima, atrocissimisq; cruciatibus excarnificatus est. Itaq; uitium hoc dissimulationis late quidem patens est, ac perpauci quidem sunt, quemcunq; siue ciuium ordinem, siue sacerdotum, aut principum inspicias, in quo non inuenire Suffenum possis, ne Valerij Catulli siue scomma, siue maledictum aspernari uideamur. Qui igitur dissimulatorum sint conatus, studia, proposita, iam uidetis. Sub Ferdinando Neapolitanorum Rege agebat Caietæ in Cœnobio Gerardus quidã, qui septimum in diẽ cibo abstinere cõsueuisset, ac potu, indeq; sanctus habebatur, ac deo carus. Venerabatur illum populus, utq; eum adorarent, frequentes ad eum finitimis conueniebant ex oppidis, Tãtam hanc hominum opinionem cœnobitæ adaugebant, propter munera quæ templo offerebantur. Misit ad eam rem perspiciendam Ferdinãdus Masium Aquosam & perspicacem, & abunde expertum uirũ, cuius etiam fides esset quàm perspectissima. Is dies nocteisq; cum illo septem eodem simul in cubiculo cum egisset, summa cum uigilantia & cura, comperit tandem, & capitis illum, et stomachi pituita laborare, nimiaq; de humectatione, quo è uicio appetẽdi cibi uis illa cõsopita iaceret, ac penè extincta, esseq; siue ieiunium illud, siue abstinentiam ad morbum, malumq; corporis habitum referendam, uanosq; illos esse, rerumq; religionis ostentatores, qui persuadere conarentur Genios, hoc est Angelos uictum ad illum quotidianum ferre, ciboq; diuino pascere. Sub Alphonso Rege Ferdinandi huius patre eandem hanc abstinentiam cum ostentaret alius quidã, cuius nomen è memoria excidit, adhibitaq; esset cura, nequid esculenti potusq; ad illum inferretur, cõpertum postea est sub speciem nocturni luminis (erat enim hibernũ tempus) uictitare interim illũ è candelis nocturni luminis causa sum ministratis, quæ è succaro cinnamoq; constarent, atq; è gallinarum pectoribus minutissime contusis, seuo tamen super illito.

Dissimulationem aliquando esse ostentationem.

Quid? ꝙ interdũ dissimulatio & ipsa quidem ostentatio quædam est, cuiusmodi esse generis Aristoteles Laconicum arbitratur uestitum, sub illa nanq; modicitate delitescere elationem, ac superbos spiritus. Qua de re parcius loquor propter sanctissimos Heremitas, patresq; illos, et

tanquam fundatores Christianæ religionis Paulum, Antonium, Malchum, Sabam, Onofrium, aliosq; post hos innumerabiles, in ysq; tot post seculis Franciscum, quorum paupertas continentia, simplicitas, sanctitas, uita omnis deniq; uisa est nobilitasse hominum imbecillitatē, maximeq; languescenteis eorum roborasse conatus. Tali igitur sub modicitate, ac uestitus sorde nō pauci olim Philosophiæ professores pessima quædam exempla prodiderunt. Vtq; de alijs taceam, Neronis Augusti temporibus Publius Egnatius Stoicā professus est sectam, quo maiorem sibi fidem in accusandis tum ciuibus alijs, tum etiam senatoribus compararet. Vtinam ne ætate etiam nostra sub hac quoque specie atq; habitu turpiora magisq; profana admitterentur. Videas hodie quosdam minutissima, ac sordidissima quædam uel obstinate dissimulare, quod ea ad uirtutem ipsi (ut sunt animo imbecillo admodum, atq; abiecto) referant, publicamq; ad commendationem. Quócirca dissilant ea, dum è dissimulatione, ac reticentia magis, magisq; cōmendatum iri ea existimant, qui meo quidem iudicio non degeneres modo, atq; abiecti, uerum nullius esse uideantur pretij, déq; cœtu prorsus hominum eijciendi. commendabatur religiosis ex his quidam, quod ieiunia traduceret ternis tantū cariculis, ac nucibus, aquæq; cyatulo, cūq; antistes id ex eo sciscitaretur, sat ipsi scimus, tantum hoc illum respōdisse, demisso uultu, uoce quàm maxime depressa, & languida, miserum se peccatorem esse. quid dissimulantius, imo quid inanius? atq; apud recte sentientes contemptibilius? Risit antistes hominis inanem ostentationem, & ut aliam insisteret uiam, quæ ad cœlum ferret, commonuit. Iacobus Zanes, negotiator Venetus multa amplaq; negotia Neapoli cum administraret, cerneretq; Gasparem Rauennianum singulis diebus sub matutinum tempus uisitare templa, interesse rebus diuinis, sacraq; dum celebrarentur, intentissimū illum esse legendis Dauiticis psalmis, captus imo deceptus (ut res ipsa docuit) uiri moribus, non paruam illi pecuniæ summam credidit administrandam, de qua post ratione habita lucrum, compendiaq; partirentur, ut mercatorum mos esset. Gaspar accepta pecunia, cum aduenisset reddendæ rationis tempus, risui Iacobum habuit, quippe qui non pecuniam modo abnegauerit, uerum ignorare se illum dixerit, Cumq; Iacobus mercatoribus ab alijs accusaretur, non me inquit Gaspar decepit, sed Gasparis libellus, lectioq; illius suspiriosa. Itaq; uix aliqua uitæ species est, ad quā se se dissimulatio nō insinuet, quod nō ita multis post annis Frater Franciscus Hispanus docuit. Is quamuis rudis, atq; indoctus, tractus tamen audacia, atq; ambitione pulpitum ascendere est ausus,

tantoq́; siue fastu, siue temeritate, palàm ut asseueraret, prædicare se de religione, Christianisq́; de rebus, docente ac dictante Angelo, cuius admonitu & futura quædam prædiceret, & qui cum diuis in cœlo è mortuis agerent, qui rursus apud inferos cruciarentur, sciret, ac proferret. Deniq; cum Ferdinando persuadere arte nulla, aut ratione posset, ut uniuersam Iudæorum gentem omnino exterminaret è regni finibus, exemplo Ferdinandi patruelis Hispaniarum Regis, Tarenti cum ipse ageret, commentum hoc iniјt, E plumbo tabulam diui Cataldi nomine clanculum à se inscriptam haud Tarento procul in sacello semidiruto sub parietem occuluit. quam triennio post eruendã curauit, corrupto sacerdote, qui diceret in somnis astitisse sibi Cataldum, monstrantem quo in loco tabella esset abdita, commonentemq́; uti cum populo supplice, collegioq́; sacerdotum iret ad effodiendam illam, quam effossam curaret ad regem deferendam, communicandam ab eo uni tantum uiro, quem è suis optimum nosceret, ac maxime fidum, deum enim iratum illi futurum, clademq́;, ac calamitatem immissurum, ni quod in tabula scriptum esset, & cautum, à Rege præstaretur. Scriptum uero ipsum per ambages quasdam, ac latebricosa uerba eò spectabat, uti Iudæorum exterminatio indicaretur, Rex accepta tabula deprehendit fraudem, qua deprehensa minime Franciscum ad eam legendam secum adhibuit, arbitratus eum interpretaturum uerba in eam sententiam, dissimulauitq́; rem ipsam summa cum taciturnitate ac prudentia. At Franciscus re cognita furore percitus, quod tantum commentum falsum eum habuisset, non populo, nõ Regi, uix ipsi Cataldo publicis pepercit in prædicationibus, i tantumq́; excanduit, ut Italia fermè omnis, ipseq́; in primis Romanus Pontifex de tabulæ huius fuerit inuentione solicitus, atq; anxius. Itaq; uitiј huius uis adeo culta, & potens est, neq; omnino animaduersa, ut non modo interdum in ostentationem se se conuertat, uerum etiam in spiritus superbissimos, execrabilemq́; animorum impotentiam. Quãquam autem Aristoteles recte putat ueraci ostentatorem magis aduersari, longiusq́; ab illo digredi, utpote deteriorem, non minus tamẽ difficile est ab his ipsis cauere, cum eorum morbus uix appareat, ostentatio uero ipsa se se patefaciat, id quod nomen etiam ipsum declarat. Velle autem hæc ulterius prosequi, nec utile esse ducimus, nec necessariũ. uideriq́; abunde satis potest, planè nos ostendisse, quot, & quæ genera sint, species'ue eorum omnium, atq; in quibus uersentur, differant'ue, aut conueniant, quiq; sint tũ mendaces, tũ ueri, simulatoresq́;, ac dissimulatores. Nam de Ironicis alibi expressius disputabitur.

Quoniam autem prudentia dux est, ac magistra actionum humanarum omnium, moraliumq; uirtutum, illud non uidetur praetereundum, prudentiam ipsam pro loco, tempore, negotijs, administrationibus, periculis, proq; persona, quam geremus, tum exigere, tum etiam praecipere uti nunc simulemus, contra nunc dissimulemus, nunc ueritatem occulamus, nunc quae uera nullo modo sunt & fingamus, & asseueremus. Quae res efficit, ut fingere interdum, simulare, dissimulare, inficiari, celare, ostentare, demere, accumulare, dum tamen prudentia id exigat, dandum sit uirtuti. Sunt & actiones ipsae ad finem referēdae, nam & Solon publicae rei gratia furorem simulauit, & Brutus, de quo diximus, stultitiam, & sapientissimi rerum publicarum administratores in maxime periculosis casibus hilaritatem fingunt, quae autem aduersa, celant, quae ficta & laeta, efferenda in publicum curant. Nec medici sanandis aegris, quo illos habeant obtemperatores, magisq; abstinentes, non & ipsi multa se se dubitare, aut euētura praeter opinionem fingunt, aut contra uel optimam illis pollicentur spem, licet ipsi de illorum salute nullam prorsus spem habeant praesertim in pestilentibus, ac desperatis morbis. Deniq; nullo ab hominum genere, nullis ab administratoribus plura aut simulantur, aut dissimulātur, quàm ab exercituum ducibus, rerumq; administratoribus bellicarū. Quarum rerum tum Latinae, Graecaeq; historiae, tum barbarae repletae sunt exemplis.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE SERMONE LIBER TERTIVS.

Vnde ductæ sint facetiæ, ac facetudo.

d E Facetudine igitur dicturi, quam mediocritatem esse quandam primo libro ostendimus, ne à nobis ipsis descisse uideamur, ab origine quidẽ ipsa, nominisq́; exordiemur deductione. Verbum ipsum Facio, unde Facetiæ ductæ sunt, apud priscos illos & Latinos, et Romanos homines i maxima fuit, frequẽtissimáq; usurpatione. Itaq; & pacem, & bellum, et fœdus, & inducias facere dixerunt, et delicias, & ludos, & nuptias, & conuiuia, & abortum, & domum, & templa, & porticum, & nomina, & id genus penè innumerabilia. In his autem & uerba facere, & uersus, & orationem, & iocos. Indéq; qui in comitijs, in consultationibus, in senatu, in concionibus uerba cum grauitate facerent, cumq; dignitate, & copia, Facundos dixere, & uirtutem eam Facundiam, ut iam diximus, quam Plautus (quo Romanam locupletaret linguam) etiam Facunditatem appellauit à facunda uidelicet oratione. Qui uero in circulis, congressionibus, conuiuijs, communibusq́; in sermonibus, ac consuetudinibus ad iocunditatem solum, animorumq́; recreationem cum moderatione & gratia, Facetos, qui etiam dicta ipsa appellauere Facetias, habitũ uero reliquere innominatum, quem nobis appellare tum Facetudinem, ac Facetiem placuit, tum etiam Facetitatem.

Facetudinem uirtutem esse.

V irtutem autem hanc esse illud præcipue docet, quod in sermonibus, cõgressionibusq́; ineundis, in habenda item oratione siue ad multos, siue ad paucos, popularibusq́; in concionibus & laudamur ubi mediocritatem seruauerimus, & uituperamur, cum secus. Quod si mediocritas ea est, ut quidem est, inter duo uti extrema constituatur oportet. Quæ igitur ea sint, quærendum est diligentius. Nec mutus igitur opponetur faceto, quippe cum mutus non solum non facetus esse, uerum minime queat fari. Qua è re nequaquam etiam opponi ei potest, qui ætate sit infans, cum hic ipse infans non sit locutione cassus, uerũ adhuc inhabilis ad bene exactéq; loquendum. Itaq; neq; infantia aduersabitur facetudini. Parte ex alia multo ei minus aduersa erit loquaci-

tas, de qua supra est dictum. Quod uitium in sermone ipso, ipsáq; in
loquendi serie generalem quendam locum habet, magis quàm in io-
cis, ac dicterijs. labitur enim in excessum non iocandi, uerum impli-
candi sermonis, blacterandǽq; orationis gratia. Cum igitur circa io-
cos sermonisq; iucunditatem ac leporem, circáq; urbanitatem ac comi
tatem uersari facetum dicimus, si rusticitatem ei opposuerimus, parum
fortasse rei ipsius significantiam adimplebimus. Cum rusticitas ipsa re
ctius opponatur urbanitati, ipsáq; urbanitas sit facetudinis siue pars
quædam, siue species, sin illepiditatem, idem erit peccatum, quod illepi
ditas aduersa tantum est lepori, qui dictorum comes est, ac facetiarum.
multo etiam minus opponenda illi est insuauitas, quippe cum suauitas
ipsa in saporibus quoq; uersetur, inq; attactu, & risu, & gustatione,
& à nobis libris quidem superioribus non pauca dicta sint, è qui-
bus iudicari possit & quid quæratur, & quale. Quærimus enim (cū
ad laborem hinc nati simus, illinc ad relaxationem, cumq; iucunda
sint nobis amica, tristia uero inimica ac permolesta) et requietē inter
labores, ac cessationem, & à molestijs, curisq; grauioribus relaxa-
tionem, quandamq; quasi uacuitatem. Cum igitur qui sint urbani, qui
comes, lepidiq;, qui item aut blandi, aut festiui, sit à nobis abunde ostē
sum, & quid, & quantum, & qua etiam uia differant inter se, nimi
rum genus aliquod esse oportet, quod ab his ipsis constituatur, ut quem-
admodum contingit in auaritia, plures enim auarorum sunt species
(quod cum de Liberalitate ageremus, planè aperuimus) Sic illorum
quoq; non una est consideratio, qui iocis utuntur, delectanturq; uerbo
rum iucunditate, ac lenocinijs. Itaq; qui omnes iocandi partes cum me-
diocritate fuerit consecutus, hunc quidem ut ab omni parte in hoc ipso
genere absolutum, facetum esse uolumus, ut qui omnem complexus sit
auaritiam, auarum. Quanquam & auaros, et facetos etiam dicimus,
qui partem fuerint aliquam assecuti siue facetudinis, siue auaritiæ.
Quippe cum & species insit generi, & genus mutuo in species distri-
buatur. Quócirca habitū ipsum quamuis nouo qdē, nó improprio, ta
men nomine, uti superius explicatum est, appellandum ducimus. His
autem hunc in modum expositis, pro nostra consuetudine, institutoq;
ab ipsis tanquam incunabulis facetū instituemus, nihil omittentes eorū
quæ conducere, remq; ad ipsam explanandam magis magisq; facere
intellegantur.

De Principijs, & causis uirtutis huius.

Principio res nostræ omnes positæ sunt in motu. Motus autẽ ipse trahit nos ad agendum. Actio uero suapte natura est laboriosa. Causæ uero quæ ad agendum nos trahunt & utiles sunt, & uoluptatem præ se ferunt, naturaliter enim & utilia appetuntur & iucunda. Itaq; & utilia, & iucunda appetitionibus proposita sunt nostris. Et utilia quidem ipsa uix assequimur sine labore atq; insudatione. Labor uero, actioq; omnis cum non sit absq; defatigatione, tum cessationem requirit, refocillationemq; quasi quandam inter agendum, tum requietem postquam ad finem peruentum fuerit. Itaq; & in progressione rerũ recreatio quæritur, & in exitu quies. Recreationes autem ipsæ, ac refocillationes, quietesq; tum è rebus constant. ut cum euentus ipsi rerũ felices sunt, atq; è sententia, tum è uerbis, dictisq;, cum ea iucunditatẽ afferunt, ac delinitionem & dicendo, et audiendo, contra molestiam, tristitiam, mœstitudinem, ubi & acerba fuerint, & erumnosa, animumq; ipsum conficientia, Quócirca non è rebus solum, uerum etiã è dictis tum utilia manant, tum etiam iucunda. Manant autem è rebus utilia, ac iucunda, ut cum res ipsæ fructum nobis afferunt, & cum profectu pariter iucunditatem, aut cum uoluptatem tantummodo. Manant item è dictis pariter, ut cum apud prætorem amicus nobis adest in causa apud iudicem, patrocinioq; suo causam tuetur, paritq; ex ea tum utile, tum iucundum. quid enim uictoria iucundius? Sed nos hac in parte de ijs tantum dictis, ac uerbis rationem habemus, quæ communi in consuetudine, animorum relaxationem quærunt, atq; ab labore remissionem, ipsisq; à molestijs. Quócirca dictiones huiusmodi nostræ, quæ in contrahenda uita, hominumq; uersantur societate, aut rigidæ ipsæ sunt, rusticæ, acerbæ, nimisq; agrestes, animosq; ipsos & perturbant, & grauius etiam afficiunt, nedum ut recreatio ni aduersentur, quæ naturaliter, & sponte nostra quæritur, aut cum delectare illæ quidem student, id potius agunt, ut iocandi mediocritate relicta, aut turpe, obscœnumq; aliquid, aut parum consideratum, atq; ingratum eorum qui audiunt, auribus infunditant, quod ruborem afferat, aut stomachum moueat, aut nos ad eius qui dicit, ac dictorũ eius irrisionem, ac contemptum inducant. Vtrunq; sanè uitiosum, quippe cum agrestis ille, ac rigidus naturæ ipsi aduersetur, quæ cum relaxationem à labore quærat, ipse contra molestiis eam prægrauet. hic scurrilis, atque obscœnus (cum honestas à natu-

ra, rationeq; ab ipsa proposita nobis sit) & illam dictis suis fœdet, et se dum iucundum exhibere debet ac gratum, ridiculum potius apud audientes efficiat, ac contemptibilem, cogatq; auditorem ciuilibus præditum moribus, atq; ingenuum ad demittendum os, atq; oculos in humum, ad auresq; auertendas ob dictorum obscœnitatem, dicentisq; ipsius aut conuiciationem, aut impudentiam, garrulitatemq;. Vtrinq; eni ita peccatur, ut alter mediocritatem defugiat, alter illam prægrediatur, cum indecentia, atq; astantium irrisione. Et hunc qui de moribus scripsere, Scurram uocitant, qui Græce est βωμολόχος, habitumq; Scurrilitatem, illum uero alterum Rusticum, nam Græce est ἄγριος, defectumq; ipsum Rusticitatem. De quibus, deq; habitu medio antequam dicimus, non temere pauca quædam præfabimur, quæ cognitu digna quidem sunt, atq; in ipso explicandi ingressu iure suo edisserenda.

Conciliabula inter ciues fieri aut utilis, aut iucundi gratia.

Quod homines igitur natura sunt ipsa sociabiles, atq; in unum conueniunt, tuendæ rei tum publicæ, tum priuatæ gratia, hinc quoq; tametsi de utilitate minime agitur, congregantur tamen unà nūc pauci admodum, nunc complures, tum ut naturæ ipsi morem gerant, ac rerum necessitati, tum ut susceptorum delinitionem laborum inueniant, ac molestiarū. Itaq; conciliabula ipsa, conuentusq; aliâs utilitatis, aliâs relaxationis tantū fiunt gratia, quibus in ipsis ridicularia utiq; quæritātur, sedationesq; animorū, ac uitæ difficilioris recreatio, quin ēt defatigationū ipsarum siue intermissio, siue soporatio quasi quædam. His itaq; siue conuentibus, ac conciliabulis, ciuiumq; siue paucorum, siue multorum communioni et cœtui, siue etiam conuictui, atq; consessioni, propter refocillationem, ioci præposita sunt, uerborumq; relaxamenta, & priuata quædā (ut ita dixerim) spectacula, dicteriaq; theatralia. Oēm autem et colloquendi, et congrediendi, et dicēdi siue affabilitatem, festiuitatemq;, atq; urbanitatem, siue comitatem, leporem, iucunditatemq; quæ in iis exerceatur, deq; iisdem manet profluatq; ex dicendo ad ioca prorsus dictaq; iocularia, atq; ad facetias identidē referenda ducimus.

Triplex esse iocandi genus.

Iocandi autem in eiusmodi tum conciliationibus, tum coronis, triplex genus statuimus, & quod seruile, maximeq; degenerans est, quales ser

uorũ ſunt ioci, qualis ẽt affabilitas eo hominum genere digna, ut Gymnaſium flagri ſalueto. Quid ais cuſtos carceris. o' catenarum colone. o' uirgarũ laſciuia. Et, Nũ me illuc ducas ubi lapis lapidem terit? ubi uiuos homines mortui incurſitant boues? Et, Vt miſer eſt homo qui amat, imo uero hercle qui pendet multo miſerior. Et, Noctem tuam, et uini cadum. Quorum quidem dictorum & Græcæ & Latinæ comœdiæ ſunt perplenæ, Et quod inter ruſticos uerſatur, urbaniſq; à moribus alienos homines, Siquidem horum iocis ac dictis ut alibi ruditas quædam ineſt, atq; ineptitudo, ſic alibi illiberalitas ingenuo uiro nullo modo digna. Vtq; ex Caſina Plauti depromantur exempla, Dũ gladium quæro ne habeat, arripio capulum. Sed cum cogito, non habuit gladium, nam eſſet frigidus, eloquere. at pudet. num radix fuit? non fuit. num cucumis. profecto hercle non fuit quicquam holerum, niſi quicquid erat calamitas profecto attigerat nunquam, ita quicquid erat, grande erat. Singula dicta rus olent, & in ore uillici, & in ore item matronæ, quæ & ipſa ruſticabatur iocandi gratia. At quod ſequitur non caret illiberalitate, Illa haud uerbum facit, et ſæpit ueſte id qui eſtis, ubi illum ſaltum uideo ob ſæptum, rogo ut alterum ſinat adire. Quod dictum quamuis illiberale, haud tamen illiberaliter expreſſum, ſed uerbis quidem ſuis, ac ruſticanis. Quale etiam & illud, Fundum alienum arat, famliarem incultum deſerit. Tertio autem generi liberalitas ineſt, ac ſuauitas illa honeſtæ iudicunditatis comes, tantunm'q; ab ruſticitate remota, quantũ ruſticanis à moribus urbani abſunt, tantum'q; ab ſeruilitate aliena, quantum ab ingenuitate atq; à libertate ſeruitus. Et huiuſmodi quidẽ ioci materia ſunt in qua tum facetudo uerſatur ut genus, tum ut ſpecies eiuſdem, feſtiuitas, lepos, comitas, urbanitas, cuiq; ab affandi ſuauitate nomen eſt affabilitati.

In iocando adhibendum eſſe delectum.

Ipſa autem ioca nimirũ alia ſenum ſunt, alia iuuenum, alia eorũ qui magiſtratũ gerunt, pretio'q; dignam perſonã, alia priuatorum, habent'q; hæc ipſa ut fructus poma'q; ſua quoq; tempora, ſua etiã loca, nec carẽt auditorũ conſideratione ac conſidẽtiũ, nequaquam enim oĩa omni aut tẽpore, aut loco, aut quacunq; in audientia, ac conſeſſu decent. Itaq; nõ digna ſolũ eſſe debẽt dictu, uerũ etiã auditu, quæq; neutiq; aut ridiculũ faciãt dicentem, aut contemptibilẽ, aut quæ moleſtia afficiãt auditorẽ, cũ ex iocis relaxatio quæratur, minime uero tædiũ, aut moleſtia.

Siquidem ipsis in consessionibus ac circulis, hominumq; congregatione, quæ ad recreationem animorum, familiaremq; ad affabilitatem fit, & loqui consessores ipsos usuuenit, & audire per uices quasi quadam. Is igitur à dicente delectus iocorum dictorumq; habendus est, ut & suam tueatur, & astantium personam, nec non & ætatis, et temporis, & loci, & rerum ipsarum, ipsiusq; ciuilitatis, in primis uero honesti, decoriq; ratio habeatur, ut (quod in epulis exigitur) nec insulsa sint ioca, nec nimis salsa, quæq; nec ieiuna sint, ac macrescētia, neq; crassa nimis, stomachoq; prorsus ingrata, nanq; ut ea conuicijs careant, ac maledicentia, abhorreantq; ab inuehendo, hoc quoq; ciuilibus & legibus & institutis cautum est, uindicaturq; nunc suppliciis, nunc mulcta. Quod quid est aliud, quàm abuti uelle iocis? qui cum inuenti sint ad refocillationem, eos quis obsecro conuertat, nisi rixator quispiam, ad odia, simultates, contentiones, ac tumultus? Quæ quidem ipsa & tenenda & sequenda sunt faceto, perinde ut recta dictat ratio, eiusq; alumna prudentia, ut & quid, & quantum decet, & quomodo, & quo tempore, quoq; item loco, & apud quos, quæq; item alia delectum comitantur, ad hamussim (ut dici solet) cuncta perpendat, dirigatq; ad normam.

De Altero extremo id est Rusticitate.

His itaq; explicatis primo de ijs dicendum uidetur, quæ in defectu uersantur, quem habitum rerum scriptores moralium Rusticitatem libenter appellauere, neq; improprie sanè, neq; inconsiderate, cum teneritas ipsa iocandi ciuilis admodum res sit, contra rusticorum hominum siue rigiditas, siue iocandi fuga atq; horror, inhumanus ille quidem, ab omniq; iucunditate auersus. Nam & homo ad risum sponte sua instinctus est atq; ad iocum refocillationis gratia, perinde atq; agendi gratia ad seueritatem, & laborem. Neq; enim à Philosophantibus non & apte, & secundum naturam homo risibile animal est dictus, quemadmodum & equus hinnibile, mugibile autem bos. Ad hæc quota laborum est susceptio, quæ non & quietem respectet, & antequam ad exitum qui ipse finis quidam est, peruenerit, & recreationem desideret, & intermissionem quandam, per quam post ad laborem ipsum, susceptumq; ad opus, resurgat robustior, nouatorq; quasi quidam cœptam iam resumat actionem.

Agreſtitatem potius quàm Ruſticitatem opponendam eſſe Facœtudini.

Sed neſciam quomodo Ruſticitas uim ipſam parum omnino implet, eaq́; conueniētius Vrbanitati opponitur, quæ ſpecies quædam eſt, quàm Facœtudini, quæ genus ipſum repræſentat, ipſaq́; Ruſticitas in iocis uerſari potius ruſticanis uidetur, perinde ut in urbanis Vrbanitas, quàm ut Facetiei ſit opponenda. Neminem tamen ab opinione ſua, ſuaq́; à ſententia deterremus, dū tamen æquo patiatur animo Facœtudini nos Agreſtitudinem opponere, ac Faceto Agreſtem, id quod Ariſtotelicum fortaſſe uerbum magis innuit, & Horatius è noſtris, cum ait, Ruſticitas agreſtis et inconcinna, grauisq́;.
Ad ruſticitatem enim addidit & agreſtem, & inconcinnam, & grauem, ut agreſtem dicens rigiditatis uim ruſticitati adiungeret, & incultam, ac grauem agreſtitudinem uocans declararet, qualis ipſa eſſet. Itaq; ut à forti fortitudo eſt deducta, ſic ab agreſti agreſtitudinem deducentes hanc ipſam facœtudini opponemus, Qua ratione id efficitur, ut agreſtitudo ipſa & ruſtica ſit admodum & inconcinna, perq́; quàm grauis ac moleſta. Perinde ut è regione facœtudo eſt urbana admodum, & undiq; concinnata, eademq́; perquam ſuauis & grata. Quis enim inficias eat, rura qui inhabitent & colant, ruſticos appellandos, perinde ut qui urbem incolant, urbanos? At agri cum à cultu humano plerunq; propter finiū uaſtitatem ſqualeſcant, magisq́; à feris frequententur, quàm ab hominibus, inde agreſtitas ipſa feris ſimilior quàm hominibus, & feras res Græci, ἀγρίας uocant. Quo'circa Agreſtitudinem, uel ſi fortaſſe magis te Agreſtitas delectauerit, extremum alterum Facœtudinis eſſe uolumus.

De Agreſti, & Agreſtitudine.

Agreſtis autem proprium eſt uiri tum abhorrere à dicendis facetijs, atq; à iocando, tum etiam ab audiendis quæ cum iucunditate dicantur. Quamobrem huiuſmodi hominum conſuetudines difficiles ſunt, & parum gratæ, uitaq; eorum triſtior, nec omnino ſociabilis, ut uideantur cum natura ipſa parum conſentire, quæ ut ſomnum dedit animalibus ad recreationem ſenſuum omnium, ſic tribuit homini & locutionem, non ad utilitatem modo conciliationis, atque ad eam conſeruandam, uerum etiam ad recreationem laborum ac

molestiarum, quae plurimae contingunt in uita agenda, atq; in geren
dis rebus. Est autem Agrestitatis ipsius comes ruditas quaedam inci-
uilis ac male accepta, nec minus & morositas. Eiusmodi enim homi-
nes non modo circa iocos & dicta, uerum etiam circa consuetudines,
ac facta difficiles sunt, parūq; omnino accommodantes alijs, aut indul
gentes, duri ipsi quidem, acerbi, inconditi, atq; ab omni genere urbani
tatis alieni, ut ex omni ferè uitae parte agrestes sint iudicandi, Qui si
quando in dictum prorumpant aliquod (homines enim sunt, quibus
natura nec risum negauit, nec iocum) tametsi hac in parte manci pror
sus sunt, ac deficientes, eorum tamen dicta aut rusticana quidem erūt,
incondita, rudia, aut maledica, conuiciosa, & tanquam à morositate
profecta, quaeq; aut lacessant, aut mordicent, aut ita sordescant ut ri
sui habeantur, atq; contemptui.

De Fatuis, Insulsis, & Inconditis.

Horum quoq; sunt è numero qui tum Fatui dicuntur, tum Insulsi. quo-
rum quidem dicta non modo salem non habeant, uerum in eo defi-
ciant, ut risum nullo modo pariant, quē ubi forte pepererint, id acci-
det non è dicendi suauitate, uerum ab insulsitate potius ipsa, quae ri-
diculos illos reddat ac despicabiles. Insulsi autem, ac Fatui penè ijdē
sunt, differunt tamen quod Insulsorum sale quidem ioci careant,
cum salsi tamen ipsi esse cupiant, Fatuis uero natura ab ipsa pa-
rum concessum sit, id ipsum assequi posse, perinde ut holeribus qui
busdam, quibus negatum est condimentum accipere, quod quamuis
nonnunquam accipiant, nihilominus incondita tunc quoq; appa-
reant, unde & ijdem inconditi dicuntur, quando incondita, atque
insulsa absq; sapore sunt.

De Ineptis.

His adiungas licet etiam Ineptos quosdam, quorum tamen dicta forsan
ipsa per se delectarent, sunt tamen parum apte inconcinniterq;, aut
sine delectu pronuntiata. Sed inepti nomen ad multa ac diuersa per-
tinet, nam & risus, & gestus, & uestitus ineptus dicitur, ne dum ut
ineptus aut sermo dicatur, aut iocus. Hi autem ipsi quod neq; in dicen
do, neque in iocando, aut tempus, aut locum, aut dignitatem ser-
uant suam, Inepti inde uocati, ex eo etiam inepti pictores, Poëtae
item inepti qui dignitatem minime suam retineant in pingendo,
ac describendo. Itaque ineptitudo neutiq; dictorum est ac iocorum
tantum,

tantum, uerum ad plura refertur ac diuersa. Quo fit, ut in utendis quoq; iocis ridicularibusq; qui à dignitate discedũt, ac persona, ipsoq; ab decoro, ac tum à rerum, ac temporum, tum uero à locorum, atq; audientium delectu, obseruationeq; et ipsi inepti dicantur, quid enim uetat rem eandem alias ob causas aliam atq; aliam habere rationem?

De Triuialitate.

Nam neq; ruditas solum in hoc uersatur uitio, neq; tantum rigiditas, fatuitas, insulsitasq;, sed Triuialitas quoq; quædam, eaq; non in ridicularibus modo, uerum etiam in serijs ac grauibus rebus. Existit autem Triuialitas circa popularia, & peruulgata quædam, eaq; etiam sordida. Itaq; & apud doctos homines, et uersatos inter urbis atq; aulæ mores, ridiculo q eiusmodi sunt, habentur, ac despicatui. Sunt enim eorum dicta non modo frigida, sententiæq; penè aniles, uerum etiam răcentes, et penè dixerim, marcadæ. sunt ex his quoq; qui dum iocari student, ruptare eos uerba potius dicas, fœtereq; illorum dicta, ac confabulationes, quod tamen uitium nunc ad rusticatatem quidem referre possis, nunc uero ad scurrilitatem. Sed scurræ id ipsum & quæritant, & affectant, ut uidemus histriones in comœdijs. labuntur enim uolentes ad excessum, cum rustica quandoq; studeant ipsi quidẽ uelle iocari, uerum ita in hoc deficiunt, ut ruptare eos dicas magis quàm iocari. habent tamen & hi aliquando auditores sui studiosos. Quocirca Horatius propter tempora (ut arbitror) & aulam illam Augusti, ridet quædam apud Plautum, quæ frigida tunc haberentur forsan et ruptatilia. Sed nos dum uitia, defectusq; hac in parte diligentius exquirimus, nimij fortasse sumus. Quocirca qualis hic ipse habitus sit, quales qui eo sint præditi, hactenus explicatum sit. Hinc ad diuersum, & huic contrarium uitium, quod de excessu profluit, transeamus.

De altero extremo, hoc est Scurrilitate.

Scurrilitatem eam maiores nostri (ut dictum est) uocauere, & qui ita sit affectus, Scurram, Atq; hic quidem nequaquam accusandus uideatur, quia delectare dictis suis ac iocis consessores studeat, et tanquam recreare à curis ac solicitudinibus, uerum ex eo quod nec modum in ijs retinet, nec mensuram, dumq; iocari queat, ac risum mouere, hinc

honestatis modestiæq; digreditur è uia, illinc uellicat astantes, ac molestia afficit, et pturbat potius quàm delectet, aut recreet, ut finis eius nequaquam sit refocillare facetijs, ac iucundis dictis, sed quouis modo risum mouere, dumq; delectet, parum omnino curat alios lacessere ac suggillare. Itaq; facetudinis è curriculo digressus, ac decori ipsius delectusq;, de quo paulo est ante dictum oblitus delabitur ad oscenitatem, dicacitatem, spurcitiam. Siquidē scurrarum ipsorum non una est species, de quibus sigillatim ordineq; dicemus suo. Cum enim ipsi à iocandi, ac dicendi excessu rapiantur, huic uni tantum student, & alij quidem relicta prorsus mediocritate, decoriq; ipsius, ac temporis, lociq; & item personæ immemores id tantum quærunt, ut & uideantur, & iudicentur faceti, in quo (ut dixi) nihil omnino pensi habentes, uanitate quadam ducti nomen uix ipsi suum, ac certum habent, Alij q uideri uelint tum oblectare, tum etiam uellicare, ac mordicus petere, siue ultioni studentes, siue ut maledicant, molestiamq; ingenerent, cum natura sint ab ipsa incōmodantes, siue ut inde timeantur, lucrumq; ex eo referant, & hi quidem Dicaces, uitiumq; ipsum Dicacitas, Alij uero q nequaquā molesti uideri, aut mordaces uelint, nec quo oblectent per se, uerum dum placent, fructum ut inde aliquem referant, hiq; Arrisores appellari fortasse possunt, cum uultu quàm uerbis ut placeant magis dent operam, uitium autem ipsum Arrisio. Alij contra, his ut displiceant, illis ut placeant, alijs ut gratificentur, alios ut derideant, summo contendunt studio, hiq; Derisores, & habitus ipse Derisio iure suo uocabitur. Sunt quibus curæ sit Oscenitas, hoc est dicta parum modesta. eaque nec uerecunda, nec proba, quæque impudentiam præ se ferant, & à modestis auditoribus non sine rubore audiantur, oculorumq; demissione, cū uerba ipsa sint oscena, ac res ipsæ sæpenumero osceniores. Quod uitium ab Oscis idest antiquissimus Cāpaniæ populis manasse uolunt, unde hodie quoq; uindemiarum temporibus hoc ipsum uitium, ipsaq; oscenitas regnare apud Campanos uidetur. Quosdam non tantum oscena, uerū etiam spurca capiunt, estq; eorū studiū spurcari, hoc est impuris & iocis & dictis diffluere, ut non iucunditas eos moueat, sed turpitudo potius ipsa tum rerum, tum uerborum intemperata ac deformis explicatio. ipsi Spurci uocati, uitiumq; ipsum Spurcitia. His accedunt maligni quidam, naturaq; etiam ab ipsa ad maledicendum procliues, ad detrahendūq; habitu atq; exercitatione confirmati, quorum dicta non pungant modo, uerum & urant, & pustulas inducant, atq; carcinomata, nec careant aut ueneno, aut aperta petulan-

tia, morsibusq; uiperinis. Videbuntur autem hi ipsi duplici fortasse appellatione usurpandi, alteriq; Petulantes, alteri uero Ampullosi, ut Petulantes magis declinent ad oscenitatem, atq; intemperantiam, Ampullosi ad maledicentiam, ac detractionem, quorũ dicta ueteres Ampullas nominarunt. Erit autem alterius habitus Petulantia. alterius nomen Ampullositas, utrunq; à natura ipsa rei ductum. Hæc autem ferè scurrarum uidentur esse genera, quorum deformatissimi quidem sunt qui apud principum mensas, inq; dominantium aulis uersantur, non modo rei familiaris ampliandæ gratia, quod tolerabilius quidem uideatur, uerum ut uentri satisfaciant atq; ebrietati, hiq; facile quidem in omnem turpitudinem dilabantur gulæ ac uentris studio, Græco nomine nunc Parasiti uocati, nunc Sycophantæ, uitiumq; ipsum Parasitatio, ac Sycophantia.

Longius distare à medio Agrestem, quàm Scurram.

Abest autem Agrestis à mediocritate, multo quidem quàm Scurra longius, quod huic modus tantum deest, ac mensura, illa quidem quæ mediocritatem gignit, quam ubi sectari uoluerint, atque ad illam regredi, facile ipse quidem facetus erit. At agrestis ex omni profecto parte adeo deficiens est, ut nullo pacto accedere ad mediocritatem queat, aut illam assequi, quippe cui omnia simul desint. Inter hæc igitur uitia uirtus ipsa, de qua loquimur, sic constituta est, ut alterum illum qui agrestis dicitur, ab se repellat tanquam fugientem à medio, quiq; reuocari ad illud aut nullo modo possit, aut sit omnino difficillimum, alterum uero ut scurram, oscenum, spurcum ad se se reuocet, perinde ut lõgius à signis digressum, ipsaq; ab mediocritate, quam circa uirtutem quidem omnem uersari moralem, uel mediocritatem ipsam potius uirtutem esse satis inter omnes constat, qui recte quidem phisophati sunt.

De Facetis.

Est igitur Faceti hominis proprium in dictis, factisq;, in serijs ac iocis, in dicendo atq; audiendo quæ ad recreationem spectent, animorumq; relaxationé, in conuictibus, consessionibusq;, atq; in congressibus, ipsisq; in circulis, atq; hominũ coronis, collocutionibusq; mediocritatem sequi, è qua id assequitur, ut facetus ipse iure suo et sit et habeatur, eoq; sese

uestiat habitu, quam Facetudinem uocari diximus, quo de habitu ipse sibi nomen desumat, ut qui sub Cæsare siue eques, siue pedes militarit, miles dictus est Cæsarianus, qui sub Pompeio Pompeianus, aut sub Mario, Sylla'ue, siue Marianus, siue Syllanus. Habitus eni ipse ipsaq; insignia militem quidem ostendunt, cuius uidelicet sit factionis, in agendo uero actiones ipsæ ciuilem atq; urbanum hominem, Nam & ioculatio, & dictorum familiaris iucundaq; inuicem usurpatio actiones quidem sunt, moresq; et ipsæ nostros determinant, ut à facetis dictis, iocisq; suauioribus dicamur faceti, à scurrilibus scurræ, ab agrestibus agrestes, perinde ut à nimio pecuniæ studio, atq; habendi cupiditate auari, ab usu mediocri, & recto liberales, ab diffluentia uero, ac dissipatione diffluentes, atq; effusi. Facetorum igitur hominum ea est mediocritas, ut delectũ, de quo diximus, cum primis seruent. Seruabunt autem illum, si personæ propriæ, auditorumq;, loci item, ac temporis dignitatem retinuerint, ut neque in dicendo, iocandoq; procaces fuerint, petulantes, immodici, intempestiui, osceni, spurci, ampullosi, neq; in audiendo aut detestabuntur iucunde ac concinne dicta, aut aures auertent à lepide atq; urbane pronunciatis, Vtq; dum mediocritatem assequi ipsam nequeunt, ne rusticentur, ne'ue efficiãtur insulsi, rancidi, hircosi, quorum etiam dicta culinam oleant.

De dictorum, iocorumq; diuersitate.

Ipsa autem dicta ac ioca quæ ad relaxationẽ pertinent (ut generaliter de ijs loquamur) nequaquam uniusmodi quidem sunt, licet ad refocillationem curarum spectent ac requietem. Siquidem alia sponte sua, atq; ex tempore profluunt, alia tanquam prouocata, atq; excita extrinsecus in responsionibus sunt posita. ut cum Gn. Pompeius salse, aculeateq; (sicuti ante diximus) interrogauit, Vbi gener est tuus Cicero? non minus argute, ac morsiculate ab illo responsum est, Vbi & socer est Pompei tuus. Eiusdem est generis responsum ab homine reddituum uiatore nec agreste, nec illepidum, salsum tamen, Cum enim offenso pede ad lapidem crus fregisset, imploraretq; opem à prætereuntibus, respondissetq; ex illis maior natu quispiam, deus tibi ipse & opem et suppetias ferat, Tũ ille subdidit. Nec dei, nec cœlitum cuiuspiam è numero auxilium peto, hominis tantum hac prætereuntis peto. Vtriusq; autem generis diuersæ admodum sunt species, quippe cum dicta ipsa alia sub increpationis speciem risum moueant, quale

ueant, quale Plautinum illud, Iste quidem gradus subcretus est cribro pollinario. Itemq́; Vicistis cochleam tarditudine, Alia quæ è difficultate peragendæ rei, ac frustratione deliniant auditorem, quale illud, Himbrem in cribrum geras. Aut quæ ex annominatione. ut, Ecquid is homo scitus est? plebiscitū non æque est scitum. et, Hic equus non in arcem, uerum in arcam faciet impetum. Paulus Marchesius Neapolitanus, clari nominis Iurisconsultus cum audiret notum sibi hominem, quiq́; breui patrimonium omne dissipasset, ad diuortiū ab uxore cōpelli, quod is (ut erat rei ueneree inhabilis) post aliquot annos matrimonium non consumasset, Mirum inquit, cur matrimonium non consumarit, qui patrimonium tam cito consumpserit. Sunt quæ ab probrositate pariant iucunditatem, quale hoc, Noctu in uigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul, conueniebat ne in uaginā tuam machera militis? Aut à cauillatione. ut, Cistella hic mihi adolescens euolauit. In cauea latam oportuit. Aut ab illusione, ut cum ille dixisset, Vox ad auris aduolauit, tum alter, Næ ego infelix fui, qui non alas interuelli. Volucrem uocem gestito. Interdum ex perplexitate uerborum. ut, Non ex uxore natam uxoris filiam. Alibi ex retorsione maledicti. ut, Ve tibi. hoc testamento seruitus legat tibi. & retorsit maledictum, & testatorum usus est similitudine ac uerbis. et, Eos asinos prædicas uetulos, claudos, quibus subtritæ ad fœmina iam erant ungulæ. ipsos qui tibi subuectabant rure uirgas ulmeas. Nonnunquam ex uerborum nouitate. ut, Quid istæ quæ uesti quotannis nomina inueniunt noua. tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium, indusitam, patagiatam, calthulam, aut croculam supparum, aut subminiam ricam, basilicum, aut exoticum cumatile, aut plumatile, cerinum aut gerrinum, gerræ maximæ. cani quoq; ademptum est nomen. uocant Laconicum. Iucundissima sanè tum effictio nominum, tū innouatio muliebrium uestimentorum, ex ore præsertim serui subdoli, ac ueteratoris. Aliquando ex cautione. ut, Caue sis cum filia mea copulari hanc, diuertunt mores uirginis longe à lupa, Aut ex contēptu, atq; aspernatione. ut, Hæc negat tuam esse matrem. ne fuat, si nō uult, equidem hac inuita tamen ero matris filia.

De locis unde ducuntur dicta, ac facetiæ.

Habent igitur ridicularia, quæq́; Dicta uocantur, ac Facetiæ locos suos, unde deducantur, quemadmodum & argumenta apud Dialecticos, in quibus ostendendis si aliquantum uersabimur (nam ut omnia colli-

gamus esset profecto laboris magis affectati, quàm necessarij) uidebitur fortasse non omnino alienum, præsertim cum à maioribus nostris pars hæc non fuerit omnino neglecta. Puer Florentinus et argutus & perurbanus adductus ante sacerdotem Cardinalem iocandi gratia, multa cum facete admodum, nec minus etiam scite dixisset, sacerdos'q; ipse ad amicum qui astabat conuersus susurrasset, huiusmodi pueros consuesse ubi ad ætatem peruenissent robustiorem, ingenio subcrassescere. Næ inquit ó bone Cardinalis puerulum te oportuit scitum fuisse admodum. Dictum itaq; in se puer in sacerdotem rotorsit, magna cum auditorum hilaritate & risu. Est apud Plautum dictum & salsum, & bene argutum. Prodigum te fuisse oportet in adolescentia, quia senecta ætate mendicas malum. Locus hic ipse quidem in ipsa rerum natura constitutus est. Siquidem initio qui sunt prodigi, necesse est eos effusa prodigenter pecunia, tandem egere. Antonius Panhormita suauis admodum uir interrogatus ad rem uxoriam iucunde concorditer'q; agendam, quibus nam maxime opus esse duceret? sumpto argumento à frequentia molestiarum, ac magnitudine, quæ in uita contingerent coniugali, duobus tantum opus esse respondit, uir ut aurium surditate teneretur, uxor uero ut oculis esset capta. ne altera uidelicet inspiceret quæ à marito intemperanter fierent plurima, alter ne audiret obgannientem assiduo domi uxorem. Nicolaus Porcinarius prætor admodum seuerus tris cum torsisset eadem de causa reos, adductus'q; esset quartus ad funem, interrogauit, quo is esset nomine, respondit illico reus, sibi nomen esse Sextodecimo. Demiratus Nicolaus raritatem cum esset nominis, subdidit ille, À re ipsa, rei'q; ipsius euentu nomen mihi hoc obtingit prætor, nam cum tres illi quaternatim, hoc est duodecies funiculo ante me contorti sint, nimirũ sextadecima mihi tortura sortito obuenit. Quo qdẽ dicto delectatus ille, à supplicio temperauit. Et facete & extemporaliter sumptus est iocandi locus ab enumeratione torturarum, quæ posset & animum mouere, & iram temperare. Puella & modesta, & catula cum ab muliere quadam iracunda atq; annosa non solum amaris, uerum etiam impudentibus incesseretur dictis, Quando inquit (ut uideo) abundas annis mulier, pudoris'q; egena es admodum, te hortor ut huiusce sumas aliquid alicũde mutuum. Locus sumptus à consuetudine eorum, qui cum pecuniæ egeant, illam sumunt mutuã. Homuntio & dicaculus ipse quidem, & coronis assuetus, ingressus domum conspicatur uxorem amatori implexam, cuius ex humeris nudata crusciula, pedes autem calceolati dependerent. Tum illle O' mea in-

quit uxorcula, ut beneficis, ut rei familiari utiliter consulis, hac enim ratione toto anno ne par quidem calceolorũ ipsa conteres, nulliq; rei futura est tibi necessaria sutoris opera. Et huius quidem ioci sedes in utilitate collocata est. Consentinus ciuis callidus admodum, ac uersutus questus est apud equitum præfectum, surreptam sibi noctu fuisse equam, quam clàm quidem præfectus ipse surripi iussisset. Respõsum est illi à præfecto, atq; imperatum, ut in ea conquirenda nihil omitteretur diligentiæ & operæ. cæterum quo illa clam extra oppidum incognita aliò traduceretur, & freno instrui, & phaleris ornari splendidioribus eam iussit. quæ cum paulum modo extra portam processisset, cœnosumq; incidisset in locum, corruit, resupinato corpore, cognitaq; est à domino, qui illic forte obseruabat. Is itaq; comparatis statim subligaculis, quas (ni fallor) hodie bracas uocant, statim ad præfectũ rediens, Ego inquit heri & precatoris personam apud te, & supplicis gessi, hodie uero & adiutor aduenio, & consiliarius. Ecca tibi subligacula, quibus uti posthac tuto poteris ad equas à furtis uindicandas, sexumq; obtegendum. Dicti huius sedem constitutam esse in instrumento & ornatu parum idoneo quis non uidet, prætoriaq; in turpitudine? Ludouicus Galliæ Rex Caroli eius pater, qui paucis ante annis regnũ Neapolitanum armis occupauit, filiam collocauerat Aurelienſi Ludouico. Ea cum deformis esset, ac parum uenusta, atq; patre coràm forma eius à uiro præter modum commendaretur, sensit socer inesse generi uerbis spicula, quæ quo retunderet, ab obliquo gladij aciem obiecit, Et hoc inquit laudibus istis adijce, uxorem tuam pudicissimæ esse matris filiam. Erat enim constans opinio, Aurelienſis matrem parũ pudice se se habuisse, quippe quæ priore uiro mortuo, familiari eius nupsisset, qui cum uiuo illo se se immiscuerat. Meis è tribulibus quispiam abunde comis, cum hospes uociferantem diutius uxorem eius, rixantemq; cum ancillis parum æque ferret, conuersus ipse ad hospitem, Ecqua inquit amice impatientia est tua? duos & triginta annos huius clamores diesq; ac noctes æquissime ipse perfero, tu uero ne deieculæ quidẽ sextantem ferre eam potes? quo dicto et hospitem lenijt, & uxorem ab ira ad risum conuertit. Quæ iocandi occasio ab incusatiõe sumpta ẽ, atq; ab exẽplo. Diuerterat aliqñ familiaris quidã meus peregre iter faciẽs ad meritoriã. apposita est ei cœna oĩ è parte holitoria, uinũ item dilutissimum, omnia demum administrata parcissime. postquam autem cœnauit, iussit uocari ad se medicum ad mercedem capiendam. igitur caupo cum respondisset, Ecquid (malum) in uiculo maxime agresti medicum requiris? Ibi ille, Num neo' bone, te te

ipsum ignoras? quo sit igitur merces operæ suæ par, medici pretium accipe, non cauponis, quando ut ægrotum me pauisti in cœnula. Ab irrisione & contemptu deductum est dictum. Eiusdem est generis quod subijcio. Homo Hispanus uasto admodum, nedum procero corpore, prætereuntem nanulum irridebat, conuersus itaq; ad eum nanulus percontatur, quo ipse esset nomine. Cum respondisset, Rodoricillo sibi nomen parentes fecisse, Tum ore quàm maxime prõpto nanulus, Atqui inquit parentes istos tuos maxime omnium mendicos fuisse oportet, qui in tanta nominum copia, in te appellitando tanta inopia laborauerint. Subdiderim & aliud non iniucundum, ex eodem fonte. Diuerterat ad meritoriam Pyrrhiniculus Vasco, atq; apposita mensa anaticulum uersabat in lancibus, perbelle unctum, atq; halliatum. ingreditur repente ad illum uiator Hispanus, iniectisq; in anaticulum oculis, potes inquit o' amice aduenientem comiter amicum accipere. Ibi tum Pyrrhiniculus quo nomine ipse esset, exquirit. Audenter ille, ac iactabundus, Alopantius inquit Ausimarchides Hiberoneus Alorchides. Papè tum Pyrrhiniculus, quatuor ne auicula hæc heroibus, et quidem Hispanis? absit iniuria. ea Pyrrhiniculo satis est uni. minutos enim decent minuta. Idem hic, de quo dixi, familiaris aliquãdo peregre proficiscẽs i cubile incidit, ab cimicibus simul, plurimoq; a' pulice insessum. Itaq; ubi paulum modo quieuisset, excitatus ab illorum aculeatissimis demorsiunculis, euocato caupone petijt falcem sibi ab eo afferri. Cum ille quam ad rem opus ea esset, percontaretur. qua inquit excidam senticetum, quod mihi nocte hac excidendum locasti. sẽtes, & spinas ad cimices transtulit ac pulices, cubile autem ad senticetum. Alphõsus Hispaniæ citerioris, itemq; Neapolitanorum Rex uenationi cum esset admodum deditus, percontareturq; Antonium Panhormitam sciscitabundus, qui Neapoli essent nobiles uiri uenandi studiosi, si qui item scriptores de natura canum aliquid prodidissent. Næ tu inquit Rex ad latus habes rerum harum omnium prudentissimum uirum, ne aliunde quærites, quippe qui annos supra quadraginta cum hoc genere animalium sit ita conuersatus, ut noctis quoq; ipsas cum canicula cubitauerit. hic tibi & canum naturas describet, & illorum instituendorum artes. Erat autem is eques Neapolitanus, quẽ honoris gratia ne nominauerim. Cumq; his dictis surrisisset, Antonius indicauit sub caniculæ nomine uxorem illius significari, mulierum omnium clamosissimam, pariter ac rabiosissimam. Quod dictũ & Alphonsum, & qui circùm stabant omnes maximum in risum, extẽporalitate ipsa prouocauit, ut illic per iocum ac festiuitatem, enar-

rata fuerit historia, coniugalis siue uitæ, siue captiuitatis. Obuersabatur ante oculos Ludouico Pontano, sui temporis Iurisconsultorũ præstantissimo litigator mirifice importunus, cui & nasus esset simor, & barba admodum promissa, & hispida. Cum hic igitur Ludouicum salutasset, ac de more percontatus esset, ut ualeret ipse, ac familia? ut salui essent, quos amaret domestici? canes illi duos uenaticos, egregie etiam phaleratos, ac copulatim iunctos dono dedit. Ad ea Ludouicus, & recte ualere suos omnes respondit, & gratias egit de canibus, ac statim ore quàm maxime renidenti, Tu uero inquit mi hirquicule, ut pacate, ut salubriter tuo cum grege? qui lupis illum, abductis canibus, incustoditum reliqueris. Vides quàm belle, quàm urbane in barbam ac nares iocatus sit, atq; in gregem destitutum. Federicus Rex Neapolitanorum usus est magistro epistolarum, utq; hodie dicunt, Secretario Vitho Pisanello. Is erat capillo crispo, qualis Aethiopibus esse solet. Forte inter Federicum & Prosperum Columnam exercitus eius ducem sermo inciderat de hominum applicationibus, naturæq; ipsius signis quibusdam, eorumq; obseruatione. Cumq; in referendis illis Federicus dixisset, fieri uix posse, cui crispus erat capillus, quin idem aut musicus esset, aut deprauata ac parum constanti mente, Tum Prosper, per Christum inquit ó Rex, Vithulus hic quidem tuus haudquaquam musicus est. Argute admodũ, atq; aculeate. nanq; ex aduersatione sequebatur, laborare illum mentis infirmitate, ac peruersitate animi. Valentinum scortillum effi- ctim cum amaretur ab adolescente parum pecunioso, peteretq; ille ab ea noctem, præsensq; deesset pecunia, ac noctis pretium, de quo fidei suæ tamen ut staret rogabat in triduum persoluendo. Tum ea nudato femore, an tibi inquit mercimonium hoc uideatur fidei tantum accredendum? Ibi adolescens, nudato è uagina sua capulo, confestim subdidit, Num nam mercatori huic fides adhibenda non ẽ sua? Ioci huius sedes in translatione collocata est à mercatoribus sumpta, innititurq; consimilitudini. Rodoricus Carrasius (ut sunt pleriq; Valentini ciues tum senes, tum iuuenes amoribus dediti ac delitijs) licet octogenarius iam, exercebat se se ad tibiam. præteriens ante eius fores Rebolleta, homo cum primis suauis ac facetus, Quis inquit ó pueri hic ad choreas instituitur? Cum respondissent, Rodoricum dare operam choralistio. Næ inquit Rodoricus nuntium ab orco accepit, ludos apud manes apparari, ac festos dies. Dicendi ac ridendi argumentum omne ab annositate ductum. Quibus igitur è locis dicta ipsa deducantur, quibusq; in sedibus collocata sint, ex ijs

quæ dicta sunt, facile est intelligere. Perinde autem ut natura ipsa
terræ agrorumq́; diuersitatem ingenerat succi ac saporum, sic loco
rum quoq; positura nunc dicteriorum acumen gignit, nunc salsitatem
aut leporem, alias autem alius atq; alius tum iucunditatis condimen
tum, tum iocandi uoluptatem ac delitias, neq; unius quidem aut
generis, aut modi. Iam dudum (inquit ille apud Plautum) sputo
sanguinem. Refertur ei statim à collocutore. Resinam ex melle Ae
gyptiam uorato. Item alibi, Dic mihi, solent ne tibi oculi unquã
duri fieri? Quid? tu locustam esse censes homo ignauissime? Quid
his ridiculosius? Quid illo autem lepidius? Is odos demissis pedibus
in cœlum uolat. Eum in odorem cœnat Iupiter quotidie. Odor de-
missis pedibus? peccaui insciens, quia demissis naribus uolui dicere.
Quid hoc quàm est populare, ac simplex. Hæ oues uolunt uos.
prodigium hoc quidem est, humana cum nos uoce appellant oues.
Contra quid illo argutius? Quin fles? Pumiceos oculos habes. Et ali
bi, Genus nostrum semper siccoculum fuit. Non'ne & illud suauis-
simum? Hodie' me in ludum recepi literarium. ternas scio iam.
Quid ternas? Amo. Et illa quoq; cum primis ad risum alliciunt.
Quisquis homo huc uenerit, pugnos edat. Apage non placet
me hoc noctis esse, cœnaui modo. Et, Gestiunt pugni mihi. Si in
me exerciturus, quæso in parietem ut primum domes. Item Amphi-
tryo redire ad naues melius est nos. qua gratia? quia domi nemo
daturus est prandium aduenientibus. Qui tibi nunc istud in mentem
uenit? Quia enim sero aduenimus. Qui? quod Alcmenam ante oculos
stare saturam intelligo. Itaq; pro natura locorum unde ducuntur, di-
cteria ipsa qualitatem sortiuntur, ac saporem. Ipsæ autem sedes con-
stitutæ sunt tum in rebus, tum in uerbis. In uerbis, quale hoc, Vt ualẽ
tula est, penè me exposuit cubito. Cubitum ergo ire uult. Et, Num me-
dicus quæso es? Imo ædepol una litera plusquam medicus. Et, Adue
nisti audaciæ columen consutis dolis. Imo consutis tunicis aduenio, non
dolis. In rebus, ut, Si neq; hic, neq; Acheronti sum, ubi sum. nusquam
gentium? Item, Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini
autem brachium. Nunc cogito utrum me dicam ducere medicum, an fa
brum? Et, Non placet mihi cœna quæ bilem mouet. Quid quod loci
quidam constant ipsi quidem è rebus ac uerbis unà immistis. Quale
est hoc, Credo alium in aliam belluam hominem uortier. Ille in colũ
bam credo leno uortitur, nam in columbari collũ haud multo post erit.
Pro locis igitur, proq́; rebus, ac uerbis dicta ipsa succulenta sunt. hinc
alia (ut dictum est) salem habent, alia leporem, alia aut mordicant,

aut uellicant, quædam uero titillant. alia prima fronte risum mouent, alia diutius uersata relinquunt in animo sedationem quasi quandam. Sunt quæ ruborem afferant, quæ contra animum erigant, aut moneant, aut dehortentur. De quibus singulis uelle minutatim differere, licet superuacaneum uideatur, cum eorum admonuisse satis quidem uideri possit, Tamen si aliquantum etiam in ijs uersabimur, nec tibi quidem, nec si qui forte alij rerum harum lectores futuri sunt, ingratum fore arbitramur. Illud tamen satis liquet, in uerborum concinnitate ac ui plurimum quidem repositum esse siue ad delectandum, molestiasq; lepore tantum ipso sedandas, siue ad uulnerandũ, saleq; illinẽdas plagas, siue ad retorquenda iacula, relinquendam'ue suspitionem absconditi risus ac ioci, notæ'ue pudendæ tũ cicatrices inurendas, tũ mentis ipsius clàm quidẽ cruciandæ acerrimos morsus, torturasq; grauissimas.

De Valerij Martialis Poëtæ dictis.

Valerius Martialis artificiosissimus epigrammatum scriptor ita in ijs quidem iocatus est, ut frequentius carpat, quàm delectet, tametsi è de morsione ipsa delectatio quoq; paritur. Adhæc dictis eius partim occultissima quædam insunt spicula, partim uerba quæ non solum à faceto sint aliena, uerum aut obscena ipsa admodum, scurriliaq;, aut maxime ampullosa & acida, quod quidem Hispanicum est, Nam et si Hispani cum primis sunt facetiarum studiosi, tamen si populares respexeris ac plebeios gentis eius homines, inuenies eorum iocos non tam propendere in lusum, ac delicias, quàm in submorsiones, magisq; spectare in inuectiuas, & subsannationes, quàm in risum, uoluptatemq; è iucunditate conceptam, quæ in facetis uiris tenerrima quidẽ est. Sũt tamen dicta eius in uniuersum arguta, subtiliterq; conquisita. abstrusæ sententiæ, eædemq; raræ, salsæ, aculeatæ. inuentio uero maxime acuta. uerba autem præcipue accommodata, quæq; non prima tantum facie, atq; in ipso explicatu lectorem alliciant, atq; auditorem, uerum quæ in eius animo relinquant tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilo tamen minus in ijs non pauca quidem animaduertas, quæ digna prorsus sint facetis, ac temperatis ciuibus, retineantq; decorum illud, quod uirtutis huius, de qua præcipimus, maxime est proprium, Quale illud quod & iucundum simul, & salsum est, risumq; uenuste pariter atq; honeste mouet, ac uel in ore etiam matronæ non dedecet.

Vnguentum fateor bonum dedisti
conuiuis here, sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Hic uere mihi mortuus uidetur.

Est & illud quoq; eiusdem generis in Cæcilianum.

Quicquid ponitur, hinc & inde uerris,
Mammas suminis, imbricemq; porci,
Communemq; duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumq; totum,
Murenæq; latus, femurq; pulli,
Stillantemq; alica sua palumbum.
Hæc cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Vllus si pudor est, repone cœnam.
Cras te Cæciliane non uocaui.

Itemq; & aliud undiq; quidem & suaue, & bellum.

Quod fronte Selium nubila uides Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus,
Lugubre quiddam quod tacet piger uultus,
Quod penè terram tangit indecens nasus,
Et dextra pectus pulsat, & comam uellit,
Non ille amici fata luget, aut fratris,
Vterq; natus uiuit, & precor uiuat,
Salua est & uxor, sarcinæq;, seruiq;,
Nihil colonus, uillicusq; decoxit,
Mœroris igitur causa quæ est? domi cœnat.

Et hoc quoq; quod subdam licet admodum mordax, plenum tamen est uenustatis ac leporis, quippe quod siue lectum, siue auditum mirifice delectat, exilaratq; tum legentem, tum etiam qui audit.

Garris in aurem semper omnibus Cinna,
Garris & illud teste quod licet turba,
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras.
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.
Adeo ne penitus sedit hic tibi morbus,
Vt sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes?

Summe autem urbanum hoc, & lepidum.

Spectabat modo solus inter omnes,

Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusq;
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente coelo.
Albis spectat Horatius lacernis.

Profluunt autem hæc dictorum genera fonte ex eo, qui nõ una quidem, & tenui manat scatebra, uerum uberiore quæ decurrat, ac præterlabatur riuo, nec paucis dictum ipsum constat uerbis, uerum compluribus. At illud & breue, & mordax, et perquam salsum, obscœnum tamen, nec conuentu honestorum uirorum dignum.

Os & labra tibi linguit Manuela catellus,
Non miror, merdas si libet esse cani.

Quod dictum non tam res ipsæ, quàm uerba scurrile efficiunt atque degenerosum.

Est & illud eiusdem generis, minus tamen obscœnum.

Quod fellas, & aquam potas, nil Lesbia peccas.
Qua tibi parte opus est Lesbia sumis aquam.

At illud neq; obscœnum, neq; honesta hominum consessione indignum.

Formosam faciem nigro medicamine uelas,
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede deam uerbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, uel tunicata laua.

Sunt apud eundem Poëtam dicta et quidem non pauca, quibus sub uelo abscondita insint spicula, eaq; peracuta. Quale hoc,

De nullo quereris, nulli maledicis Apici,
Rumor ait linguæ te tamen esse malæ. Itemq;,
Versiculos in me narratur scribere Cinna,
Non scribit cuius carmina nemo legit.

In hoc uero manifesta apparet, seq; ostentat mordacitas.

Credi uirgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis uideri,
Cum sis improbior Massiliane,
Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos, Et in hoc item,
Nulli Thaï negas, sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat Thai negare nihil.

Illa uero uideri possunt, fortasse etiam iure suo frigida.

Omnis quas habuit Fabiane Liquoris amicas
Extulit uxori fiat amica meæ. Item,

M illia misisti mihi sex, bissena petenti,
Vt bissena feram, bis duodena petam.

A t hoc cum primis ridiculum, tametsi minime uacuum est obscœnitate.

I nfantem secum semper tua Bassa Fabulle
Collocat, & lusus, deliciasq; uocat,
E t quod mireris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? pædere Bassa solet.

I llud uero prima fronte quanquam est perfamiliare ac facetum, latet in eo tamen etiam maledicentia, accusatioq; impotentiæ.

H ospes eras nostri semper Matho Tiburtini.
Hoc emis. imposui. rus tibi uendo tuum.

E iusmodi sunt igitur Martialis dicta, ut pleraque multum habeant sa lis, nec minus fellis, atque ampullosi, proq; loco & iocentur, & delectent, interdum ruborem inducant, magis quàm risum, alia uero quæ non pruritum tantum exciant, aut titillatum, uerum etiam petulantiam præ se ferant, lususq; parum omnino modestos. Persæpe autem uerecundari ita nescit, ut uel aperte scurretur, nec solũ inuidere sicophantis uideatur ac parasitis, uerum etiam mimis. Adeo autem cuncta hæc complexus est genera, estq; in ijs ita frequẽs, et mul tus, ut alijs in eiusmodi iocis ludẽdi præripuisse uideri uelit materiã. A' nobis autem cum mediocritas parte in hac quæratur, defugianturq; extrema, alia dictorum tum genera quærenda sunt, tum species, quæ facetorum sint omnino propria. Vtq; Valerij huius dicta, parte quidem non exigua institutioni huic nostræ parum consentiunt, Sic & Marci Ciceronis quædã ẽt explodenda, quippe quæ Oratori magis conueniant ad uictoriam causæ comparandam, quàm ad eam animorum relaxationem, quæ à nobis cum honestate ac dignitate quæritur, cuiusq; insita est hominibus à natura appetitio. Itaq; quid & quomodo Cicero de ijs sentiat à nobis prætereundum non est.

Duo esse secundum Ciceronem facetiarum genera.

L egitur autem apud eum duo esse genera facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum, et breue, illamq; Cauillationem à ueteribus appellatam, alteram uero hanc Dicacitatem, utranque tamen leuem rem esse, quando leue prorsus sit risum mouere. Nihilo tamen minus in causis multum persæpe lepore ac facetijs Antonio authore profici. In neutra uero artem ipsam quippiam habere loci, quando in illo genere perpetuæ festiuitatis ars non

desideratur, naturam enim ipsam fingere homines, & creare imitatores, & narratores facetos, & uultu adiuuante, & uoce, & ipso genere sermonis. In altero uero nihil prorsus artem habere quod praestet, Cum ante illud facete dictum emissum hærere deberet, quàm cogitari potuisse uideatur, sitq; in celeritate positum, ac dicto.

Circa dicta, facetiasq; inueniendas artem plurimum ualere.

His igitur in hunc tenorē inter disserendū explicatis, res ipsa nos hortatur, & ostendere artem in dictis quoq; ac facetijs multum habere loci, & exercitationem studiumq; plurimum in his ualere. Primum enim quod in omni actiōe ac uirtute exigitur, id quoq; inter iocandū, utendisq; facetijs seruandum esse, uti delectus habeatur rerum, locorum, personarum, auditorum, temporum, fortunæ item, atq; euentuum, hæc enim ad retinendam atque assequendam mediocritatem cum primis exiguntur. Ipsa uero mediocritas non uirtutes solum constituit, quæ morales dicuntur, uerum etiam eloquentiam, quæq; Græce est Rhetorica, habuitq; tam multos ac maximos authores, et Latine & Græce. Igitur si elocutio quæ constat è uerbis, atque oratione, in præcepta redacta est, habeturq; de ea ratio, & facetudinis quoq; ratio habenda est, tradiq; de ea præcepta possunt, qua enim in re uersatur ratio, in ea quoq; & institutio locum habet. Cum & Oratores ipsi dicant, & lusus iociq; facetorum uocentur etiam à dicendo dicta. Cumq; eloquenter etiam dicendi siue peritia, siue ars, siue doctrina usu comparetur, obseruationeq;, multaq; et in litibus controuersijsq;, & in senatu, popularibusq; concionibus exercitatione, eaq; maxime frequēti ac meditata. Quo fit, ut facete quoq; dicēdi regula sit aliqua, queadmodū & bene & maledicendi, hoc est laudandi, & uituperandi. Non'ne autem si dicta ipsa pleraq; sunt in celeritate posita, & ante quidem emittuntur, quàm cogitari potuisse uideantur, non'ne in quam contingit & hoc quoq; in orandi exercitatione ac peritia? Principia enim hæc ipsa & loquendi Oratorie, & dicendi facete, ac tum ridendi, & hilarescendi, tum dolendi ac lacrimandi in natura posita sunt, ab eaq; proficiscuntur, quibus postea ratio ipsa modum quendam, ac certum eum quidem adhibet, ut quod de amore Ouidius inquit,

Et quæ nunc ratio est, impetus ante fuit.

Etiam ad hæc ipsa trasferri recte possit. Nam & leges modum sta=

tuere funeribus, et ludis simul, ac conuiuijs, & conclamandis quidem funeribus præficæ præponi consueuere, illis uero tum ludorum rationem qui haberent, tum qui essent conuiuendi periti. Quin conuicia, obiurgia, contentionesq; immoderatæ, quædam mulctis, quædam supplicijs coercentur, famosis quoq; de libellis leges sunt editæ, ac plebei scita. Igitur et in facetudine utenda, dictisq; temperandis modus quoq; si reptus est, an id profecto mirũ? an & de dicterijs, ridicularijsq;, ac iocis præcepta tradi nullo modo poterunt? neq; ulla erit eorum tradẽdorũ siue ars, siue doctrina, quæ mediocritatem et doceat, & ostendat, qua ea sit uia & assequenda, & retinenda? ut si principia sunt naturæ, modus tamen ac mensura ratione temperetur, atq; institutione. Nã & pedum incessus ciuili quidẽ homine dignus regulam suam habet, est & sua quoq; gestus temperatio, ac lex. Erit igitur & iocandi suus atq; ingenuo homine dignus modus, ac temperamentum. Nam si facetudo uirtus est quædam, eaq; mediocritas, ut probatum iam est, ea ut institutione constet ac præceptis necesse est, Cũ præsertim nos nequaq̃ Oratoriam quæramus urbanitatem, uerum moralẽ, quæq; ad animorũ refocillationem conducat, eamq; honestam ac laudabilẽ. Natura quoq; nos docet uti argumentationibus, quarum tamen permulta extant præcepta. Estq; illarũ siue ars, siue doctrina, atq; eruditio et magistra et iudex illa, quæ λογικὴ dicitur, nostro aũt nomine tũ disserendi ratio, tũ disertiua. Ipsorũ aũt argumentorum ut sunt sedes, quæ dicũtur loci, eaq; cognitio appellatur tum Localis, ac de locis, tũ Topica, Græca appellatione, Sic etiã dictorũ, ac facetiarũ propriæ sedes sunt, eæq; admodũ certæ, quas si (præterea quæ dicta sunt) diligentius peruestigauerimus, inq; formam etsi nõ absolutam, aliquam tamen redegerimus, non pigebit huius siue laboris, siue studij. Nam & futuros uaticinamur, qui de ijs sint subtilius, atq; enucleatius disserturi.

Aliter Oratoribus, ac Comicis, aliter ingenuis ciuibus facetiarum locos quærendos esse.

Itaq; nec ut Martiali, aut Plauto, nec ut Ciceroni quærendæ nobis sunt facetiæ, siue earum loci, & quasi regiones. Mediocritatem enim quærimus, quæ habitum faceti constituit, non quo aut spectatoribus risum moueamus, aut aucupemur plausum, carminisq; commendatione, aut quo iudices capiamus, ac lepore, facetijsq; in nostram trahamus sententiam, uerum quo urbane ac festiue relaxemus animos. Inuenta enim & constituta sunt conalia, conuentus, circuli,

ac coronæ tum ad utilitatem & communem & priuatam, tum etiã ad iucunditatem, relaxandosq; ab labore, ac curis animos. Tametsi loci ipsi sunt communes, &, quod Cicero dicit, quibus è locis ridicula ducuntur, ex ijsdem graues possunt duci sententiæ, idem nos quoq; sentimus, posse deduci quoq; et quæ dicta in spurcitiam delabantur, atq; scurrilitatem, & quæ in leporem, atq; urbanitatem, Alteri enim loci & rebus, et uerbis modum statuunt, alteri in risum propendent atq; scurrilitatem. Modus igitur his accedere potest ac ratio, quo scurrilitas omnis absit iocantibus. Quod officium delectus est proprium tum in rebus, tum in uerbis. Verum obscœnitas plerũq; est in uerbis, scurrilitas in utrisq; potius, siquidem scurrile habetur, quem minime debeas eum dictis lacessere. Quando (ut est apud Ciceronem) quæ cadere possunt in quos nolis, quamuis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. Nimis igitur salse dicta, aculeataq;, atq; in quos minime conueniat, scurrilia & ipsa sunt. Possunt tamen & faceti homines in concessiniobus, coronisq;, ut qui referant quidem dicta, emissaq; ab alijs, non ut qui ex se se dicant, ingerantq; in quempiam, quandoq; & mordacia afferre in cœtum, quasi ea in memoriam reducant, idq; exẽpli gratia, non tamen mordaciter, scurriliaq; minime scurriliter, scilicet ut uerbis parcatur, & gestibus. Quod in referendis fabellis præcipue usuuenit, ut quæ in illis insint turpia, explicentur non turpiter, interdum uero innuantur, potius quàm dicantur.

Diuisio in Iocos, Dicta, Ridicula, Fabellas.

Quæ quo expressius à nobis ostendantur, ea partiemur in Iocos, in Dicta, in Ridicula, ac Fabellas. Totum autem ipsum genus est iocari. Iocat uero & dictis constant, & ridiculis, & fabellis, ac dicta quidem alia lepida, alia salsa sunt, alia & salsa simul et lepida, alia obscœna, dicacia, eaq; non unius generis, alia breuia, atq; ex uno tantum uerbo, alia è pluribus constituta. Sunt contra inepta quædam, insulsa, fatua, illepida, frigida. itaq; multimoda ipsa quidem sunt, Ridicula quoq; non unius sunt naturæ, alia enim faceta sunt, alia uero minime. Itaq; species hæc indagationi huic nostræ minus congruit, quippe qui relaxationem quæramus, quæ facetudinis est alumna. Fabellæ iucundissimæ ipsæ sunt, atq; ad omne facetiarum genus accommodatæ, locisq; omnibus cogruũt, si non fortasse temporibus, quanquam & temporibus, & item personis, si delectus accesserit, Quarum duplex est genus, unum quod sumptum est à mutis animalibus in exẽplũ, qua-

les Aesopicæ ferè sunt fabulæ, & earum similes, aut à rebus minime sentientibus, ut ab herbis, arboribus, lapidibus. ut quæ in senatum Romanum introducta fuit contentio uentris aduersum cætera corporis membra, ut quæ de Phocione refertur aduersus exactores pecuniæ uiritim conferendæ ad sacros quosdam ludos Athenis publicæ institutos. Alterum, quod siue fictum, siue uerum, uel ut uetus tamen uersatur in ore hominum, uel ut nouum refertur. His (ni forte displicuerit) addam quas aniles dicunt fabulas. quales sunt quæ narrantur ad cunas, atq; infantulorum uigilias, nam & hæ quoq; ubi res ipsa tulerit, afferre iucunditatem possunt. Ponenda quoq; uidentur in hoc ipso genere fabellarum, carmina, & quæ amatoria sunt, & quæ siue ludunt ad citharam, aut tibiam, siue ad uirtutem hortantur, afferunt enim quoquo modo delectationem auditoribus. Nam quid dicendum est de explicationibus historiarum? Qua enim è re maior uoluptas afferri honeste potest, quàm è relatione rerum gestarum? Itaq; persæpe etiam seria relaxationem in consessibus inducunt & laborum, & curarum. Sed hoc fortasse ad facetudinem minime spectauerit, etiam si spectet ad recreationem. De quibus ipsis deinceps quidem dicemus, etiam exemplis propositis.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE SERMONE LIBER QVARTVS.

Oci igitur ſuapte natura iucunditatem pariunt,
ab eadem enim ducuntur uoce, ſunt enim à iu
i uando detractis literis. Hi ubi hilariuſculi fue=
rint, remiſſiores tamen, et curas ſedant, & ani
mos tranquillant, itaq; aſtantes afficiunt ſuauita
te, lepiditate, & ea quæ proprie tum iucunditas dicitur, tum hilaritu
do uocata eſt. Vbi uero uehementiores fuerint, excitant etiam riſum,
qui aliâs ad hilaritatem quidem tantum ſpectat, meramq́; animi reſo
cillationem, aliâs ad irriſionem, atq; contemptum. Irriſio uero, ac de=
ſpicientia oriuntur tum à turpitudine aliqua, deformitateq́; morum
corporis, diſciplinæ, habitus, conſuetudinis, aut facti dicti'ue cuiuſpiã,
ac tum patriæ, tum maiorum, cognatorum, affinium, amicorum, ſo-
dalium. nam quod et indignationẽ quandoq;, ac perturbationes etiã
intemperatiores afferre ſoleant, facetudini ac relaxationi uidetur o-
mnino contrarium, aliâs ab ineptitudine, inſulſitate, frigiditate deſpe
ctum ingenerant. Quod autem hæc ipſa ioca dictis conſtant, uerſan
tur enim in uerbis, ac rebus, hinc dicta ipſa aliâs breuia ſunt, atq;
unius interdum uerbi, aliâs fuſa, uerborum plurimorum, magisq́; cõ
tinuũ in tractum ducta, quæq́; nec riſum ubiq; moueant, tum quia
ſæpenumero è contrario pariunt admirationem, tum quia nec res, nec
uerba eiuſmodi ſunt uirium, nec qui dicit idoneus eſt ad riſum exci-
tandum. Quod autem collocutiones, congreſſusq́; ipſi noſtri conſtant
allocutoribus ac reſponſoribus, ipſeq́; allocutiones plerunq; ſunt ab
initio ignotæ, icirco partes reſpondentis, quod extemporales ſunt, dũ
arguta ſint reſponſa, appareantq́; repentina, & improuiſa, pariunt
etiam cum iucunditate admirationem ac laudẽ, dictisq́; ipſis addũt
plurimum gratiæ, ac leporis. Inductiones uero fabellarum atq; rela
tiones, quod iis natura delectetur, mirifice etiam ſedant animum, &
tanquam defatigatum, ſordentemq́; ſudore in balneis lauant, deter-
guntq́; lauatum. Eſt enim magna in illis uis ad quãcunq; pſuaſionem,
actionemq́;, nedũ ad relaxationẽ, ſedandasq́; ad moleſtias, ac curas.
Quod igitur ĩ natura ſoli, ac terrarũ uſuuenit, alia ut alibi et naſcã=
tur, et coaleſcãt, idẽ in dictis quoq; contingit, ac ridiculis, ut diuerſis è
locis diuerſa deducantur ſiue dicta, ſiue ridicula. Quo fit, ut quoties

naturæ regionum sint cognitæ, sedes'q; è quibus deducuntur facetiæ, materia ipsa præbita sit, ac sumministrata etiam affatim iocari uolentibus. Itaq; nec natura deerit arti, nec ingenium ab arte destituetur, atq; obseruatione, Obseruatio enim pedetentim in præcepta redigitur, ars autem præceptis constat, Quæsi quibusdam in rebus ad summũ, atq; absolutum non peruenit, nec penitus consumata est, quod aut ipsarum rerum infinitas quædam est, aut quod tum negligentia est i causa, tum rerum difficultas, tum etiam quia peruenisse ad aliquam cognitionem satis quidem uideatur, Et mouendi quidem risus peritia leuior uideatur, per'q; satis sit Oratori, qua orator, & urbano homini, qua ciuis est, ex hac ipsa obseruatione tantum esse consecuto, ut & mouere ex se pro loco ac tempore risum queat, & animorum resolationem parere hac ipsa uia, quam facetiæ munierint, ac lepores, solers'q; iocandi cognitio, nõ quæ Oratoris sit propria, sed faceti, qua de re libro hoc ipsi disserimus.

Artem naturæ coniunctam plurimum ualere ad facetudinem.

His itaq; hunc in modum explicatis, sensim quidem, atq; exemplis propositis ostendamus artem naturæ coniunctam id præstare, ut quod turpe est suapte natura atq; obscænum, id dicatur nec turpiter, nec obscæne. quod artis esse quis neget? Perinde enim ut sterilibus in arboribus insitionis arte utuntur agricolæ, quo fœcundas illas, atq; hortenseis efficiant è siluaticis, sic faceti homines arte adhibita, ac trãslationibus usi rem naturaliter turpem dictis honestant, & quod ipsum per se obscænum est, in lepidum uertunt, ac facetum. Id autem est huiusmodi. Reguli cuiusdam aula inquinabatur nefandis puerorum amoribus, atq; huiusce generis libidine. Forte igitur ex aulicis quispiam æstiuo tempore in cubiculo quiescæbat sub meridiẽ spirãtibus Zephyris, quorum afflatu quibus ille intectus erat linteolis detegebatur pudendas ad partes corporis. Forte igitur ea præteriens Rodoricus Hispalensis, uir & suauis, & qui aulicorum mores notos haberet, cum animaduerteret cucurbitulam quasi quandam pendere ad illius ramices, mirum ne inquit uideatur, grandiusculam eam esse, quæ in sterquilinio coaluerit? Videtis ne, ars ingenio comitata quid præstiterit? Adhibita enim translatione uirilis membri in cucurbitulam, primo uerbum honestauit, deinde rem turpem honestis uocibus & expressit, & accusauit, eadem translatione usus. Cucurbita enim fimo saturata mirifice grandescit.

grandescit. Quo etiam uerborum honestamento turpem illius usum in re Venerea expressit, et ridiculum fecit. Hæc igitur artis sunt, quæ in hac ipsa parte locum quoq; suum obtinent, si qui facetijs dant operam, artis ipsius obliuisci noluerint, Nam si facetudo mediocritas quædam est, sine arte id est absq; prudentia & artificio perueniri ad illã nequit. Idem hic Rodoricus cum uidisset ingredientem Florentinum hominem in regis atrium, in quo pueri regij se se exercebant ad pilam, Macte inquit fide, ac mercatura uir, arcem hanc ingressus, ad eius portam credo pugiunculum de more reliqueris, & atrium ingressurus, ne legem quoq; atrij ignores, ante eius hostium & tentigo tibi relinquenda est. An potuit honestius & turpitudinem indicare, & ludere cum mercatore pudentius? Hæc igitur ipsa (ut dixi) artis sunt, quæ plurimum apud ingeniosum hominem ad consequendam retinendamq; mediocritatem est prtistitura. Artis quoq; ipsius est & inuenire, et cõsyderare, locis è qbus dicta ipsa, ridiculaq; deducãtur. In priori igitur dicto locus præbitus est à translatiõe, in secũdo à rei similitudine, quemadmodum & hoc quod subijcio. Pepererat infantulum Pascasij Decij nurus arcis Neapolitanæ præfecti, utq; de more est, & congratulatum una, & uisitatum accesserat idem de quo dictum est Rodoricus. Itaq; ingressus ipse cubiculum, in quo conquiescebat puerpera, comperit hinc Paschasium confectum senio, innisum baculo, ac languescentem, illinc è familiaribus quempiam, perinde ac bouem nimia de obesitate iacentem in scrinio, itemq; alterum eo ingenio præditum, parum qui ab asello iudicaretur differre. Progressus igitur ad cubile, ubi infantulus uagiebat pedes exosculatus est eius, conuersusq; ad astantes an inquit præsæpe ingressus, in quo & asinus & bos recumberet, seniorq; unà Iosephus, non & ipse ad Christi pedes exosculandos progrederer? Potuit ne ars ingenioso suffragata homini commodiore uti, atq; appositiore similitudine? ut quæ ridicula non esset res, illam ex arte maxime ridiculam efficeret. Est apud Plautum ex ore & pudicæ & permodestæ mulieris dictum eadem è translatione atq; officina haustum, quod etiam supra posui in re quidem uxoria, quæ suapte natura perpudenda quidem dictu est, Fundum alienum arat, familiarem incultum deserit, Quod & si risum non mouerit, ostendit tamen ars ipsa quid ualeat. Habemus igitur locos duos maxime nobiles & translationis, & similitudinis, qui satis quidem aperte uel confirmare possunt, uel testificari prætorio etiam in iudicio, artem quoq; uel maximum in his locum sibi uendicare posse, ni hominum defuerit industria, laborq; ille pertinax, rerum omnium

FF

expugnator. Quocirca locos etiam alios percenseamus, qui admonere nos & artis possunt, & obseruationis, quae artem ipsam constituere est solita.

De inueniendis dictorum ac ridiculorum locis.

Quoniam autem quos locos appellamus, ij sedes dictorum sunt ac ridiculorum, è quibus ioci ac sibidem lateant, extrudendi sunt, ad alias iam regiones proficiscamur, quo palàm fiat artem quoq; in illis non parum ualere. Sedentibus nobis pro foribus nostris, disserentibusq; his ipsis de rebus, facti sunt obuiam inter se agrestes duo, alter albenti pilleo, eoq; grandiore intectus caput, alter nudatis pedibus ac plantis. Atq; hic quidem è uestigio uerbis in illum illatus, Quanti, inquit, fungulus iste? pilleum uidelicet irridens. Ille sublato statim supercilio, conuersis mox ad pedes eius oculis, respondit, Quanti calceoli tui, ac denariolo pluris? Statim omnes in risum conuersi sumus. Igitur alter à pilleo admonitus est, excitusq; à natura, eaq; duce tantum, alter etiam ab arte adiutus quae illum admonuit pedum excalciatorum. Itaq; locus lacessentis uidetur à uestitu oblatus, respõdentis ab arte repraesentatus atq; ab opposito. Alter enim erat intecto capite atq; à superiore corporis parte, alter nudatis pedibus, quae pars inferior est corporis. Non rideas modo, uerum etiam dirumpare, cum apud Plautum, dicentem illum audias in Trinumo, Pol hic quidẽ fungino est genere, capite se totum tegit. Eodem tempore cum staret forte nobis è regione sutor senex, & quidem sordidus admodum senex, cui ad nasum pendebat pituita grandiuscula quidem ac pellucida, praeteriens homullus dicaculus & ipse, pannis tamen, atq; annis obsitus, ut ille inquit apud Terentium, iocandiq; opportunitatem nactus, Perpulchrum inquit adamanta & pretiosum. Tum alter, Et anulo tuo dignũ. Tali igitur, tamq; inexpectato responso ars ne an natura, an simul iunctae iocari urbanius potuerint, nesciam. Ille enim iocatus est sumpta occasiõe senili ab aetate, quae pituitosa est, hic uero ab eo quod adamantes includi anulis sint soliti. Sumpsit urbanissime Plautus etiam alibi iocandi opportunitatem à tempore, nam cum dixisset seruus apud lenam de amatore, quàm tibi sospitalis fuit, tum lena, Mortuus est inquit, qui fuit. qui est, uiuus est. Iocabantur aliquando uel rixabantur potius ex ijs duo, quos maiores nostri appellitabant nebulones, & alteri quidem Asello factum est nomen, quod ob lin-

quæ intemperantiam, & pugnis sæpe contusus, et uerberibus ac fusti
bus honeratus, perinde ac asinus esset, alteri uero Ventritio, quod pa
trimonium penè omne pitissando compotandóq; in uentrem congessis-
set. Prior igitur Ventritius inter conuiciandum, Quantum ó amice
Aselle (paulo enim ante & pugnis cæsus, & quernis etiam fustibus
percussus fuerat) quantum inquam æris inest tibi in crumena, uectu
ra ex hodierna? Ad quæ confestim Asellus, Quantum tibi in uentri
culum influxit uilli hesterna è uindemia? Itaq; eiusmodi siue dicta
siue ridicula & multum habent fellis, & maxime apposita sunt ad
mouendum risum, plurimumq; in ijs pollet natura, tametsi nominũ
tum interpretatio, tũ formatio uidetur ad artem prorsus referenda. À
diuerso quoq; sensu eorum quæ dicuntur, ioci & quidem maxime ri-
diculares depromuntur, ut cum ille inquit in Menecmis, Magna cum
cura illum curari uolo, Tum medicus, Quin suspirabo prius sex
centum dies, ita ego illum cum cura magna curabo. ille diligentiam
curationis exigit, hic medici personam sustinens, quod ægre admoni
tionem ferret, quódq; cura molestiam quoq;, animíq; afflictionem si
gnificat, suspiraturum se se obtulit. suspiria enim exagitati, ac pa-
rum quiescentis animi sunt signa. Forte uiator Florentinus, ut uen-
tricosus admodum, sic etiam perquam salsus cum per urbem Senas
iter faciens porta exiret, quæ Romam ducit, ac sublato palliolo po-
pam ostentaret & prægrandem, & tumidam, atq; ibi tum quispi-
am è portæ custodibus per iocum ac risum dixisset, Sapit homullus
hic, qui neutiq; ponè, sed præ se manticam sibi apposuit, Tum ille
ore quàm maxime renidenti, An tu inquit aliter per latronum fi-
nes ac sicariorum securus rebus cum tuis incesseris? Quid autem ma
ge lepidum aut salsum magis? Iocandi autem locus in dicto priori
sumministratus est à corporis siue habitu, siue deformitate. In poste
riori à morum turpitudine, ac rapiendi impotentia & studio. Ad-
miniculata uero est in posteriori plurimum quidem ars, quæ illi sug
gessit ea quæ cernantur oculis diligentius custodiri ac cautius. Nam
quod tueamur nos nostráq; naturali quidem inest à studio, quo nã
autem modo, quáq; fiat uia, id artis potius est. Nobis adolescentulis,
cum Italiæ res maxime florerent, uigeretq; rei bellicæ honos Ita-
licos apud duces, multiq; ob strenuitatem ac rei militaris discipli-
nam haberentur in pretio, in ijsq; Antonellus esset Foroliuiensis, qui
tamen mercennariam execeret militiam, singulisq; penè annis con
ductorem mutaret, atq; ante finitum prius stipendium ad alium
transiret conductorem, commendareturq; in senatu Florentino,

quod ſagax admodum eſſet, impiger, manu promptus, perq́; la-
borioſus, tum Coſmus, & quod maximum in eo eſt, ſubdidit, etiam
antelucanus. Hoc dictum ab arte totum profectum eſt, atq; à trans-
fugiorum illius obſeruatione. peperit autem riſum, quia tanquam ob-
liquo è loco atq; ex inſidijs repente proruperit. Referre erat mihi ſoli
tus inter confabulandum Erricus Pudericus, ſenex maximi uſus,
ſummæq; iucunditatis, Neapolitanum ciuem, cuius ipſe nomen ob fa-
miliæ reſpectum, ac liberorum obticebat, nam propudioſus erat, mor
boq́; laborabat infami, cōueniſſe Genuenſi cum mercatore, ac præfiniſ
ſe rei frumentariæ ſummam quandam, certam ad diem Neapolitanū
in litus comportandam. Itaq; in prætoris conſpectu cum ab actorum
magiſtro pacta ipſa conuentionesq́; de ritu adnotarentur prætorij,
ex ijs qui tum aderant teſtibus inclamaſſe quempiam quaſi è loco quo
dam abdito, Nec licere, nec fas eſſe uxores abſq; uirorum conſenſu qp
piam omnino transigere, quod eæ ſui iuris non eſſent. Dictum ſane
non mordax modo, ſummeq́; aculeatum, uerum illi ipſi in quem in-
ferretur, mirifice erubeſcendum, quippe qui palàm propudij notare-
tur, morbiq́; perpudeſcendi. Iocandi locum hunc ars ipſa magis quàm
natura ſibi adinuenit, ex lege ſumptum, conſtitutisq́; è ciuilibus. In
eundem quoq; hunc ab matrona perurbana dictum extat generis
eiuſdem, quæ ab illo uocata in iudicium, cum prætore coràm ipſa ſiſte-
ret, Quid mirum inquit bone prætor, aut præter conſuetum homo hic
facit, ſi fœmellam me eijcere paterno ex agello ſtudet, qui mulieres
penè omnes munere iam eiecerit ſuo, bellumq́; ijs indixerit? Omnino
igitur nota hæc à morum turpitudine inuſta eſt, atq; ab infamia uſ-
quequaq; abominanda, ad artemq́; prorſus referenda, cum abominan
dū ſcelus mulier honeſtis quoad potuit uerbis innuerit, quibuſdamq́;
quaſi ſignis, qua ſignificatione rem tueri ſuam nitebatur, cum oppreſ-
ſam ſe ac circumuentam intellegeret. Marinus Brăchatius eques Nea
politanus, quiq; propter dicacitatem & multus eſſet, et inuector acer
rimus aduerſum literatos homines, prandente aliquando Ferdinan
do Rege, cuius menſam aſſiduus inodorabatur, craterculus ei cum eĕt
oblatus uernacij quàm ſuauiſſimi, illumq́; & ipſe labellatim hauſiſ-
ſet, interrogatus ab Rege, qua nam Bacchus is locutus eſſet lingua? re-
ſpondit, oppido quàm literata, uinum ex eo commendans. Tum com-
potor ibidem qui aderat, Quid tu inquit Marine tantum literis im-
partire, aduerſum literatos ipſos qui tam impotenter, atq; aſſiduus in-
ueharis? Cumq́; è ueſtigio illi reſponſum eſſet ab non inſulſo homi-
ne, inter pares, eiuſdemq́; rei ſtudioſos plerumq́; odium uerti atq;

inimicitias, ibi tum adolescens apprime ingenuus, quiq; uiolentiam
eius nosset, Nec ad rem inquit ista faciunt, nec sunt necessaria, cum
hos inter literatos nullus profecto sit Marino aut similis, aut par. Pri
mum dictum à genere oblatum est, ab ipsis uidelicet literis. Secundum
dictum illatum est siue ab eodem genere ductum, siue à specie. Ter-
tium autem uniuersa complexum est, cum primas ei concederet inter li
teratos hoc est uinosos. Quid his dicas artificiosius? De eodem quoq; sic
refertur. Occupata Campania ab Carolo octauo Gallorum Rege, cum
Alphonsus minor, Neapolitanorum Rex cum Ferdinando filio, ac
Federico fratre in Siciliam ob metum tam uiolenti exercitus traiecis-
set, nec Marinus eos comitatus iam esset, demiratus hoc quispiam, ac
sciscitabundus quæritabat quænam huius esset rei causa? Tum ado-
lescens eadem ex aula, argutus ille quidem atq; admodum lepidus, An
non inquit, is est Marini usus, ea in potando, atq; in conuiuendo exer
citatio, ea etiam uis ac peritia comessandi, ut Gallicas reformidare de
beat lagenas? aut gentis eius lancibus terga uertere? Perbelle dictum,
nedũ salse. Sedes autem ipsa iocandi, et quasi argumentatiuncula posita
est in usu atq; peritia, quando in artificio quocunq;, authore etiam
Aristotele, peritissimo eius cuiq; adhibenda fides est, atq; authoritas tri
buenda. Sunt multa quoq; uerba, duos sensus, ut Quintilianus quoq;
inquit, significantia, quæ & amplum & patentem præbere possunt
iocantibus campum, in quo & ars non exiguum ius exercet, maxime
in respondendo. Siquidem prolato uerbo, ingenioq; lacessito & pro-
uocato, statim ars conuertit se se ad implorandum auxiliũ ab altero
quidem uerbi ipsius sensu, ut cum Mercurius dixisset, apud Plautum,
Malam à me sibi rem arcessit iumento suo, confestim Sosia subdidit,
Non enim ullum habeo iumentum. Itaq; duplicitas sensus, arte iuuãte,
iocandi locum ei præbuit, Cunq; alibi dixisset, Geminum dũ quæris,
gemes, ipsa literarum ac syllabarum similitudo, et quasi collusio iocan
di locum exhibuit. Atq; in huismodi præcipue uocibus prima quidem
occursio tota est naturæ, secunda uero ad artem potius referenda, Eius
enim est & deducere uoces, & quærere earum structuram, & com-
parare eas, atq; inflectere. quam Alliterationem alibi uocauimus, cum
de Poëtarum numeris præcepta traderemus. Ea quoq; quæ insunt à
natura, ac dicuntur propria, ut pastum quærere, ut prolem appetere,
ut hinnire, ac mugire, atq; eiusmodi alia, iocantes mirifice adiuuant,
ut cum ludens apud Plautum seruus dixisset, Boues bini hic sunt in
crumena, alterius serui è uestigio menti occurrit, colludere et ipsum
posse ab pascendi cupiditate, quæ à natura bubus inest. Itaq; ioca-

» bundus subdidit, Emitte sodes (ne fames enecet) inire pastum. Quis autem neget artis hoc esse, tametsi natura repugnante ars ipsa parum per se omnino in multis potest. Ambigua quoq;, quæq; aliam interpretationem recipiunt, maxime exposita sunt iocantibus, ut cũ seruus apud Plautum & grauiter & gratulanter domino dixisset,
» Gaudeo tibi mea opera liberorum esse amplius. filium enim herilem in infantia amissum recuperauerat, illico nactus herus iocandi oppor
» tunitatem, respondit iocabundus, Etenim non placet, nihil moror,
» aliena mihi opera fieri plureis liberos. Quod enim ille dixerat gratulatus, sua quod opera atq; industria filium inuenisset, in alium ac libidinosum sensum interpretatus herus, ioco materiam præbuit. Con
» traria quoq; inter se & ipsa occasionem iocis præbent, ut in Amphi
» tryone cum dixisset Mercurius, Dextera uox aures (ut uidetur) uerberat, ex aduerso contulit Sosia, Metuo uocis ne uice hodie hic uapulem. Et uerbero enim & uapulo inuicem contraria sunt, perinde ut ago & patior. Datur etiam iocis locus ab interpretatione scripti, cũ illud est ambiguum, etiam Cicerone exemplum afferente, in altercatione Scauri ac Rutilij de ambitu, cum in eius tabulis ostenderentur hæ quatuor literæ A. F. P. R. et Scaurus interpretaretur, actũ fide publica Rutilij, Rutilius autem, ante factum, post relatum, ibi C. Canium equitem Romanum qui Rutilio aderat exclamasse, uerum illarum literarum sensum esse, hunc scilicet, Aemilius fecit. plectitur Rutilius. quod dictum acutum esse uult Cicero, & concinnum. Non caruit igitur nec magistro, nec arte huiusmodi interpretatio. consueuere duci etiam ab admonitionibus, ac consilijs dicta admodum etiã faceta, quale Grauij illud apud Ciceronem, Cum malo patrono qui uocem in dicendo obtudisset, mulsum frigidum bibendun consuleret, illeq; si id fecero, perdam uocem, respondisset, tum Canius, melius inquit quàm reos. Datur etiam iocandi locus à consentaneis moribus, cuius exemplum extat etiam apud Ciceronem, Cum enim Scaurus non nulla laboraret inuidia, quod sine testamento Pompeij cuiusdã locupletis hominis bona possideret, funusq; quoddam ducere
» tur, tum C. Memius dixisse fertur & acute, & perbelle, Quin ui
» des o' Scaure, mortuus enim rapitur, si potes esse possessor? Ducuntur etiam ioci & salsi, & belli admodum ab responsore in eo ipso genere, quo usus est quis prior, utq; Ciceroniano utamur exemplo, Adolescentulus Q. Aquilius male de se audiuit. is grandior iam, & consularis, factus obuiam festiuo homini Aegilio, qui uidebatur mollior, quamuis nec esset, muliebriusus est nomine, quo illum uelli-

caret, Quando inquit Aeglia ad me ueneris cum tua colu et lana? reddidit statim Aeglius, uel retorsit potius, Non pol inquit audeo, nã me ad famosas uetuit mater accedere. Quid magis artificiosum, q̃ telum idem retorquere? & ex eodem genere dictum eiusdem fellis reiaculari, ac repercutere? Est & hoc generis eiusdem. Neapolitanus quidam ciuis & ipse male de se quoq; audiebat, sub uesperum itaq; ad fores eius accessit iuuenis & ipse propudiosus, nec satis bene de se audiens, cumq; clausas illas inueniret, & esse illum intus intellegeret, accommodata uocula maxime mollem in modum, atq; ad rimulas, O' mea dixit Iacoba, cur non te te mihi cupientissimo ad fores exhibes? tum ille eodem uocis usus lenocinio, Quia suas te ad fores paratissimus expectat Ambrosius. Manant & à re non expectata, & ab eo quod est ex non sperato, non illepide, neq; non admodum belle dicta, ac diuersis quidem modis, præcipue autem à nominis aut uerbi uel deriuatione, uel definitione, ut cum in senatu ageretur de agris publicis, deq; lege Thoria, & premeretur Lucilius ab ijs qui à pecore eius depasci agros publicos, & de lege diceret, Non est inquit Appius Lucilij pecus illud. erratis. liberum enim esse puto, quod qua lubet pascitur, Est eiusdem generis nec minore quidem gratia, Charitei dictum non incelebre. Cum enim Neapoli iactaretur numus belli tempore adulterata materia, quereretur q; è notis eius quispiam, quod nesciret iam quid haberet, Tum ille uultu quàm maxime ad iocum accommodato, Est inquit dijs immortalibus, quod gratias agam, gratulerq; amicitiæ nostræ, tandem enim hominem inueni, et amicum quidem hominem, & uere diuitem, quando diuitis est hominis nescire quid habeat. Habet quoq; concessio & locum & leporem suum. Id autem est, quod Cicero inquit, ut facete concedas aduersario id ipsum, quod tibi ille detraxit, quale illud Cœlij, Cum enim ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus, At hercule, respondit, tu tuis dignus. Simile est familiaris nostri, COLOTII BASSI, uiri admodum iucundi. Cum enim per iocum obijceretur ab amico, quod nimia uentris eius esset parsimonia, Gratulor liberalitati tuæ respondit, quod plura multo des ipse, quàm accipias. Laborabat enim ille sæpissime uentris profluuio. Ingeniosa sunt hæc omnia, non minus tamen artificiosa, singulaq; locos habent suos è quibus defluunt. Et peracuta sunt, & perq̃ concinna, quæ ex collatione personarũ deducuntur. Deperibat adolescẽtulus honesto loco natus puellã nobilitate summa,

excellentiq; & forma & pudicitia, Cumq́; inter preces ac blanditias respondisset illa, Scito te Lucretiam inuenisse, hic ille, Experiere te & Tarquinium comperisse. Prouerbia quoq; dictorum in usum adducuntur, habentq́; uim ridiculi. Familiaris noster Marinus Tomacellus functus est complures annos summa cum laude munere oratorio sub Ferdinando Rege Neapolitanorum. Cumq́; satis longo post tempore, quàm promissum ei fuisset ab Antonello epistolarum magistro satis esset factum, gratulabundus mihi per epistolam respondit, Bene habet. elephanti partum uidimus. Cumq́; aliquando compertum habuisset Paschasium Decium quæstorem regium secum egisse liberaliter in salario persoluendo, erat enim Paschasius maxime attenuatus, ad me rescripsit, Optime actum est. fœnicem iam uidimus. Ab commemoratione etiam uersus cuiuspiam celebris, Poëtæq́; maxime noti manant facetiæ & argutæ, & gratæ. Consederant me cum meis pro foribus idem hic Marinus & Petrus Compater, homo iucundissimus, magna senectute tres, cano capite omnes, nullis dentibus, multis tamen, ac propè tercentenis annis. Præteriens igitur adolescentulus demiratus cum esset tres annosos uetulos, albentibus capillis, maxime hilari uultu, & iocari cum prætereuntibus, & arridere salutantibus, hic Marinus in ipsa illa adolescentis admiratione tanto cum lepore Virgilianum effudit illud,

» Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci,

Vt risum non tenuerint, senem qui audierunt, eo in consessu, tam opportune, adeo præter expectationem, ac perquam concinne modulantem. Isq́; confestim risus ingeminatus est, nam derisui cum haberetur à nobis, qui præteribat iuuenis, obeso corpore, obesiori ingenio, maxime obesis moribus, tum à festiuissimo, & perquam concinno iuuene Petro Summontio & festiue admodum & peruenuste iniectum est Virgilianum aliud, quanquam dimidiatum è Georgicis,

Longamq́; trahens inglorius aluum,

Vt protractus risus fuerit in Charitei aduentum, qui animaduertens senum trium tam æqualem canitiem, Quid inquit, hic ad fores? an inalgescere cupitis? cum alpes uideamus niuibus oppletas undequaq; concanescere. In primis igitur ferax est locorum campus, materiaq; maxime opulenta subministrandis iocis, ut recte Quitilianus dixerit, Si species omnis persequi uelimus, nec modum reperiemus, et frustra laborabimus. Neq; enim minus numerosi sunt loci, ex ꝗbus dicta, q̃ illi, ex ꝗbus eæ quas sententias uocamus, ducuntur, neq; alij. Itaq; et sententiæ ipsæ quæ suaptæ natura graues sunt & sapientes, si ridiculũ

in modū iactatæ fuerint, risum ĕt ipsæ parituræ sunt, ut cū Frăciscus Puccius, uir in studijs his nostris eminēs deridere uellet hominem seditiosum, ingenioq́; minime q̄eto, q̄ in corona quadam constiterat, Ecce inquit, Concordia paruæ res crescunt. Cum etiă idem hic deridiculū facere uellet, bona qui patria obliguriisset, iniecit sententiam hăc, Parsimonia rei familiaris, eæ demum diuitiæ magnæ sunt, Cumq́; suis ex auditoribus somniculosum aliquem notare uellet, rorem antelucanum uocitabat. Itaq; hominum industria & ars, de qua hic noster est sermo, etiam quæ grauia fuerint ad ridicula sæpe transfert, ut negare qui uoluerit, arti suum esse locum comparandis ridiculis, dictisq́; funditandis, nulla ratione id possit, quando grauia etiam, ac sententiosa dicta, ubi arte usus quis fuerit, ac tum temporum, tum personarum delectu adhibito, ad iocum traduci soleant ac risum, & persæpe quæ ipsa per se ridicula non sunt, belle tamen agitata rideantur. Itaq; et quod dictorū, ridiculorūq́;, ac facetiarum regiones sint amplissimæ, quodq́; in ijs ars quoq; uel multum etiam ualeat, abunde à nobis ostensum uidetur, & exemplis etiam comprobatum.

Neq; aduersum miseros, neq; potentes uiros utendum esse ridiculis.

Hinc ad alias quoq; obseruationes transeamus quæ plurimum conuenire uideantur ad facetudinem, hoc est ad eam quam in iocis quærimus mediocritatem, quodq́; in delectu ferè mediocritas ipsa collocata sit, cuiusmodi uero id & quale sit, ostendendum relinquitur. Cum præsertim Cicero de Oratore agens, Oratorijsq́; muneribus dicat, nec insignem improbitatem, nec rursus miseriam rideri, statuatq; in iocando moderationem retinendam esse, & Vmber quoq; noster dicat, facile esse miserum irridere. Quocirca & miseris parcendum est, in quibus locus esse misericordiæ debeat, ni fortasse superbia maledicentia, incontinentia præcipites eant, & à potentibus etiam uiris, & quibus publica res in manu est, continendum. Est enim periculosum perq́; temerarium, lacessere eum, qui gladium strictum habeat, possitq́; proscribere. Ad hæc et scurrile habeatur ac sit, lacessere eū qui ab omnibus ametur, & maximis atq; infimis æque carus sit, atque acceptus. Quæ enim mediocritas esse potest, ubi prudentia munus minime retineat suum? Quid rursum imprudentius, quàm eorum in se iram prouocare, in quorum nutu posita sit hominis uita? quando ut à derisu, quod ait Quintilianus, haud procul abest risus, sic

ab ira potentis haud longe abest sanguinolentia, ac uis. Qua è re efficitur, ut quemadmodum Oratoria urbanitas parum frequens esse debet, minimeq; in causis, earũq; actionibus frequentata, sic et facetiarum usus rarus, ac maxime temperatus, nec quotiescunq; locus patuerit ad iocandum, poteritq;, ut Cicero inquit, dictum aliquod dici, dicere id necesse ducamus. Vt enim in re omni modus retinendus est, si probari actiones nostras uolumus, sic etiam in iocando. Vtq; etiam serijs, quæ ad usum spectant, quædam tamen regula, normaq; à ratione constituta est, sic iocosa quæ ad iucunditatem, freno etiam quodam sunt tanquam præsæpibus alliganda. Si enim iocosa probantur relaxationis gratia, non eo probari debent, quo alteri obsint, ac molestiam afferant, quod nec uiri boni, nec ciuis probi officium est, Cum facetum hominem, & bonum eundem uirum, & ciuem item probum esse dicamus. Nec enim ad maledicentiam descendendum ullo modo est aut sponte, aut ex prouocatione, nisi cum honestas ratioq; id permiserit. Quo circa dicacitas neutiq; tam amica est facetudini, tamq; coniuncta, quàm est comitas, cum dicta pleraq; salsa sint, ac suo nomine sic appellentur, ridiculaq; ipsa haudquaquam semper grata, comitas uero à temperamento uix recedat. Itaq; facetum hominem aspersum comitate plurima esse oportet, quod facetudinis ipsius condimentum est.

Quæ seruanda sint faceto.

Ipsarum autem facetiarum duo cum sint genera, req; alterum tractetur, ac nonnunquam tanquam fabella narratur aliqua, alterum dicto, in utroq; modus retinendus est faceto, idq; diligenter uidendum, ne dũ alterũ cauet, in insulsitatem incidat, pariatq; ipse audiẽtibus derisum. Non ab re autem putat Cicero mendaciulis aspergi oportere præsertim fabellas, quod Oratori conducant, cuius finis est iudicem ad beneuolentiam suam trahere. Facetum quoq; nequaquam dedecuerit eiusmodi aspersio, tametsi mendacia fugienda sunt, quippe cum ornatus hic quasi quidam adhibeatur, non fraudis gratia, sed delectationis & honestæ, & naturalis.

Dictorum salsorum duplex esse genus.

Sed mihi uidetur quod salsum est, dupliciter partiẽdum, & in quod mo-

lestum sit, odiosumq́;, atq; in rixam spectet ac contentionem, et quod delectet, ac familiariter iocetur. ut hoc sit omnino iocosum & liberale, mordax illud ac dentatum. Nam seruile quomodo conueniat homini ingenuo? Generis utriusq; hæc erunt exempla, Scipio ille maior in mensa cum accubuisset, ac de conuiuarum more corona capiti eius esset imposita, eaq; & bis & ter rumperetur, ægreq́; fortasse id ferret, tum P. Licinius Varus, Noli mirari inquit, parum si conuenit, caput enim magnum est. Et laudabile & honestum, ut Cicero ipse putat, Cum enim salsum uideri possit, dentem tamen non imprimit. Simile et illud. Inuitatus cũ esset Franciscus Pudericus ad prandium, appositaq́; esset ei altilis haud bene assa, conuersus ad eum qui pullum deartuabat, Importune inquit accubuimus, neque enim ad prandium uocati, sed ad cœnam fuimus. Liberale prorsus ac concinnum. Crassus in Parthos proficiscens ad Deiotarum in Bithyniam diuertit, nouam tunc urbem ædificantem, Itaq; in eum iocatus, quod esset senectute iam confectus, duodecima inquit diei hora nouam urbem aggrederis. Ad quæ Deiotarus, nam & Crassus erat sexagenario maior, nec tu (respondit) o' Crasse satis matutinus in Parthos proficisceris, Uterq; perquam familiariter ac iucunde, neq; ut lacesserent, uerũ ut iocarẽtur. At hæc quæ subdam, uel uncum præferunt, quando & scindunt, & rapiunt. Barnabas Barolitanus iudicatus est de fide Christiana parum pie sentire. Itaq; aliquando cum hiaret, deq́; more tamen Christiani hominis crucẽ pollice ad os designaret, tum Masius Aquosa qui & iocosus homo esset, & peracutus, ut Siculus, atq; illi notus, Quid hoc inquit Barnaba, qui cruce os quasi carcerẽ obsignaueris, ne dæmon ille malus tuo se è pectore proripiat? Quid hoc salso salsius? his enim uerbis ut male de Deo sentiens coarguitur. Accubuerat ad mensam Petrus Summontius, cumq́; pransus iam esset, sacerdos satis importune ad mensam sese ingessit, uixq́; accubuerat, cum ad ministrum conuersus, statim, Sitio inquit. misce puer. Tum Petrus, Atqui inquit non putassem præterita nocte tua te cum commatercula delicias fecisse. Pupugit enim illum acerrime ex hoc, quod mane sitiant multum qui se in Venerem noctu resoluerint. Haud dissimile multum est in Ciceronem illud, Mirum anguste si sedeas, duabus qui sellis sedere sis solitus.

Altera diuisio salsorum dictorum.

Est & alia salsorum diuisio, ut alterum dicax sit, ueruntamen non urbanum, sed rusticanum, aut seruile potius, Alterum autem quod urbanam educationem referat. Nanq; apud Ciceronem Antonius Crassum dicit uenustissimum esse atq; urbanissimum, pari quoq; modo grauissimum atque seuerissimum. Posterioris generis exempla sunt hæc, Ostentabat Pomponius & quidem iactanter uulnus ore exceptum in seditione Sulpitiana, quod ipse tamen passum se pro Cæsare pugnantem gloriabatur. Ibi Cæsar et salse admodū, et urbanissimū in modū, Nūquā fugiēs respexeris inqt. Itaq; et momordit illū Cæsar, et ab urbanitate nō recessit. Alūnus qdam meus nō inurbane educatus, cum obijceretur ei, quod pater araret, At mater, respondit, tua ubera locat. Itaq; in re quamuis conuiciosa, non minus tamen urbane respondit, quàm salse. Prioris uero generis hæc erunt, Contendebant homunculi duo, cumq́; alter perpupugisset hoc dicto alterū, Verba tua neutiq; mihi bene olent, tum alter, quod uidelicet loqui à tergo consuesti.
» Spurce nimis, & seruiliter. quale Plautinum illud, Obturat ne infe
» riorem gutturem? Hoc uero perquam rustice. nam dicenti cuipiam in
» ter lacessendum, Caprinum bibe, quo pulmones refrigeres, tum alter, Tuum si sequar exemplū hircinum potius demulserim. Sed hæc quæ rusticana dicimus ac seruilia, pleraq; obscœna sunt et scurrilia. exemplum est, Regij stabuli magister famulos increpabat, equile immundum quod esset, Tum unus ex ijs, Videlicet enitescere stabulum uis, quo stabulariorum ipse nuptias celebres. Eiusmodi hæc & & spurcātur, & ciuilium conuentu hominum omnino indigna sunt, et ab ore auribusq́; facetorum, atq; ingenuorum hominum procul repellenda.

Vultum esse dictis ipsis accommodandum, & gestum, & uocem.

Summo autem studio id uidendum, quo dictis ipsis uultus accedat, & (qua opus est) gestus quoq; sit accommodatus, ac perquam concinnus. Secus enim dicteria non modo gratiam suam non retinent, sed is qui dicit apparet etiam absurdior, ut si nō fiat ex eo ridiculus, efficiatur tamen parum gratus, habeaturq́ue haudquaquam siue politus ciuis, siue satis sodalitij studiosus. Quod'que de uultu præcipimus, de'que gestu, in uoce etiam seruandum ducimus, nam & ipsa inflexiones ac modulos suos habet. Permulta enim tum inepta apparebunt, tum

parebunt, tum frigida, hæc illis si defuerint, quæ suapte quidem natura lepida sunt & bella. Id tamen consyderandum, aliam rationem esse debere facetorum atq; ingenuorum hominum, aliam mimorum, ac theatralium ludionum, in quibus interdum obscœnitas ipsa, spurcitio'q; cum scurrilitate, ac petulantia non commendetur modo, uerum etiã si absuerit, desyderetur. Quo'circa in his ipsis immoderatiores qui fuerint, nimij'q; imitatores, mimorum potius è numero habendi sunt, quàm facetorũ, theatro'q; ac spectaculis magis digni.

Mimica & theatralia parum facetis conuenire.

Nec uero imitatio tantum ipsa dum nimia quidem sit, fugitanda est, uerum etiam dicta quædam, quæ mimica sint potius, aut parasitica, q̃ ingenua, confessionibus'q; ac sermonibus, de quibus dicimus, male conuenientia. qualia hæc ex Plauto, quæ'q; alia eorum similia, Qui edistis, multo fecistis sapientius. qui non edistis saturi fite fabulis. Item, Dũ ludi fiunt in popinam pedissequi irruptionem facite. Delectant hæc populum, sunt'q; mirum in modũ auribus populariũ apta, et ad inuitandum risum, et ad detinendum spectatores in subsellijs, seu ne satietate afficiantur, seu dum pati nequaquam possunt spectandi morã. Quid illud quàm festiuum, quàm ridicularium? Vin noctuã afferri, quæ tu tu usq; dicat? Et, Assum apud te eccum. At ego elixus sis uolo. Delectant hæc mirifice. quid enim histrionia popularius? Ac fieri quidẽ potest, ut quandoq; quanquam rarenter in ore tamen ingenui, ac faceti uiri commẽdentur hæc eadem, quæ suapte natura omnino tamen dedeceant. At hoc & populare admodum, & theatricum, Digitos in manibus non habent. Quid iam? Quia incedunt cum anulatis auribus. Et illud, Perpetuon ualuisti. uarie. Caprigenũ hominum non placet mihi, neq; pãtherinum genus. Hæc inquam, quæ'q; huiusmodi sunt, uel suauissimum esse condimentum uideri, ac iure quidem possunt relaxationum earum, quas ipsi quærimus, quæ'q; ut quæramus, natura ipsa & hortatur & commonet.

E silentio interdum risum gigni.

Dicere uix quidem ausim, dicam tamen, nec parum quidem libenter, etsi facetus uir in dictis, responsis'q; decenter uersatur, ad iocum quidem, honestam'q; ad relaxationẽ ac quietem accommodatis, tamen ipse quandoq; uidi mirificum excitari risum, suauissimam'q; gigni recreationẽ

è silentio respondentis, quod siue motus quispiam oculorum concinnus sequatur ac decens, siue manuum, digitorum'ue, siue dentium subsannatio, gesticulatio'ue aliqua, siue innutus quispiã extemporaneus, siue è loco abitio præter expectationem, qui contemptus ac irrisionis significationem habeat. Etenim aliquando loquaculus quidam Hieronymum obtundebat Carbonem, suauissimi ingenij uirũ, atq; ubi multa ingentem uerborum in cumulum congessisset, petebat sibi ab eo ad singula responderi, illum uero ad omnia quidem siluisse, conuersum'q; ad astantes dixisse, Magnum ranarum prouentum hic annus attulit. Garriebat alius quispiam nostra in porticu, quẽ ferre Albericus Pudericus Francisci nostri filius cum non posset, nullo dato responso, manu sublata, monuit, nasum ut emungeret, quo è signo mirificus inter astantes exortus est risus. Et illud quoq; Tristani Caracioli perquam iucundum & bellum. Cum enim homo parum in loquendo temperatus, nullius'q; in rẽ publicam operæ aut officij frequẽti in conuentu nobilium uirorum dixisset ei, Malos rei publicæ ministros habemus, tum ipse auerso ab illo statim ore ac discessuro similis. Nũtiũ inquit habemus o' ciues aduentantiũ peregre graculorum. ego rus eo, ne segetibus iam pullulantibus damno sint. Hortabatur homo minime malus Petrum Compatrem ad uxorem ducendam. Has inter adhortationes qui pone eum stabat iuuenis argutius cum sternuisset, nihil ipse respondit. tum ille, Quid malum & amico, & honesta suadenti non respondens? ad ea tum Compater, Nec mihi inquit, nec uxori male auspicaturus sum. Cũ enim è duobus coniugium (ut scis) constet, Hispani quidem augures, ubi unum sternutamentum tantum fuerit, & malũ illud, & portentosum profitentur. meis igitur nuptijs infelix absit auspicium. Facetus itaq; uir potest è silentio quoque gratiam sibi comparare ab auditoribus.

Quæ seruanda sint in risu prouocando.

Prouocandi autem risus, hilaritatis'q; excitandæ uel præcipua causa est, cum is qui dicit siue lacessitus, siue lacessens, prior'ue aut posterior iocatus ipse quidem minime riserit, ut quærendum fortasse à doctis sit uiris, cur tantopere ad commouendum conferat risum dicentis confirmatus uultus, uerbáq; eius cum seueritate & pondere. In repercutiendo autem, docere exemplum hoc potest, quanti sit id ipsum quod nunc dicimus. Vexabat bello Florentinum populum Alphonsus Neapoli-

tanorum Rex, atq; in primo quidem adortu expugnarat Rencinum satis tenue oppidum. Ibi primum ad nuntium ciuis quidam illatus in Cosmum, qui tum princeps erat administandæ rei publicæ, Quid hoc inquit Cosme? perijmus, amisso Rencino. tum Cosmus uultu maxime sedato & forti, uerba illius despicatus, Per Christum inquit rogatus edoceas, qua nam in parte agri nostri Rencinum situm est? nam quod te excruciat amissum oppidum, mihi haudquaquam satis cognitum est, sit ne illud Florentinæ ditionis? Risit prudens & cautus senex uultu maxime imperterrito & despicaci, garrulantis illius meticulosum dictum, perq; degenerantem orationem. Extat exemplum quoq; A. COLOTII in lacessentem, deq; dictione met sua prorumpentem in cachinnos, nam cum hiscentem illum COLOTIVS cerneret, Hia inquit, hia mea monedula, en adest mater cum lumbriculo quæ tibi pappam dabit. Nec uero dicta et ipsa dicentis ipsius risu uultuq; non etiam aliquando exhilaranda uideantur. Veruntamen quæ belle dicuntur, ac cum seueritate, &, penè dixerim, erudite dicuntur, tametsi risum non mouent, plerunq; laudari nihilominus solent, contra irrideri sæpius & sperni quæ cum risu emittuntur dicentis. siue is prior dixerit, siue posterior. Itaq; uultus ille seuerus, reiq; accommodatus in hoc dicendi statu rideri uix potest, risus autem derideri plerunq; & potest, & solet. nam suapte natura risus expositus est derisui. Nec uero mirum hoc uideri cuiquam debet, quando sedes ipsa ridendi collocata est (ut apud doctos constat) in deformitate aliqua corporis, aut uitio, aut in turpitudine morum, actionumq; earum, quæ aut animi solius sunt, aut utriusq;, corporis scilicet atq; animi, aut eorum etiam quæ fortuita uocantur, suntq; in euentu posita. Itaq; eorum quæ mouendo risui apta sunt, alia in natura sunt posita, alia in euentu, quorum omnium animus cum sit obseruator, uisq; illa rationalis homini naturaliter insita, et ab habitu confirmata, atq; ab obseruatione, id præstandum est, ut ad insitam uim aptitudinemq;, artem quoq; adiungamus, quæ naturæ ipsius imitatrix est. Quid autem perfectum, quod non idem & naturæ conueniat, & eruditioni? Quocirca facetum hominem uolumus & naturæ ipsi inniti & arti, atq; obseruationi, id est præceptis, consilijsq;, atq; admonitionibus à ratione profectis. Nec uero hac in parte artem ut quæstuosam aliquam intellegimus, aut manu comparatam, uerum institutionem ingenuo homine dignam, quam qui sequatur, hunc ipsum necesse est, quacunq; in actione, siue seuera & graui, siue iucunda, et lepida conuenientem retinere mensuram, seq;

secundum eam metiri, perinde ut recta dictet ratio. Nec uero ij sumus, qui hac in dissertione, aut Oratoriam respiciamus, aut theatralem, uerum mediocritatem sequimur libero homine dignam, quam quærendam à fortissimis etiam uiris natura ipsa duce decernimus, illisq; præsertim, qui res publicas moderãtur. Quibus enim animorum relaxatio quærenda magis est, aut ab quo nam hominum genere honestius etiam desideratur, quàm ab ijs, qui in assiduis, maximis, periculosissimisq; uersantur laboribus, rerumq; multiplicibus difficultatibus, ac curis? Quo fit, ut pleriq; negotiosissimorum hominum, publicisq; in administrationibus obrutorum & sint hodie, & fuerint maxime facetiarum appetentes, ac studiosi. Cicero dat primas Cæsari partes in hoc ipso genere uirtutis. Quis autem Cæsare bellicis in rebus maior? Quis Cicerone in toga? ut non iniuria fortasse dictum sit ab eo, Cedant arma togæ. Sed nec prætereantur imperatores alij, maximorumq; bellorum exanclatores. Igitur & maximus dux Annibal facetijs plurimum delectatus est, siue in dicendo, siue in respondendo, cuius illud extat dictum in Gisconem maxime quidem salsum, Is enim cum Romani exercitus ad Cannas miraretur multitudinem, ægre id ferens Annibal in illum sic iocatus est, ut despicabilem etiã militibus suis faceret, Quanto ingens mirabilius est o Gisco in tanto hominum numero, qui tuo isto uocetur nomine esse neminem. Nec minus etiam iocis huiusmodi libenter Iugurta usus legitur, tametsi cum illo rebus gestis minime comparandus. Neq; genere in hoc ab ijs superatus est Ponti Rex Mithridates. Nam Augusti Cæsaris dicta plura fortasse referuntur, q̃ aut Cæsaris, aut Regis alicuius. Alphonsus itẽ Rex tempestate sua quẽ non uicit aut dicendo, aut cum dicerentur, applaudendo urbanis atq; facetis iocis? aut prosequendis facetis uiris & muneribus, & beneficijs? An non laus hæc ipsa olim Atheniensium præcipua fuit? eaq; in Demosthene summo & Oratore, & ciue desiderata? nostro tempore trium est præcipue in Italia populorum, Perusinorum, Senensium, Florentinorum. Hispaniæ Regum aula hac à uirtute & institutione cum primis commendatur. Gentes uero extremas, nõ tam barbaras ac feras ipsa feritas uocari facit, quàm sermo ipse rudis agrestisq;, & oratio ab omni iucunditate ac lepore prorsus aliena. Itaq; ut salsum quod non est, insulsum id dicimus, quod uero infacetum, minime ingenuo uiro dignũ, sic facetos in uerbis quidem iucundis uersari ac lepidis, quæ ioci dicuntur, uolumus, fontes uero ipsos, è quibus facetiæ manent, è factis fluere, quæ qui insectentur, dicaces. Placet autem Marco Fabio Dicacitatem sermonem esse cum ri

su aliquos

sui aliquos incessentem, siue in rebus, siue in uerbis. Itaq; Ridicularia esse dicimus quae risum mouere habeant, Dicta quae salem, qui si cum asperitate fuerit atq; offensione, ad dicacem dicta ipsa referenda sunt, & risum exciunt. Sin cum lepore, sineq; offensione, aut si offensiuncula ipsa leuior fuerit, quadamq; cum gratia & familiaritate, ad facetum, quem ingenuum quidem esse uolumus. Quócirca eiusmodi dicta commendationem potius atq; approbationem quandã, quàm risum ingenerant.

F abellas uero, facetorum quodammodo proprias esse uolumus, nam & faceti maxime comes sunt, eorumq; familiarissimas eas esse superiore libro ostensum est, Enarrantur enim eae plerunq; sine offensione, & (quod laudabilissimum est) cum gratia etiam summa, delectant eni, & tum risum suauem quidem illum & gratum inducunt, tum approbationem dictorum, ut licet fictae et sint, & intellegantur, tamen ad seria uideantur inuentae. Nugae uero omnino leues, futiles, inanes, uanae. quócirca ab hoc toto genere repellendae, ut ne nugaces quidem salsi esse possint, ridiculariaq; ipsa derisum potius quàm risum afferant, ubi nugis infecta fuerint. Itaq; tum dicta quae salsa uidelicet atq; aculeata, tum ridicularia forum, theatra, plebeios homines, ipsaq; spectacula, rixas, conuiciaq; generaliter pertingunt, nam praeterquã quod habent spicula, ac felle scatent, pleraq; obscena sunt scurrilia, perq; amara, aut rusticana, rudia, incondita, parũ urbe digna, non raro etiam seruilia. Quae uitia ingenuitatem non modo dedecent, uerum turpissime illam notant ac labefaciunt. Quócirca aliter in dicace considerantur, ridiculo, mimo, histrione, sicophanta, rusticano, seruo, aliter in homine ingenuo, quiq; risum iocumq; ex mediocritate quaerat, quae & iucunditatem ratione hac afferat, & curarum refrigerationem. Ingenuum autem hominem eundemq; facetum non modo leuem esse nolumus, uerum etiam (qualis Crassus Orator refertur) & seuerum & grauem exigimus, uel si natura ab ipsa iucundus fuerit, ne tamen iucunditas ipsa aut insulsa sit, aut prorsus ridenda. Rarior, ut est apud Iuuenalem, usus uoluptatem commendat, frequentia enim plerunq; satietatem gignit. Quam ob rem nimia dictorum frequentatio, ususq; maior ridiculorum, isq; immoderatus, & (penè dixerim) coacęruatus, fugiendus est, non solũ enim affert satietatem, uerum nimiam ob frequentiam dicta ipsa sordescunt, fiuntq; uilia, & uel ad despicientiam peruulgata. Quócirca modus & in iis quoq; adhibendus est, ne sordescat ioculatio, quae ni tẽperata fuerit, transitura sit in garrulitatem, nugationem, sicophantias, ut qui

eiusmodi sint magis despiciantur, sintq; alijs contemptui, quàm ut ipsi delectent. Erit igitur dictorum quoq; ac ridiculorum tum comes, tum magistra prudentia, qua remota, quid est quod suo in genere assequi commendationem queat?

Et dicta, & ridicula, & facetiæ è uerbis constant, & uultu, et gestu, & uoce, pro loco uidelicet ac tempore, dignitateq; accommodatis. Cæterum loci ipsa unde ducuntur, posita sunt in factis, quæ dicentes nõ uerbis modo, uerum etiam gestibus insectantur. Hoc autem ideo contingit, quod facta ipsa sint turpia. Turpitudo autem & rideri solet, & accusari, quando suapte natura irridenda est, ut cum quis ab obesitate tardiore incessu graditur, ibi quispiam dixerit, nimirum nauis ipsa honere grauata est suo. Et ridiculum dictum est, & iocandi locus existit à rei ac facti deformitate. Vt cum quispiam uinosus incessitur, quod nimis atrox sit miles aduersus exenterandas cupas. Hoc igitur dictum à facto est, deq; morum turpitudine, deprauataq; è materia dolatum. Nec uero ioci ipsa non quandoq; è dictis quoq; ac uerbis deducuntur, quare sedes eorum ibidem quoq; sunt collocatæ, Cuius rei exemplum est apud Ciceronem. Cum enim Orator quidam protulisset Supputatilica, aduersarius quasi attonitus uerbi nouitate, ignorantiaq;, Supputa inquit ò iudices quid sit scio, Tilica uero nescio, ex eo autem insidiæ uerendæ. Patet igitur ioculorum sedes in factis dictisq; constitutas esse, qualia permulta à nobis demonstrata sunt, nec enim dictis quàm factis minus apparantur. Partes autem respondentis uidentur præstabiliores esse, quando & difficiliores, potuit enim qui lacessit præmeditatus, dicta quasi è domo secum afferre, ac tanquam ex improuiso aggredi, cum illi extemporalitas sola subsidio sit. Quo igitur responsa minus expectata, ex eo uehementius mouet, præstabilioraq; ob id iudicantur.

Responsa uero ipsa duplici modo partienda sunt, in ea quæ aut diluant tantum, aut quæ uel acriter mordeant. Sunt et mista, compositaq;, ut duo illa simplicia sint, tertium uero hoc conglutinatum. Primi exẽplum est, Pallas Stroctius Florentia pulsus à factione Medica fertur dixisse in fuga, Incubare nos oportet ò uiri, & ingenio & uiribus, quo patriam ab dominatu unius liberemus, quæ cum relata essent Cosmo, respondit pauca hæc Pallanti referenda, non posse alitem incubare, quæ & nidum amisisset, & plumis spoliata sit. Quo dicto & minas irrisit, et uerbum uerbo diluit. ac belle iocatus est. Exemplum se-

cundi, Inter congrediendum homo non inurbanus irriserat alium eiusdem ordinis hominem, cum qui suo nomine Fœniculus esset, eum Ferriculum salutasset. tum ille uultu quàm maxime uerbis apposito, Et tu uale inquit Furacule. Videtis quo aduersarium ictu percussit, quamq; etiam grauissime? Est & tertium genus exemplo suo confirmandum, quod est huiusmodi, nam & diluit, et mordicus etiam abripit. Erat ad diuæ Mariæ templum extra Capuam dies nundinalis. Conuenerant de more ibidem multi mortales. Erant in diuersorijs pisces maiusculi & assi, & elixi in lancibus expositi. forte mercatores duo, alter (ut montanus) rerum maris inscius percontabatur, qui nam tam nouæ magnitudinis piscis esset? qui ad uncũ pendebat. Ibi alter qui esset litoralis, irridenti perquam similis respondit, Cacomerdilus. Ibi tum ille qui se se irrideri sensisset, Hui inquit quanta ẽ nominum uarietas, hic idem piscis meos apud Marsos suo nomine est Sterquicomedis. Vterq; quidẽ obscœnus, at responsor cum primis mordax. Sunt etiam responsa quædam minime salsa, ualde tamen ridicula, qualia Plautina hæc, Cum enim alter dixisset è collocutoribus, "Terrestris cœna est, multis holeribus, confestim alter, Curato ægrotos "domi. Et hoc item. Cum enim dari sibi dragmam seruus cuperet, & "alter respondisset, Quid nam dragma facere uis, illic alter, Restem "uolo mihi emere, quo me faciam pensilem. Illud uero non tam ridiculum, quàm probatione dignum & sapiens iudicandum. Nan cum senex dixisset grande se onus ferre, alterq; respondisset interrogans, quid nam id esset oneris, tum senex retulit, Annos octoginta quatuor. eodem accedit seruitus, sudor, sitis. Responsa igitur multo maiorem præ se ferunt ingenij uim, insitamq; à natura acrimoniam, cum ea sint extemporalia, ferantq; secum etiam admirationem, cum appareant repentina, minimeq; præmeditata.

Quæ igitur, & qualia Ioci sint, Ridicula, Dicteria, Fabellæ, quæ sint Oratoris, quæ faceti hominis, quæ uero mimica, theatralia, parasitica, quæ & quot responsorum genera, & quibus quæq; à locis ducantur, satis id explicatum est, nec minus aperte etiam declaratum, quæ à nobis quæruntur, ea ad uirtutem tantum spectare, quæ mediocritas quædam est, ad animorumq; pertinet relaxationem, ac tum ad laborum recreationem, relaxationemq;, tum præcipue quidem molestiarum. Quócirca ad alia quoq; transeamus.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE SERMONE LIBER QVINTVS.

PRimum igitur faceti uidetur officium fugitare offensiones, petulãtias, subsannationes, sycophãtias, obscœnitates, atq; id genus plurima quæ honestati quidem aduersantur, animorumq; ipsorum, & post labores, & inter ipsas quoq; insudationes refocillationi. Quod autem plurima inter iocandum accidũt, quæ aut turpia sint, aut parum omnino decora, siue factu, dictu'ue, siue gestu, aut uoce, id etiam diligentissime præstandum est ab eo, illa ut & dicantur, & referantur, quin etiam fiant nullo modo turpiter, minimeq; indecenter, uerũ his in cunctis rectam sequetur rationẽ, quæq; ab illa dictantur, & honesta, & decora. Hoc autem ideo præcipimus, quod ea ferè solum ridentur, quæ, ut Cicero inquit, uel sola uel maxime notant, designantq; deformitatem, aut turpitudinem aliquam, quæ ut dicantur referanturq; haudquaquam turpiter, aut parum decenter, id uero summo studio præstandum est ingenuo uiro. Quod qa difficile est præstare, icirco uirtus hæc in ijs uersari à nobis dicitur. Seruare enim honestum in magna morum corruptione, ac dicendi licentia, id uero quàm difficillimũ, icirco maxime etiam dedecorosum & turpe aliter se gessisse.

Definitio uirtutis huius.

DOmitij Marsi extat apud Quintilianum opinio, urbanitatem uirtutẽ esse quãdã in breue dictũ coactam, aptamq; ad delectandos mouendosq; hoies in omnem affectum, maxime idoneam ad resistendũ, uel lacessendũ, prout quæq; res et persona desyderat. Quæ definitio nobis parum idonea uisa est. Cur autem ita uisum sit, aperiemus. Principio si urbanitatem pro ipsa iocandi uirtute Domitius accipit, à ueri cognitione longe aberrat, cum urbanitas, ut superiore libro ostendimus, rusticitati opponatur, nec genus sit, uerum species. Deinde urbanitas nõ in dictis solum consyderatur, uerum urbanis etiam in moribus ac consuetudinibus. Adhæc cum dicit ad resistendum, uel lacessendum, uerba hæc uidentur solũ spectare ad ea quæ Oratoris sunt, minime uero ad illa quæ ad relaxationem spectant, propter quod uirtus & hæc laudatur, & in maximo habetur honore apud occupatissimos, & laboriosissimos siue ciues, siue ciuitatum rectores. Quod

autem dixit, in omnem affectum, quanquam id non improbamus, uidetur tamen de Oratoria tantum innuere, non de hac ipsa uirtute, quam facetudinem uocauimus, quæq; ipsa moralis ac ciuilis uirtus est, nedum Oratoria ac forensis seu senatoria. Qua è re efficitur, ut et uera, & certa definitio uirtutis huius sit, mediocritatem eam esse quandam iocandi & uerbis & gestibus accommodatis, ad laborum molestiarumq; , ac curarum doloris quoq; honestam & suauem relaxationem ingenuo uiro dignam. Igitur cum in uniuersum multa à nobis disputata sint, multa etiam exempla tradita, circa iocandi genus omne, dehinc ingenuarum facetiarum exempla trademus, carptim tamen, ne multitudine sordescant ipsa, Quibus referendis delectum adhibebimus quemadmodum adhiberi oportere supra præcepimus ijs dicendis. Prius tamen de Vrbanitate Quintilianus quid sentiat, quando ipse Domitianæ huius opinionis relator est, aperiemus. Putat igitur Venustum esse, quod cum gratia quadam dicatur ac uenere, Salsum autem in consuetudine ait pro ridiculo tantum accipi, non quod utiq; id sit, quanquam & ridicula esse oportet salsa, et Cicero quod salsum sit ait esse Atticorum, Vrbanitatis uero nomine significari sermonem præferentem in uerbis, & sono, & usu proprium quendam gestum urbis, ut sumptam è conuersatione doctorum tacitam eruditionem, deniq; cui contraria sit rusticitas. Ac mihi quidem uidentur Rhetoricæ facultatis scriptores & rusticitatem, & urbanitatem circa uerba tantum, gestusq; illa comitantes uersari uelle, Ac si non rusticum sit illotis manibus accumbere in mensa, nec cedere natu maioribus, aut magistratibus in uia nõ decedere, aut illis nõ assurgere, nec salutare quos iter faciens obuios habueris, contra seruare hæc omnia, neq; urbanũ hoc sit neq; ad urbanitatem referendum. Quocirca urbanitas (quod distinguendum erat eloquentiæ scriptoribus) partim in iocis uersatur ac ridiculis urbe dignis, cœtuq; ciuiliũ atq; ingenuorum hominum, partim in factis ac moribus, quos ciues retineant, quiq; in urbe uersati sint, conuersationibusq; ciuilibus. Quo fit, ut Cicero cum urbis mores & admiraretur, & sequendos duceret, ad Rufum familiarem scribens dicat, "Vrbem mi Rufe cole, & in ista luce uiue. Itaq; quod olim esset Atticum, qua è re id est ab humanitate, morumq; suauitate Pomponius ille clarissimus uir agnominatus est Atticus, id ab urbe Roma post, dictum est urbanum, Vt asperi mores, difficiles, morosi, inconditi, rustici dicti sint, & Caius Marius à parum cultis moribus, ac uitæ duritia, quodq; nullas uiuendi sequeretur amœnitates, habitus est rusticanus. Contra qui humanitate præditi essent, suauibusq; ornati

moribus atq; institutis, ut urbani & laudati sunt, & culti. Quid? ꝙ
stultos etiam uocauere, quos urbano à cultu, institutisq́;, usúq; ab hu
mano & ciuili alienos esse intellexere.

Igitur uetustas omnis iocum id accepit, quod esset serio aduersum, cuius
opinioni Horatius etiam assentitur inquiens,

» Sed tamen omisso quæramus seria ludo.

Ludum enim pro ioco posuit. Quo fit, ut qui iocantur seria tantisper
relinquant, dum refrigerationem concipiant aliquam à serijs ac labo
riosis rebus, ut iocatio ipsa ab ingenuis uiris omnino suscipiatur recrea
tionis gratia, quæ tamē nec ab honestate recedat, nec ab ingenuitate.
Quid enim urbanum esse potest ac facetum, quod non idem ingenuū?
aut qui iure laudari, præterquam si honestum? Quócirca in omni a=
ctione & uita, delectu adhibito & rerum, & personarum, itemq́; et
locorum, & temporum, iocandi hilaritas hæc ac modestia magnope-
re laudatur, nullumq́; omnino ciuilis uitæ genus dedecet, cū etiam in
principibus uiris non commendetur solum, uerū etiam desyderetur.

In iocando autem, ludendisq́; facetis duo potissimum cauenda. unū ne
in miseros iocemur, præterꝗ si petulantes fuerint, superbi, contumaces.
Quid enim inhumanius quàm irridere eum, cuius cómoueri et angi
miserijs debeas? alterum ne eos dictis incessamus, quorū maior sit au=
thoritas ac uis, unde eos tibi inimicos facias. Quid enim imprudētius,
quàm potentium iras in se se prouocare? dictis eos lacessentem? Eadē
quoq; animaduersione fugiendum, ne aut populum uniuersum, aut fa
ctionem aliquam, ordinem'ue, aut nationem totam lacessamus, aut di-
sciplinas, artesq́; laudabiliores, aut studia. Quo quid esse potest stul-
tius, aut quid incósyderatius, quàm uno dicto integram in se se ciui-
tatem irritare? Franciscus Philelphus & Græce, et Latine Mediolani
cum profiteretur, prædicantem Bernardinum, qui post obitum ob me-
rita inter diuos relatus ē, dicto aculeatiori ita pupugit, ut ex eo omnē
eorum ordinem qui Minores Fratres dicuntur, non in se modo, uerū
in omnis literatos armauerit. exindéq; insectari studia hæc humani=
tatis, ordinis eius prædicatores nunquā publice priuatimq́; desierint.
Dū Demosthenes nec Philippo parcit, & Alexandrum nunc ut pue-
rum ridet, nunc ut adolescentulū contemnit, quàm prudenter rebus
suis cósuluerit, uitæ eius testis est exitus. Cū animaduertisset Augustus
equitem Romanū bibentem in spectaculis præter morē dignitatemq́;
eius ordinis, misissetq́; ad eum qui sub obiurgationis speciem diceret,
ego si prandere uelim, domum iuerim, tum illum, memoriæ proditū
est, respondisse & modeste & perꝗ ingenue, nequaꝗ Augustum time-

re, locum in orchestra si reliquerit, illum ne recuperet. Quo responso & minax Augusti dictum facete diluit, & principis a se iram per iucunditatem auertit, habita & temporis, & loci, & personarum ratione. Itaq; abstinendum est a principibus. Quin si qua concepta est ira, suauioribus dictis placanda est, quod Tarentini illi iuuenes præstitere, nam conuicti cum essent, quod multa inter cœnandum licẽtius de Rege Pyrrho locuti essent, ratioq; maledictorũ reposceretur, tum unũ ex ijs iocabundum dixisse, Nunquid o Pyrrhe Rex hoc mirare, & querere? per Herculẽ ipsa te in cœna confecissemus, ni lagena nos destituisset. Quo dicto ut & urbano & ingenuo profecto ab homine, omnis e uestigio ira dissoluta est. Accusatus iuuenis quispiam quod in mensa intemperantius locutus esset aduersus sacerdotem, uocatusq; ob id in iudicium, atq; interrogatus a iudicibus, Si eodem (respondit) pacto rursus in cœna me inuitauero, uel duodecim quoq; Apostolos insectabor fustibus. Statimq; inter iudices exorto risu, cognitoq; uini uitio ab illis absolutus est, pœna tñ a sacerdote irrogata, uti quatriduũ uino abstineret. Genus hoc facetiarũ et ingenuo uiro dignum est, et inter egregios ciues relatu atq; auditu, quando & obiecta dissoluit, et offensione caret, nec delectat solũ, uerũ summa quoq; cum laude fert secum audientium approbationem. Id tamẽ uidendũ, ne dicta ipsa aut frigida sint, aut absurda, quæue imprudenter excidant, ex quo stultitiæ accusemur. Gregarius quispiam furti accusatus, dum iram se se prætoris lenire putat, Equidẽ inquit o prætor artibus his hero me placere intellegebã, quid his stultius? nanq; hero, dum dicit, studere se ut obsequatur, illum calumniatus est. Alius eiusdem ordinis in horto deprehensus cum uapulans deprecaretur, non mihi inquit poma surripui, uerum asello meo. Quid hoc frigidius? Habent igitur generis huius dicta suas ac necessarias cautiones. Vtq; ad humilis, abiectosq;, ac miserabiles redeamus, quid indignius, quàm miserum irridere? Colas quidam siculus & naturæ, & fortunæ bonis destitutus cum nobili ab adolescente importune irrideretur, ne tu inquit me irrideas, inferior enim sum, quàm ut irrideri merear, cuius tamen sors deplorari ab summis, atq; infimis iure debeat, haud multum tamen aberit, cum bonis ipse exutus omnibus, mecum & fortunam tuam lugebis, & mendicabis in patria. quod nõ multo post contigit. Habent enim impia, et intestabilia tũ facta, tũ dicta deũ ipsum ultorẽ. Aliquãdo ẽt miserabiliũ e numero ac mẽdicãtiũ existũt, qui dicaces sint, ac maxime ipsi qdẽ ad mouẽdũ risum idonei. de qbus dici iure possit Horatianum illud, Fœnum in cornu gerit. Hi igitur ipsi irritati notas maxime cicatri

coſas relinquunt immorſionum ſuarũ, ut cum dicaculus quidam lip- po inſultaret mendicanti, quod ad ſcrupum pedem offendiſſet, at non offendit pedem tuarum ad limen ædiũ nocte præterita adulter, domo cum abeſſes, quod quidem & factum erat, & ille id minime igno rabat. Quocirca nequaquam committendũ, ratione ut aliqua huiuſ modi hoĩum generis ſiue ĩprecationibus, ſiue male dicẽtiæ te exponas.

D ictorum autem genera facimus duo, unũ quod riſum tantum moueat, alterũ ꝗ approbationẽ. Mouent igitur riſum nõ modo acute ac uenuſte dicta, ſed non nunꝗ̃ ſtulte, iracunde, timide ſeu dicta, ſeu facta. Effer- buerat Alphonſus minor in famulũ ſtabularium, itaq; uocato archi triclino, iuſſit illi uinum decimum in diem adimi. Riſus illico excita- tus eſt ab aſtantibus, qui ſcirent ſtabularium illum abſtemiũ. quod & ſi Alphonſo notum erat, ira tamen memoriã præpedierat. Idem Alphonſus cum fugientẽ cerneret ab hoſtiũ incurſu calonem, interro garetq́;, quo fugis? exterritus ille umbrã (reſpondit) quærito. riſit tum Alphonſus ut ignaue loquentem atq; è cõſternatione, illíq; tabernã ui- nariam oſtendit, eccam inquiens quam quæritas umbram. Idem pro tribunali ius cum diceret, ac ſtultior ad eum quiſpiam acceſſiſſet cla mitans, clementiæ uti ſuæ memor eſſet in iure dicundo, Percontatus tum ipſe quod nam officium præſtari à ſe poſſet facilitatis atq; clemen tiæ? Tum ille clementia inquit uxor mea cubito me hac nocte è lecto expoſuit, & maledictis extra domũ proſecuta eſt. Ego apud te iniuria rum ago. Difficile dictu eſt qui riſus toto foro exorti fuerint. Hæc igi- tur ſiue dictorũ, ſiue facetiarũ genera & ſi in facetum hunc noſtrum minime cadunt dicendo, uſuueniunt tamẽ referendo inter confabulan- dum in circulis atq; conſeſſionibus. At quæ approbationẽ adducunt, & dictu & relatu digna ſunt, addecentq́; utroq; modo facetum, ut apud Plautũ cum percontaretur alter, Quo pacto potis & nupta, & uidua eẽ eadem. reſpondit alter, Quod adoleſcens nupta ſit cũ ſene. dictum minime ridiculum, quod tamen ſententiæ loco probationem inducat. Quale etiam Ciceronis illud, cum dicentibus ſero eum in caſtra ad Põpeiũ ueniſſe, reſpondit, Minime uero ſero, quãdo nihil hic paratũ inuenio. Huiuſmodi enim ſiue dicta, ſiue reſponſa magis pro- bantur, ut concinne, ut grauiter, ut prudẽter, atq; extempore, et ad rẽ ipſam accõmode dicta, ꝗ̃ ut ridicule, cũ ſæpenumero admirationem quoq; ingenerẽt in animis audientiũ. Cuiuſmodi etiam illud Auguſti Cæſaris, nã cũ auctio bonorũ fieret equitis Romani qui plurimo ære alieno preſſus eſſet, atq; undiq; à creditoribus circumuẽtus, iuſſiſſetq́;

ex illis culcitram sibi tantum cubicularẽ emi, mirati cum essent, quibus id negotij ab Augusto dabatur, An non ea inquit habenda à nobis est alliciendum ad somnum culcitra, in qua ille qui tantum deberet, capere somnum potuerit? Non igitur dicta omnia risum mouent, cum hæc ipsa, horũq; similia approbationem tantummodo secũ ferãt.

R isus uero ipse aut è nobis ipsis petitur, aut ex alijs, aut è rebus, ipsisq; ex euentis. È nobis igitur risus petetur, cum aliqua tanquam subabsurda dicẽtur, non tñ subabsurde, aut gestus quidam parũ erunt compositi, atq; ob id ridiculi, cum tamen neq; ipsi per se, neq; res ipsæ nostræ sint ridiculæ. Est apud Plautum in Casina senex, qui uillico ancillã tradere in uxorem studeat, cum ipse tamen uoluptatem ex ea sibi quæreret. Itaq; quo risum Poëta excitaret inter spectatores, errantem inter loquendum illum inducit, Nam cur senex inquit non ego id perpetrẽ quod cœpi, ut nubat mihi? illud quidem uolebam, nostro seruo uillico, Subabsurdum, atq; aberrantem illum, parũq; in uerbis consistentem facit, quo risum inde excitet. Gregorius Typhernas quo præceptore Græcis in literis usus sum adolescens, ad forum accesserat rerum uenalium, dumq; rusticano cum homine non potest de mercimonio conuenire, sermone enim cum illo nimis composito utebatur, ibi ego qui rem perpendissem, conuersus ad rusticum ó bone inquam homo, ex hac omnino summa quantum ipse uis decorticari? quod à me dictum est pro demi. Tũ ille uerbo hoc & suo, et rusticano cũ uoluptate audito, renidenti similis, aspernatusq; Gregorium, meq; de amœnitate complexus, Tu inquit sapide adolescens, uniuerso de pretio quantum tibi uisum fuerit decorticabis. Tũ ego, De cumulo isto tuo uel granulum exgranulabo. Rursum ille in risum abiens, Pro arbitrio inquit exgranulabis. Ad ea ipse, Nouẽ igitur tibi granula, argenteola, crassula, atq; hæc quidem tantum immanuabo. Immanuabis inquit q̃ primulum. Hac igitur ratione composito pretio, transacta res est, qui uero aderant omnes in cachinnos resoluti sunt, Feci igitur me ridiculũ, hoc est rusticanũ, quo agrestis hominis mollirem duritiem. Quæritur autem ex alijs risus, ut cũ Cicero de genero suo, qui exigua esset statura dixit, Quis obsecro generum meũ ad gladiũ alligauit? Item de Quinto fratre, qui et ipse breui esset statu corporis, cum uidisset imaginẽ eius maioribus lineamentis ad pectus usq; depictam, Profecto inqt frater meus dimidius maior est q̃ totus. Antonius Galateus, cui præter summam rerũ doctrinã, summus etiam ac rarus quidam inest dicendi lepos, prætereũtem passũ maiore, ac frequentiore claudũ

quempiam cum uideret, Cui nam inquit diuo sacer hic dies est o' cam panator, adeo nam frequẽs tintinnis? Itaq; et à nobis et ab alijs, pluri mis etiam modis, ijsq; maxime diuersis risum excimus. Militabat sub Alphonso eques, cui nomen erat Rostro. hic tegmẽto capitis quod hodie birretum uocant, utebatur rubro atq; in cristam porrecto. forte et ex cubias pro castris agebat. Cũ igitur Alphonsus noctu munus suũ obi ret, in eũ & ob cristam, et ob nomen iocatus, Quando inquit o' galle matutinum cantabis? ad ea ille, Male inquit matutinatur, q uespernã non gustauit. quo quidẽ ioco delectatus Alphonsus uestitu illum dona uit etiã diuersicolore, quo gallum & crista, & appellatione, uarieta te coloris, toto etiam corpore referret. Sed immorari hac in parte, exẽ plis amplificandæ eius gratia afferẽdis, omnino uidetur importunũ.

Reliquum est, ne partem eam inexemplificatam relinquamus, quæ tum à rebus ipsis risum quærit, tum ab euentis. Qua autem uia risus ab ijs quæ eueniunt comparetur, Cicero docuit, in Vatinij consulatum io catus, cum paucorum admodum dierũ fuisset. Magnum inquit osten tum anno Vatinij factum est, illo enim consule, nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuit. Docuit & Vatinius ipse in Ciceronis uer ba iocatus. Nam cum gloriaretur Cicero se rei publicæ humeris ab exilio reportatum, Vnde ergo tibi uarices? Vatinius intulit, Nec mi nus apud Plautum seruus pro ancilla suppositus in cubili, cum à spe ctatoribus risum captans dixit, Mihi quidem ædepol insignite facta est iniuria. duobus nupsi. neuter fecit, quod nouæ nuptæ solet. Extat etiam Catonis dictum admodum facetum, cui renuntiatum cum esset, Albidij ciuis Romani, qui sua bona per luxum, atq; ingluuiem con sumpsisset, domũ, quæ una illi esset reliqua, incendio conflagrasse, Vt belle inquit Albidius Proteruiam fecit, alludens ad sacrificiũ, in quo mos erat, quicquid reliquiarum superesset ex epulis, in ignem id con ijci. Extat eodem hoc etiam in genere Valerij Martialis & bellum & cultum epigramma ad Faustinum amicum.

» Lotus nobiscum est hilaris, cœnauit & idem
» Inuentus mane est mortuus Andragoras.
» Tam subitæ mortis causam Faustine requiris.
» In somnis medicum uiderat Hermocratem.

Elicitur etiã rebus ab ipsis risus multipliciter quidẽ, quando rerũ ipsarũ et multiplex, et uaria, et penè infinita supellex est. Itaq; & maximã, et perq̃ idoneã iocantibus præbent materiã, siue ioca sint ipsi liberales, atq; ingenui, siue seruiles, aut rusticani, siue theatro detur opa, mimi-

cis'q; spectaculis. Conabimur itaq; quantum memoria nobis ex diutina lectione sumministrabit, quantumq; ipsi ingenio asseq poterimus, pro materia qua de agitur, exẽpla diuersi generis uariæq; ioculationis afferre, dignitate tamen seruata. Philosophamur enim, uel philosophicæ potius ludimus, nõ ea tamen licentia, ut histrionijs, sicophantijs'q; locus detur in scriptis his nostris ullus. Rerũ autem appellatione et negotia, et artes, et ministeria, opificia'q;, et prædia, et supellectilẽ, censum'q;, et id genus externa omnia intellegi uolumus, Vido Grãmaticus quẽ ego adolescentulus Perusiæ audiui senẽ iam, retinentem tamen dignitatem institutore dignã, fuerat iunior in editiore domus parte cũ ancilla deprehensus à discipulo, atq; eo quidẽ in statu, ut cũ discipulus magistro illudens dixisset repente ad primã deprehensionem, Omnis homo currit, non discedens à Grammatica, Dialectica'q; disciplina, præceptore quoq; ab ipso, momento eodem responsum fuerit, Præter me uolantẽ, statum uidelicet consyderante in quo deprehensus esset. Res igitur ipsa et discipulũ admonuit, & doctorẽ ijsdẽ sensibus simul ludere, eadẽq; in sententiam iocari. Thomas Pontanus nobilissimus Rhetor habebat in delitijs catellam, cui Lusculæ erat nomen, ea cum uidisset ancillulam cum hero ludentem delitiosius, in eam mordicus illata est, qua de re cũ illa quæreretur ad herum, respondisset'q; ille ioculabundus, amorẽ tenebris gaudere, atq; inde uulgo cæcũ dictitari, tum illa, Atq putabã (retulit) de nomine ipso Lusculã cæcam esse. Erãt Lucio Manlio pictori deformiores liberi, quod cum animaduertisset q apud eum cœnitabat Seruilius Geminius, dixisset'q;, Quid hoc Manli, quod nequaq̃ similẽ in modũ et pingis, et fingis? ille subdidit illico, quid mirũ, qui in tenebris fingam, pingam in luce? M. Cicero cũ audisset Pompeium in bello illo Macedonico militẽ Gallũ Cæsaris, è castris qui ad eũ transfugisset, ciuitate donasse, perbellũ inqt hominẽ, q Gallis alienam promittat ciuitatem, cũ nostrã nobis non possit reddere. Iocabundus quispiã uel tentabũdus potius, cũ dixisset (nã de somnijs corã Alphõso Rege erat disceptatio) nocte præterita somniasse, dono se ab Rege accipere sacculũ aureis grauidum, Ibi tũ Alphonsus, An ignoras adhibendam somnijs fidẽ Christiano ab homine nullam esse? Est Iouiano Pontano, qui de his disserit, Eugenia filia, eaq; sine liberis, cumq; aliquando ea suis è scriniolis protulisset imagunculas quasdam uenustissime effigiatas, Quanto inquit melius o filia & patri, & uiro, & tibi ipsi consultum esset, si harum similes aliquas ex utero tuo proferres. Altera eius filia Aurelia, eaq; natu maior amisso Paulo marito, cum à patre ad alterum uirum, torum'q; hortaretur secundũ, Quin-

tu inquit pater non & nuptias secundas inis? Quia (respondit) nullā matri tuæ similem me reperturum confido. Id ipsum (respondit) me me uersat pater, quod mihi placiturum Paulo æque similem sperem neminem. Hæc ipsa cum uix duodecim annorum filiam marito despondisset, iubente Federico Rege, eaq; à uiro, parum pro ætate, atq; urbanis moribus deliciose tractaretur, interrogatáq; quàm nam uxorie filiola cum marito ageret? Mihi inquit mortuus est coniux , filiæ uero nullo modo uiuus. Hæc uero ipsa responsa q̄uis risum nō afferāt, afferunt tamen approbationem. Atq; ea quidem de causa in medium illa attulimus, uti ex hoc quoq; genere quæ in utranq; partem & risus, et approbationis proferri possent, præteriisse minime uideremur. Ioannes Pardus nō minus urbanus consessor, quàm eruditus philosophus consederat in aula principis. constiterat ei ad latus Iurisconsultus ueste serico, uultu quàm maxime seuero, oculis in humum coniectis, qui post multum silentium, corona non ineptorum hominum circumstante, uoce quàm maxime canora, atq; in tonum sublata cœpit excantare magis quàm dicere. Hic Pardus, Ut è concauo inquit, ac uacuo è loco sonitus hic depromitur. Vix ullum unquam tantus risus prosecutus est dictum. Bernardus Vitalis, uir multi usus, ac maxime compositis moribus interrogabatur à Federico Rege, quid nam esset causæ cur in uescendo alosa pisce oculari uteretur uitro? respondit, Nequaquā ipse miraris ó bone Rex legentem me amicorum epistolas, quibus legendis nullum immineat periculum, uitro uti, at demiraris usum ocularium in edendo maxime spinoso pisce, sentibusq́; tam spissis atque acutis, quibus singulis insit uel strangulatorius gladius. Ibi adolescentulus licentiosior, Quid inquit ó Vitalis uteris ne specillis istis tuis, ubi cum uxore lusitas? Quin (inquit) uxoris naso ea admoueo, quo mercimonium illi meum crassius , uegetiusq́; appareat. Quid aut festiuius, aut in re licentiore uenustius? Prosequebatur quidam mirificis Gallos laudibus, summa celeritate alpes, Apenninumq́; transgressos paucissimis diebus in Campaniā contendisse, magnis pedestribus, atq; equestribus copijs, ibi homo qui ægrius fortasse id ferret, dissimularet tamen, At inquit multo id admirabilius, Federicum tam breui è Rege remigem factum esse, Siquidem spoliatus regno pauculas in triremes se se receperat, quibus post ad Ludouicum Regem in Galliā est delatus. Iis in copijs manus quædam fuit nec exigua, nec male strenua, cuius insigne esset cochlea. Hac è manu cum fama esset, non paucos Romæ tumultu exorto, cæsos, suoq́; sanguine Floræ campum cruentasse, hic Chariteus. Quid nunc inquit dicent Enniani isti,

Cochleas herbigenas, domiportas, sanguine cassas?

Erat sermo porticu sub nostra de usu resinæ uinaceæ, quod'q; ea summo studio conquireretur à mercatoribus. Erant qui dicerent Campaniam inopem eius esse, quod uina haberet & tenuiora, & permultum acida. Idem tum Chariteus, quo solet tum suo illo lepore, tum summa ingenij dexteritate, Si busta inquit Gallica perscrutari curæ sit mercatoribus, nullam eius generis resinæ regionem feraciorem hac inuenerint. Ferdinãdus Rex ægerrime ferebat, ubi quos aut binos, aut ternos uidisset deambulantes, qui'q; suas inuicem res, sua'q; consilia inter deambulandum conferrent. Quod cum aliquando Pompa parasitaster deprehendisset, Vin inquit ó Rex aut magnam tibi molestiam adimere, aut non exiguum deambulationibus ex ijs compendium comparare? portorium ijs constitue, perinde ut è piscationibus, mercimoniorum'q; inuectionibus persoluendum. mihi crede, diues inde uectigal exegeris. Idem Rex commendabat noui portorij excogitatorē. Erat autem uectigal huiusmodi. stipendia qui de regio acciperent ærario, pro singulis centenis aureis, quatuor annuos in ærarium ut referrent, Ad ea Ferrandus Geuara, qui tum aderat, eques maxime festiuus, & comis, At ego inquit ó Rex, quo apud te commendatior multo sim, id tibi consilij dederim, nobis omnibus, quos & pascis, & uestis, ut & uictum eripias, & uestitum. mihi crede, nullum siue mari siue terra, nec maius, nec utilius excogitari à quoquã hoc ipso uectigal poterit. Est ridiculum & lepidum Valerij Martialis illud,

» Potor nobilis Aule lumine uno
» Luscus Phryx erat, altero'q; lippus.
» Huic dicit medicus, bibas caueto
» Vinum, si biberis, nihil uidebis.
» Ridens Phryx oculo ualebis inquit.
» Misceri sibi protinus deunces
» Sed crebros iubet. exitum requiris.
» Vinum Phryx, oculus bibit uenenum.

Est et hoc iocosum ac suaue.

» Raucæ cortis aues, & oua matrum,
» Et flauas medio uapore Chias,
» Et fœtum querulæ rudem capellæ,
» Nec iam frigoribus pares oliuas,
» Et canum gelidis holus pruinis,
» De nostro tibi rure missa credis
» O' quàm Regule diligenter erras.

Nil nostri nisi me ferunt agelli.
Quicquid uillicus Vmber, aut colonus,
Aut Thusci tibi, Thusculi'ue mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum,
Id tota mihi nascitur subura.

Marinus Tomacellus Romæ agebat, quo tempore inter Ferdinandum Aragonensem, & Andegauiensem Ioannem de regno Neapolitano erat certamen, quod totam in se Italiam conuerterat. Fauebat partibus Andegauiensibus Atrebas Cardinalis. Itaq; nuntius allatus cum esset, Ioannis copias fugatas, Atrebas Marino obuiam factus, Quid uanitatis inquit per ora hominum sparsum audio? milites Gallos fugatos esse. Ad ea Marinus minime quidem fugatos, nam ne fugere possent, ad unum captos omnis esse, respondit. Tum Atrebas tu quidem Marine uersutior es, quàm pro breuitate corporis, cui Marinus, At tu quidem ó Atrebas minus es multo & uerus & probus, quàm pro proceritate ista tua. Faustus Lucij Syllæ filius compertum cum haberet sororem suam eodem tempore adulteris duobus dare operam, Fuluio uni fullonis filio, alteri Pompeio cui cognomen esset Maculæ, eaq; accusaretur à familiaribus, quod uno tempore duos haberet Maculam, & fullonem amatores, tum ipse quasi uix id crederet, Miror inquit sororem meam habere maculam, cum eadem fullonem habeat. Lanij cuiusdam Neapolitani Ditis nomine uxor erat de se ipsa liberalior, quàm pudicam deceret. dicaculus quispiam cum eam per iocum diceret, carnem minoris uĕdere. Quid mirum, subdidit Franciscus Puccius, quæ ditem lanium habeat coniugem? Ex ijs igitur quæ dicta sunt (ne nimij hac in parte uideamur) facile quidem apparet, risus unde oriri soleant, siue à nobis petantur, siue ab alijs, siue à rebus ipsis, rerumq́; euentis. Quo autem secundum Philosophorum sententiam apposite magis loquamur, sunt enim tria bonorum genera, aut ridentur in nobis corporis siue deformitates, siue uitia, aut animi, aut quæ externis sunt è rebus, quæq́; ab euentu contingunt. Iocabatur persæpe in semet ipsum Federicus Vrbinâs, quod oculo altero captus esset, Nicolaus Picininus, quod pede uno minus ualidus, uterq; belli dux, alter maxime strenuus, alter summe cautus, & hic et ille admodum facetus, Vrbinâs quidem ornatus literis, multaq́; præditus eruditione, Picininus uero ut qui ad Grammaticum profectus nunquam fuerit. Ille igitur nunquã non in iocando elegans atq; urbanus, hic qui cuperet esse urbanus, cum tamen præstare uix id posset. Dicentem audiui sæpius Antonium Panhormitam nunquam se magis in

initio deiectum animo, in exitu autem maiore cum hilaritate risisse, quàm cum obuiam Nicolao factus, illiq; ut duci fortissimo, ut Mediolanensis rei administratori & assurrexisset summissius, & de more etiam reuerentius salutasset, Illum igitur ut qui & subblandiri Antonio cuperet, & suauiore etiam sermone complecti, Dispeream dixisse o' Antoni, ni oculis me me captum uelim, quoties te intueor, Ad ea se quanquam consternatum dixisse, Nam quem o' imperator eximie, quem nam quæso tuarum rerum obseruãtiorem me me uno aut inueneris, aut facinora qui tua & uehementius admiretur, & maioribus atq; uberioribus prosequatur laudibus? Ibi tum illum in risum conuersum statim subdidisse, blandientem quidem, quamuis blandiri parum posset, aut sciret, Quoties inquit te te ipsum cósydero tanta cognitione præditum, tot tantisq; animi bonis clarum atq; illustrem, me autem contra, meamq; ignorantiam rursus reputo, odi te ut aduersarium, ueneror ut scientem. Conatus est uir, qui per omnem ætatem militiam exercuisset, uelle esse urbanus. præstitit quod potuit, fortasse etiam plusquam cupijt, dum se se ignorantem professus, illum ut doctum, & rerum multarum peritum pariter & admiratur, & colit. in alio igitur homine hæc ipsa (ut imprudentius dicta) iudicari stulta possent, quæ (si mentem dicentis respicias) laudem non ei minorem afferunt, quàm qua ipse Antonium exornare contendebat, Quo' circa dicta quædam si imprudenter excidant, ut stulta et ridẽtur, et condẽnantur, sin simulanter, uenusta habentur ac lepida. Interdum uero (perinde ut in Picinino) magis uolũtas dicentis inspicienda est, q̃ ea ipsa quæ dicuntur. Secutus ego aliquando cum essem Alphonsum Ferdinandi filiũ, sub cuius ac patris auspicijs Federicus exercitum ductabat, ingressusq; cum essem prætorium, in quo præfecti omnes cõsedissent, et assurrexit mihi Federicus, & tacere omnes iussit. En adest inquiens magister. Videtis quantum inter utrunq; intersit. Dubites tamen, quæ maior aut honoratio fuerit, aut commendatio. hic et prudẽs et sciens præstitit mihi non minus q̃ uoluit, ille quanq̃ ignorans, adnisus tamen præstitit forte in Antoniũ plus etiam q̃ studuit. Dicta igitur pleraq; imprudenter ubi exciderint, merito stulta sunt habenda, ubi uero simulata fuerint, & uenusta et faceta. Sed et temporis tamen, & loci, & rerum ipsarum, cum primis uero personæ ratio habenda est. Deniq; risus ipsi uel gestu excitantur, uel dicto. Accedet autem gratiæ plurimum dictis ipsis, ubi seueritas quasi quædam uultus dicenti affuerit. quod maxime exigitur in ijs quæ spiculata sunt, aculeosq; infigunt. Nã dicacitatem illam scurrilem atq; obscœnam, maxime alienã

non à faceto solum, uerum etiam ab urbanis & comibus esse uolumus, nec tantum autem uerbis, uerum etiam à rerum significationibus abesse obscenitatē oportere Marcus Cicero ostendit, cum ait putare se facetias quidē in narrando consistere, dicacitatē uero in faciendo.

Lasciua dicta non decere facetum nec contumeliosa.

Quoniam autem tum dicta, tum ridicula ipsa aut lasciua sunt, aut iucunda, aut contumeliosa, aut lenia acerba'ue ita quidem tenendum censeo, in conuictibus, congressionibus, quotidiano'q; in sermone, uix unquam principem uirum, ac grauiorem gerentem personam decere lasciuiam, quæ tamen in homuntionibus ipsis humiliq; in loco constitutis commendari passim solita est, quippe quibus dignitas minime obstet aliqua, nullus'q; aut respectus, aut locus. At ioci hilares, iucundi, grati, qui'q; animum honeste recreent, uel etiam sacerdotibus conueniunt, quod Prædicatores usurpatissime in dicendo seruant. Contumeliosa non carent intemperantia, atq; iniustitia, aduersantur'q; recreationi. Eiusdem naturæ uidentur esse aspera atq; amara, quippe quæ & inimicitias excitent, & causas afferant ciuilibus contentionibus. Deniq; summo id studio euitandum, salsum ne dictum præferamus amicitiæ, ac tranquillitati, ne'ue pluris faciamus dictum, quàm amicum & notum hominem.

Cuiusmodi esse debeant fabellarum expositiones.

Fabellarum uero enarrationes, uniuersa'q; earum expositio, res ipsa cuius gratia fabellæ sunt inuentæ, hortari nos debet, ut cultæ sint, elegantes, uenustæ, concinnæ uerbis maxime accommodatis, sentētijs'q; cū primis lepidis ac conditis, tum uoce, ac uultu perquam conuenientibus. Narrare solebat auia mea Leonarda, celebris memoriæ matrona, Podagram aliquando sub mulierculæ speciem peregrinantem in rusculum diuertisse, eamq; ubi uidisset casulas inertissime ædificatas, obsitas araneis, squalidas situ, atq; illuuie marcidas, conuersam ad pedissequas dixisse, Apagete à me hospitium hoc sentum, informe, fœtidum, fumosum, tetrum, apagete diuersorium in quo quid intueare præter marras, bidentes, rastros, agrestium'q; ferramentorum diuersa genera, aut boum, asinarum'q; stercoramenta, siue suum excrementa, ac capellarum. Itaq; ualere iubeo & uillas, & tegetes tam sordentis.

urbs nobis & otia sunt quærenda, urbrs quæ otium foueat. otia quæ urbana sint atq; deliciosa, illatamq; ad primum urbis ingressum in fabri ferrarij officinam, dixisse, Nil mihi cum incude et malleo, in domum inde aliquanto ab ea remotiorem, cuius ante uestibulum choreæ agitarentur, atq; conuiuia, ibiq; interrogasse cuius nam ædes eæ essent, responsum illico, otij eas esse, inhabitariq; ab hominibus desidiosis, somnoq;, & uino marcentibus, è uestigio itaq; domū ingressam uultuq; quàm maxime hilari, dixisse, Hæc domus, hæc patria est, Cumq; solicitudinem, ac laborem ante fores uideret satagentes, iussisse procul eas abigi, & curas inde exulare, cum primusq; sobrietatem, atq; abstinentiam. Hæc auia ipsa nobis pueris referebat & uultu, & uoce, et mēbrorum assensu, qualis fabulantem deceret, ad puerilem animum ad bonos mores, ad negotia, laboresq; inuitandum. Narrare quoq; solita est Christiana mater, cum noctu adolescentulus lectitarem ad candelam, extitisse patrem familias, cui gemini essent filij, morientemq; illum, tum supellectilem multam illis reliquisse, tum olei non mediocrē summam, quo nocturna uterentur ad opera, tenebrasq; euigilandas, Alterum itaq; ex ijs in conuiuijs ac cœnis oleum consumpsisse, exq; eo breui in inopiam redactum, alterum uero dedisse operam literis, oleoq; nocturnis in lectionibus usus ꝙ esset, peruenisse ex eo ad summas diuitias, Cœptum igitur cantari per urbem de utroq; huiuscemodi
» carmen, Hic oleum, & se perdit, dū ad candelas cœnitat, Ille arcam,
» & se ditat, dum ad lucernas lectitat. Eiusmodi igitur fabellæ cum sint ad bonos mores institutæ, atq; ad recreandos animos, & delectare debent, & prodesse, Proderunt autem si ab auditoribus gratis animis acceptæ fuerint. accipientur autem periucunde & grate, si enarratio ipsa ornata, & comis fuerit, si oratio suauis, & nitida, uultus autem, gestusq; dicentis rebus ipsis accomodatus.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE SERMONE LIBER SEXTVS ET VLTIMVS.

Qualis esse debeat uir facetus.

e Rit igitur facetus is, quem nunc instituimus, in iocando suauis & hilaris. uultu placido, & ad resocillandum composito. in respondendo gratus ac concinnus. uoce nec languida nec subrustica, uirili tamen & læta. in motu urbanus, quiq; nec rus indicet, nec nimias urbis delicias. à scurrilitate abhorrebit, uti à scopulo. obscœnitatem ad parasitos, & mimos relegabit. salibus ita utetur ac mordacibus dictis, ut nisi prouocatus ac lacessitus nec remordeat, nec reuellicet, ita tamen ut nunquam ab honesto recedat, ab eaq; animi compositione, quæ ingenui hominis est propria. Fuit Antonius Panhormita admodum urbanus. Thomas uero Pontanus etiam salsus. Hic cum sensisset procaciori è dicto infixum sibi dentem, Ego mihi inquit uulnus obligabo, dum te interim petulantiæ pœniteat tuæ. ille uero, Quod os ipsum impure loquitur, id tutemet ne aures ipsæ audiant obturato. Vterq; & sapienter, & pro dignitate, nec à faceti discessit officio. Erit igitur facetus uir sui compos, dictorumq; moderator, quiq; ubiq; consyderet sermonem suum ad recreationem spectare, & quãuis ipse et sciat, et possit eẽ salsus ac mordax, tñ genus hoc siue dicacitatis, siue aculeatiõis Oratoribus reliquet, q́q; defensitationibus dãt operã, salsiq; esse malunt quàm faceti, Nam ab histrionicis, mimicisq; intemperamẽtis erit prorsus alienus, multo autem maxime parasiticis ab obscœnitatibus & uerborum, et significationum. Erit idem multum etiã comis, cum (ut initio diximus) comitas potissimũ in fabellis uersetur, suauibusq; in enarrationibus ac colloquiis, habebit peritiam multam, multam item memoriam tum eorum qui faceti sunt habiti, tum facetiarum ipsarum, quarum relationes multum habent gratiæ apud audientes, quibus seruandis, delectu quoq; adhibito, mediocritatem retinebit eam, quæ uirtutem hanc, de qua sermo est, constituit. Quia uero nec semper dicta ipsa responsa'ue risum mouent, uerum sæpenumero approbationem, eamq; non nunquam cum admiratione, idcirco idem ipse abũdare debet sentẽtijs, ijsq; grauioribus ac generosis, itẽq; exemplis atq; historijs, uersibus itidem grauissimorum Poëtarũ, quos subinde in medium proferet pro natura rerum quæ in sermone uer-

santur. Quodq; dictu quidem ridiculum uideri potest, non erti gna rus etiam aniliũ fabellarum, quæ pro loco quidem, ac tempore et gratæ sunt, & audientiam sibi comparant, cum etiam animos ipsos auditorum siue fessos, siue exatiatos denuo inuitent, atq; ad audiendum alliciant. Quocirca non in circulis tantum & coronis, siue consessionibus ac conuictibus, uerum etiam in concionibus, cumq; maioribus de rebus agitur, facetus uir id etiam præstabit, ut iucundis, ac suauibus siue dictis, siue sententijs, prouerbijsq;, siue etiam fabellis & astantes ad se audiendum trahat, & urbane eos comiterq; appellatos deliniat, &, penè dixerim, lenocinetur suauioribus fabellarũ explicationibus, aut exemplorũ adductione, quæ cum primis gratæ sint, exhilarentq; auditorium. Postremo autem sic habeto, faceti hominis orationem ubiq; multum gratiæ habere oportere, ut ne grauissimus quidẽ in rebus sui ipsius obliuiscatur, sitq; ita facetus, ut seueritatis quoq; meminerit, adeo autem seuerus, ut sciat laborum comitem esse debere quietem, ac ludũ aliquem, honestum tamen, ac commendatione dignum.

Qualia facetorum dicta, responsáq; esse debeant.

Qualia uero facetorum tum dicta tum responsa esse debeant, ex ijs paucis quæ subijcimus facile apparebit. Franciscus Aelius non in studijs modo his nostris summa cum celebritate uersatus, uerum etiam ciuilibus in actionibus ac negotijs, cum uideret sacerdotem excomptũ admodũ, atq; expansiore capillo, soleisq; incedentẽ editioribus, tunicis quoq; laxioribus atq; in plurimos sinus complicatis, pallioq; inundante, conuersus ipse ad eos qui secum constiterant, An inquit ignoratis, quàm exculti essent, pensiles Semiramidis Reginæ hortuli. Idem cum uidisset Gallos milites calciamentis uti pedum, taurinorum in uestigiorum speciem, Vbi, inquit, horum sunt taurorum cornua? Cumq; Gallicus quispiã ex auditoribus et ipse quoq; facetus subdidisset, In manibus hi gerũt cornua, ꝙ telum scilicet è manibus nunq̃ mitterẽt, Ibi Aelius, Horũ igitur ueruta, halabardæq; sunt cyathi. Extat eius siue dictum, siue respõsum catũ admodũ, Funẽ qui ducerent, eos præ se quidẽ oculos, ponè uero uestigia mouere. Petrus Sũmontius, de quo supra mẽtionẽ fecimus, nã præter summã literarũ cognitionẽ, summe ẽt iucũdus est et comis, cũ animaduertisset matronã et forma, et cultu præcellẽtẽ, oculis tñ lasciuioribus, et penè amatores uorãtibus, Quid, inqt, segnes nõ et nos ad amplexũ eius cõponimus? Est et illud eiusdẽ maxime facetũ, nã uocatus ad cœnã à sacerdote, cũ uinarius prõptor nusq̃ cõpareret,

Quid moramur inquit, quin cantemus illi mortualia? Idē cum intel legeret ciues non paucos occupatos in laudandis pomeriјs Neapolitanis quæ à Federico Rege promouebantur, in mediјs laudationibus inter=strepitans, Ve inquit pomariјs. Quod quidem secutum est, pleriq; eni horti uastitatē acceperūt propter muros fossasq; circunductas. Actius Syncerus, rari uir ingenij, magnæq; nobilitatis & ipse quoq; admodū facetus, cū in conspectu Federici Regis esset inter physicos quæstio, qd præcipue conferret oculorum perspicuitati, aliјq; fœniculi afflatum di cerēt, aliј uitri usum, aliјq; item aliud, At ego inquit inuidiā aio. Ob stupuerunt hoc dicto adeo medici, ut ab auditoribus derisui haberentur. Tum ipse, An non inuidia maiora, ac plenoria omnia uideri facit? Quid autem oculis magis præsentaneum, quàm ut uis ipsa aspiciendi maior reddatur, atq; uegetior? protulitq; statim Ouidianos illos uersus,

" Fertilior seges est alienis semper in agris,
" Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Idem interrogatus ab amico, quid de Marini Mineruæ negotiјs haberet certi? respondit, quod apud forum cum uxore litigaret. Cumq; ille, Quid malum ex te audio, cum uxore hic ut litiget, qui eam in Brutiјs multos ante annos penè uiduam reliquerit? Tū Actius rursum, Quænam (malū) ignorantia ista est tua, qui nescias Marinum re=pudiata priore, nuper uxorem duxisse podagram. Mouit repente qui adessent omniū risum, cum pro lecto ad forū alluserit, ubi perpetua est litium agitatio, pro uxore ad podagram, quæ illi usq; in cubili adesset & comes, & socia, nec quiescere eum pateretur. Pœtus Fundanus, quem audeo dicere Musarum in hortulis adolescere, cum audiret fa=miliarem hominem de pedum dolore heiulatus mittere, nec posse illos compescere, accurrit ad clamores, Ecquid inquiens, aliј de itinere queruntur assiduo, laboribusq; quàm plurimis, de perpetua negotiorum inquietudine aliј. Tu (pro deūm atq; hominum fidem) de quiete que reris atq; otio? quod si tibi molestum est, exurge age, ac peregre pro=ficiscere. Quid quæris? de lepore dolor in risum conuersus est. Audio Romanum Thamyram, Romanum dico, & patriam linguam, et disciplinas, artesq; Romanos referentem, audio inquam Thamyram, cū esset ab Antonio Cicuro, noto ac beneuolente homine, qui blæsus tamē esset, saluere iussus, illeq; blæsuriens, pro Thamyra salue dixisset o' Tumule, respondisse (cum tamen & ipse blæsum pariter se se effingeret) Et tu haue o' Cucule. Blæsa illa salutatio fuit admodū ridicula, multo tamen ridiculosior gestus ipse blæsionem effingens. Etenim meus

hic Thamyras quanquam pudentissimus, tamen solenni die celeberrima in pompa animaduersum cum esset Pontificem Maximum coniecisse in puellam oculos, quæ tenerrimæ esset ætatis ac formæ, mirarenturq; qui in id intenti essent, tum petulanteis Pontificis summi oculos, tum iocos puellæ mutuos, Desinite inquit obsecro mirari Papæ pupam hanc placere cupere, scit enim piper ab eo sub peplo ferri, nec ignorat Papa pupæ penum piperi conseruando comparatum. Nescias quid facetius. Et morum suauitate, & studijs his nostris abunde notus est præstantissimus quibusq; uiris Suardinus Bergomâs, is domi cũ haberet conuiuas, iussissetq; de more exẽptis dapibus bellaria afferri, tum è conuiuis aliquis, Cui bellum inquit (ad bellaria alludens) facturi sumus? Tum ipse, Vinariæ inquit cellæ, Bene habet respondit, etenim sitimus omnes. Agite pueri, tum ipse, Setinum approperate. Rursus ille, Bello ex hoc quæ spolia nobis futura? Ad ea Suardinus, Spoletina pueri in aciem proferte. Tertium ille, cum phaleratos commendaret pomorum canistros, Ne parcite pocillatores, ne'ue Falernis abstinete. Cumq; quartum ille subdidisset, En Munera, lætitiamq; die. Tũ ipse sublato manu utraq; carchesio canere cœpit.

» Cecubum prelo domitum Caleno
» Sit meæ lenis requies senectæ.

Hacq; ratiõe à modestissimis uiris comiter traducta est cœna. Docuit igitur Suardinus, qui'ue ioci, quæ'ue dicta facetũ deceant in cœna præsertim, ut quæ ẽt iocunda & comis esse debeat, ingenuisq; conuiuis digna, non tamen hac ut in parte ferculorum ratio tradatur, sed iocorum tantum, ac facetiarũ. Celebrabantur à Ferdinando Rege Hippolytæ nurus, atq; Alphonsi filij nuptiæ, apparatu splendidissimo. Erat dies decursionis hastatæ, flagrabantq; sub sole cuncta. Conuenerant autem mortales omnis generis ad spectandum, cumq; plurimi ludorũ essent laudatores, uel pleriq; omnes admiratores potius, in media laudantium frequentia & plausu exclamauit Theutonicus, O' ualeant ludi inqbus nemo bibit. Nesciam an aliâs tanta in multitudine dictum ullum tanto cum risu acceptum fuerit, præsertim ex ore Germanici hoĩs. Philopœmenes Acheorũ dux præcipue iter Græcos clarus, erat diuersurus ad hospitium ueteris amici. Quo cognito iussit hospes apparari quæ necessaria essent alia, ab uxore, dum interim ipse obsonium appararet. Hæc inter Philopœmen solus (ut ipsa res ferebat) ad hospitiũ properat, quem uenientem hospitandum, ut solũ, ut deformem, ut qui nihil ornatus haberet eximij, arbitratur mulier ex administris esse aliquem, qui herum præueniret, cum esset de ad-

uentu Philopœmenis mirifice soliciata, etiam blandienter rogauit eum se uti adiutaret ad dominum comiter accipiẽdum. Tum Philopœmen, ut erat perhumanus, cognito mulieris errore, confestim securi accepta, & cuneo cœpit lingua findere coquendam ad cœnam. Hospes interim domum regressus cum animaduerteret Philopœmenem findendis lignis malleo incumbere, Pro Iupiter inquit quid hoc Philopœmẽ? pro pudor deorum, atq; hominum quid agis dux maxime? uultumq; de dolore simul, ac pudore demisit. Ad ea Philopœmen maxima cum iucunditate, Pro deformitate inquit oris, totius corporis pœnas luo. Voluit ipsemet præbere de se & risum hospiti, & sibi ipsi ridiculus esse. Res sanè festiuo, ac faceto homine digna, quæq; quo rarior, eo etiam fuerit lepidior. Alphonsus Rex quem liberalissimum ætas nostra experta est, cum homini de se bene merito de manu præsentem pecuniã tribuisset, Amabo inquit hoc age, ne thesaurarius hoc resciscat meus. Cumq; ille subdidisset, Tu ne o Rex quæstorem uereris? Vereor inquit, ne hac è causa de cœnis mihi altero, tantum demat. Studebat Alphonsus liberalitatem eam occultam esse, cognito deniq; accipientis ingenio, fecit se deridiculum, dum, ne illum paruifaceret, uult uideri. Eundem in Philopœmenem cum iocaretur aliquando Titus Flaminius, deformitati corporis eius illudens, diceretq; uultu quàm maxime iocoso & hilari, Quid hoc Philopœmene cum pulchras manus, crura etiam perquam pulchra habeas, quod uentrem ipse non habeas. Ad ea Philpœmen eadem cum hilaritate & uultu, Quid o Romanorum imperator eximie cũ egregios pedites, strenuos maxime equites habeas, quod pecuniam minime habeas? Nam & Flaminius persæpe inopia rei pecuniariæ laborabat, quemadmodũ Philopœmenes exiguitate uentris, ac medij corporis gracilitate. Facetissime etiã Themistocles aduersus filiũ, matris fauore atq; authoritate quædam exposcentem, nam ad matrem eius conuersus, Græcis quidem o uxor inquit Athenienses imperitant, ipse ego Atheniensibus, ut autem mihi, tibi uero ipsi filius præscribit. Non probabat Cn. Pompeius in Thusculano ædificatam a Lucullo uillam, quod ea æstiuæ quidem inhabitationi accommodatissima cum esset, hybernæ tamen parum omnino prospectum fuisset, ad quæ iucundissime magnaq; cum festiuitate Lucullus, Num tibi, inquit, Pompei quàm grues, quàm ciconiæ, minus habere cordis uideor? qui nesciam pro temporibus habitationem mutare? Et illud quoq; ab eodem concinniter, ac iocose. Cum enim dispensator rei familiaris ab eo accusaretur, quod parciorem parasset cœnã, & ille respondisset, quod solus quidem cœnaturus esses, non putabã lautiore apparatu opus esse. Ibi ipse uultu quàm maxime festiuo, An

ignorabas apud Lucullum ipſum cœnaturum eſſe Lucullum? Facetum admodum etiam Catonis illud, quanquam dicacitate non caret. Nam maritimum ciuis quiſpiã fundũ cũ uẽdidiſſet, quod eſſet uentri, ac luxui ſummũ in modum deditus, hoc cognito, ꝙ eius ingeniũ Catoni perſpectum eſſet, ſtatim inquit, Per herculẽ nimis miror hominẽ hunc, ꝗ̃ mare plus ẽt pollere. Videlicet ꝙ ille per luxũ atq; gulam abſorpſiſſet, quod mare fluctibus uix allideret. Eſt eiuſdẽ Catonis dictũ, quanꝗ̃ ſapiens, tamen quod etiam facetũ dicas. Filius enim eius matre mortua cũ mulierculam ad patris cubiculum ſæpicule itantem, tortiuus aliquando inſpexiſſet, id'q; Catoni eſſet ſignificatum, confeſtim alteram deſpõdit uxorẽ, quod intellegens filius, patrẽ precabatur, ignoſceret ſibi, ſiq̃d per incuriam peccaſſet. Tũ ipſe, Nihil (reſpondit) eiuſmodi eſt in cauſa, niſi ꝙ tui ſimiles patriæ plures relinquere ciues cupiam. Illud uero Marci Ciceronis & acutum admodum & facetum, Quidam enim cũ ei dixiſſet, Tu ne iſtud ætatis uirgunculam duxiſti? Cras (reſpõdit) mulier erit. Iulia Auguſti filia, Marci Agrippæ uxor cũ intellexiſſet ſuis ẽ cõſcijs mirari quoſdã ꝙ liberi eius tã eſſẽt Agrippæ ſimiles, Deſinant inquit mirari, quando ipſa nunꝗ̃ niſi naui plena uectorẽ tollo. Hoc quanꝗ̃ facete reſpõſum, ſignificatione tñ obſcœnitatis minime caret. Emerat Alcibiades canẽ raræ magnitudinis nõ exiguo pretio, nec multis poſt diebus & caudã illi mutilari, et per urbẽ liberũ abire iuſſit. Hoc uiſo cum oẽs rẽ ut ineptã mirarẽtur ac ſtolidã, alij deridere Alcibiadẽ ꝗ id feciſſet, alij ẽt ut ſtultũ eum, animiq; parũ omnino cõpoſiti accuſare, eẽ ẽ familiaribus, atq; amicis ꝗ obiurgarẽt. Quo cognito Alcibiades in riſum uerſus, At mihi inq̃t hoc facto ꝓbelle, ꝑq; opportune conſultũ eſt, Cũ enim ſcirẽ Athenĩeſem populũ aſſiduo de me, rebusq; obloꝗ de meis ac maledicere, cõmẽto hoc, dũ ineptã hanc materiã ridiculãq; ei maledicẽdi trado, ĩpudẽtioribus à maledictis, q̃bus me quotidie diſcerpũt, et illũ auerti, et me ẽt liberaui. Atheniẽſis Anitus uir et diues, et ſplẽdidus ꝑauerat amicis cõuiuiũ, rogaueratq; Alcibiadẽ eorũ uti numero ſe adiũgeret, cũq; recuſaſſet, domũ ſe Alcibiades recepit, uino ibi liberalius indulgẽs, atq; hoc facto, cũ ſeruis profectus, atq; ĩ Aniti cœnaculũ irrũpẽs, iuſſit abaci ornatũ dimidiatũ ipſum q̃dẽ à ſeruis rapi, in quo ꝑmulta eſſẽt ex auro atq; argẽto uaſcula, atq; ad ſe ĩpetu eodẽ ferri. Quod factũ à cõuiuijs acriter cũ inceſſeretur, ibi Anitus, Qui inq̃t Alcibiades tãto cũ de hoc abaco pro arbitrio ei facere ius eẽt, liberaliſſime mecũ egit, ꝙ dimidiũ mihi eius ĩtegrũ reliquerit. Publius Syrus, cuius multæ extãt præclaræq; ſententiæ, interrogatus quid podager quiſpiam ad ſolem

constitutus ageret, perquam belle respondit ac perargute, Aquam calfa
cit. Idem quoq; interrogatus, quod nam ipse molestum esse otium duce
ret, Pedum podagricorum respondit. Delectant autem hæc tum dicta
tum responsa, nam et lacessunt neminem, & obscœnitate carent, nec in=
digna sunt ingenuo homine, siue dicendo, siue audiendo, nec in referen
dis fabellis non uenustant narrationem ipsam, uniuersamq́; explica-
tionem. Gonnella siue fabulator facetissimus, siue ioculator maxime co
mis interrogatus aliquando à Nicolao Marchione Ferrariensi, quarũ
nam siue artium, siue facultatum in urbe Ferraria maior esset nume-
rus? confestim, Quis id dubitet, medicorum maiorem esse numerum?
Tum Nicolaus, O' inanem hominem, & urbis huius artium, artifi-
cumq́; ignorantissimũ, quippe cum uix duo, tres'ue ad summum Fer
raria medicos habeat siue ciues, siue externos. ad ea Gonnella, O' prin
cipem maioribus rebus deditum, qui ob eas urbem suam, suosq́; ciues
ignoret penitissime. Tum Nicolaus, Quid si hoc falsum ꝙ ipse asseris?
Tũ Gõnella, Quid si ego uerus? Ibi siue pœna, siue mulcta ex cõpacto
ei qui uanus inuentus esset, constituta. Igitur insequenti die sub aurorã
Gonnella pro templi astans foribus, obuoluto pellibus ore, ac gutture,
interrogantibus qui in templum ingrediebantur, quonam morbo la=
boraret, respondebat singulis, dentium dolore, singulis etiam remediũ
aliquod dolori præbentibus, quorum ipse & nomina conscribebat,
& remedia. Atq; hac ratione urbem perrectans, perscrutãdoq́; reme
dia, singulos qui obuiam fierent, percontatus, supra trecentos homines
medicinam dolori tradentes notauit in tabella. Quo facto regiam in
gressus, qua hora Nicolaus prandebat, se se obtulit inuolutis & ore,
& ceruicibus, ingentem dolorem simulans. Nicolaus astu uiri parum
cognito, cum intellegeret illum haud bene ualere à dentibus, Hoc sta
tim inquit remedium Gonnella adhibe, laudabis Nicolaum, è uestigio
enim sanus eris. His Gonnella acceptis, domum regressus tabulã in-
struit, remedia illa, remediorumq́; authores continentem, ac primo lo=
co Marchionem ascribit, inde alios atq; alios delectu adhibito. Tertio
die quasi sanus, atq; à dolore liber, nudata gula ac ceruicibus, prin-
cipem adit, docet quæ conquisita, & comprobata fuerint. mulctam
ab illo expostulat, atq; in ius illum se se adacturum minatur, atq; his
dictis tabulam Marchioni legendam exponit. Ibi Marchio primum
inter medicos locũ se se obtinere conspicatus, inde alios atq; alios pri-
mates uiros, à risu continere nequiens, seq; uictum confessus, pecunia
illi ut solueretur imperauit. Princeps idem Nicolaus equi Gonnellæ
huius caudam quo in loco stabulabatur, clanculum nouacula abscin-

di iuſſit. Ille hoc præcepto, aſellis qui eodem in ſtabulo nutriebantur,
particulam labiorũ ſuperiorum abraſit. Delatus apud principem nõ
excuſauit factũ, rogauit tantũmodo damnũ uti æſtimaretur, ipſiusq́;
ad conſpectum deligati ducerentur, quo æſtimatio ipſa æquius fieri poſ
ſet. Primo itaq; loco reſte ducebatur Gonnellæ equus caudæ uix fru-
ſtum motitans. ſubſequebantur aſelli ſuo ordine illigati. Qui ut ante il
lius conſpectum ſtetere, resq́; ipſa oculis omnium expoſita eſt, atq; ani
maduerſa, nec princeps ipſe, nec quiſq̃ ex ijs qui aderant, fuit, quin
riſu dirũperetur. Tũ Gonnella, Nec tu princeps in ſolio conſtitutus, nec
quiſq̃ è iudicibus, quamuis grauis ac ſeuerus, ad hoc ipſum ſpectacu
lũ tenere riſum potuit, tu ne aſinos, tu ne beſtiolas has à riſu continue
ris, dum equum tam ipſis familiarẽ decaudatum contuentur? Quo au
dito iteratus eſt riſus, Gonnellaq́; ipſe abſolutus, commendatusq́; ut fa
cetorum omnium princeps, ſuauiſſimarũq́; facetiarum artifex ſuauiſ-
ſimus. Idem tamen ipſe aliquando irriſus ac deluſus dicitur etiam à
mulierculis, ut cum iter faciens per Vmbriam, perq́; agrum Treuien
ſem animaduertiſſet puellulam prandentem in uia, reſidentemq́; in
lapide, ac deſpoliato porrò complicantem ſpolia illa in epiſtolæ ſpe-
ciem, complicataq́; in os ingerentem, dixiſſetq́; ac ſi puellam rideret,
Ad quem nam ó ſcitula literas iſtas complicatas mittis? Tum illa ir
riſione uiri cognita, exhilarato uultu, Obſignandas eas anui reſpon-
dit mitto, dextera etiam anum ſignificans. Cumq́; haud multo poſt
puellæ alteri obuiã factus eẽt, quæ capellas paſtum duceret, dixiſſetq́;
tentabundus, En tibi ó bellula argenteolum, petroſelinum mihi ſi de
nudaueris, accepit illa conditionem, atq; argenteum? ſtatimq́; apprehẽ
ſa capella annicula, caudaq́; eius ſubleuata, En inquit uide atq; inſpe-
cta quod optaſti holuſculum. Huius tamen generis multa ſunt qui ar-
bitrentur à Gonnella ipſo efficta quo ridiculum ſe ſe quacunq; ratio
ne faceret audientibus, Mariotta Antonij Rebatti mercatoris Florenti
ni uxor, nec inſulſa quidem matrona, nec parum comis uirum cum
intellegeret, noctu per urbem uagari ſolicitandis ſcortillis, intranti ei
fores domeſticas aſtitit in ſummis ſcalis, accenſa facula, nudatisq́; pu-
dendis, Qua ille re inſpecta, cum inclamaſſet, Quid ó quid Ma-
riotta hac opus eſt facula? quid nudatione? Tum illa, Quo planè in-
ſpiceres, an hic tantum tibi inſit, quantum ſatis eſſet? ne alibi quæri-
tando labores. Sed genera hæc ſiue ludendi, ſiue iocandi non carẽt tur
pitudine, et ingenuo parũ digna ſunt homine, riſum tamẽ mouent dũ
in circulis referũtur. Quale illud eſt ruſticani cuiuſdã, non inſulſi tñ
homuntionis, cum enim equo ferretur ad nũdinas ſtrigoſo ac perlongo,

intrantemq́; eum in oppidum uir iocabundus sciscitaretur, quanti uenderet panni decẽpedam, ipseq́; eo dicto petitum se intellegeret, statim ex equo descendit, sublataq́; equi cauda podicem illius ostendens, Ingredere inquit ó amice tabernam, neq; enim illiberaliter habeberis, emesq́; mercatu bono.

Quales igitur faceti esse debeant, qualia etiam facetorum tum dicta, tũ responsa, quæ allata sunt à nobis exempla, docere abunde possunt. Quoniam autem ipsis è facetijs, ac ioculatióibus recreatio quæritur, ac remissio à laboribus molestijsq́;, ne huic quoq; rei parte ex aliqua desimus, lectio ipsa communicatioq; tum lepidorum uersuum, tum dialogorum plurimum quoq; conferet ad refocillandos animos, quin historiarum quoq;, quæ auertant auditores (dum attente quidem audiuntur) à curis, cogitationibusq́; grauioribus. Scribendarum fabellarum Luciano, Ioanni item Boccatio an aliud fuit consilium, quàm ut lectores pariter, atq; auditores delectarent? Idem & Poggio plurimus colligendis quæ urbane dicta essent, cumq́; festiuitate & risu. itaq; de ijs libros etiam fecit Latine scriptos. Vitæ quoq; præstantissimorum uirorum tum Græcis, tum Latinis ab authoribus mandatæ literarum monumentis continent tum salsa, tum uenusta, quæ ad relaxationem conferant, quæ uersata in circulis, interq́; conuiuenteis habeant demulcere curas, & tanquam lenocinari molestijs nostris. Nã præter ea quæ ad hilaritudinem spectent ac iocum, multa ijs continentur lectionibus, quæ alijs atq; alijs rationibus animos demulceant, inducantq́; eam, quam ipsi quærimus relaxationem. Cuius rei paucis his admonuisse satis fuerit.

Illud uero minime omittendũ, quod ad relaxationẽ, audientiáq́; retinẽdam non parũ sibi et ornatus, et adiumenti facetus uir comparabit referẽdis ijs siue dictis, siue respõsis, siue fabellis, quas ipse ab alijs accepe rit. Ac licet ea ipsa cum dicerentur essent siue salsa, & aculeata nimis, siue obscœna & spurca, poterit tamen referre cum modestia. quo efficietur uitijs ut ijs careant, qualia nunc ipsi referimus. Fuit è senatoribus Petri Aragoniæ Regis Queraldus quidam tum ore fœdo, tum reliquo corpore parum composito, tamen qui summa comitate esset præditus, maximusq́; in negotijs exercitatus. Is missus aliquando ad Regem Africæ, fuit ab illo in cœnam adhibitus, quam nostrum in morem Rex ipse apparari iussit editioribus in scannis, Afri enim in solo super tapetis discumbunt. Cœnitauerunt complures simul. Rex qui & ipse comis esset, & iocandi studiosus, iussit clàm ossa colligi

omnia, eaq; ad pedes Queraldi illo nesciente coniici. Finita igitur cœna, cum aulæ magistri iussu mensæ essent sublatæ, appareretq; ossium cumulus, tum quispiam à Rege submissus, Quid hic inquit ossium uideo? lupus profecto hic cœnitauit, non homo. Tum Queraldus ad Regem conuersus, Mihi inquit o Rex cum lupis fuit in cœna negotium, quando luporum est & carnem, & ossa simul abrodere. quod comessatores isti tui fecere, Ego uero ut homo, ut conuiua comis, carnes absumpsi, ossa in humũ abieci, in canũ pastum, atq; oblectamentum. Hæc igitur dictio ut mordax tum pupugit, at relatio ut iucunda nunc delectat. Idem Queraldus quo Regem delectaret, adhibitus ab illo in cubiculum, in quo constrata essent omnia serico, atque exasperatis acu purpuris, nullusq; relictus esset locus, in quo sine nota posset inspui, fieretq; illi proximus regiis è famulis quispiam ore fœdo, atq; impuro, è uestigio excreabundus os illius sputo inspurcauit, qui sublata statim uoce Regem appellauit. Hoc cognito Queraldus, Ego inquit iucundissime Rex apparatus tui nitorem admiratus, ne aliqua illum parte contaminarem, nullum cum alium præter illius os, immundũ relictum locum, atq; spurcosum cernerem, in illum excreatum profudi, quasi à te ob id seruatum, quo nitor ibi tuus saluus esset. Actio quidem ipsa sordida tunc fuit, & contumeliosa, at relatio perbella. In eadem legatione quidam è Regis aula factus ei obuiam, in deformitatem eius illatus, Quid inquit Petrus Rex portenti ad nos misit? Ad ea ipse confestim, Sciebat inquit Petrus ad quem me mitteret. nã & Rex ille deformior erat. Hæc ipsa & dictio, & responsio habent in dicendo spicula, at in referẽdo salẽ ac iocülationem propter promptitudinem respondendi, ac maledicti reiectionem tantopere inexpectatam. Parasito cuidam apposita cum esset in mensa uulua suilla deridiculi gratia, tum ille sublatis pudibunda è corporis parte uestibus, nudato bacillo, illum in quadram iniecit, cumq; esset inclamatum à comessoribus, immurmurauit inquiens, talis carnes cultrum talem exigere. Quod quidem actu fœdum, obscœnum responsu, at relatu pro loco tamen, atque auditoribus non iniucundum. In hoc autem ipso iocandi genere comis est admodum, ac periucundus A. COLOTIVS noster, tum propter insitam ei à natura perraram quandam in dicendo hilaritatem, tum propter egregiã literarũ peritiam, rerũq; multarum usum. Quo fit, ut in explicandis fabellis, in epigrãmatis, Comicorumq; Poëtarũ dictis referẽdis ac lusibus mirifice delectet. Quibus in rebus cũ primis habẽda est pudoris ratio, limitesq; ipsi uerecũdiæ aut parũ, aut nihil prorsus trãsgrediẽdi.

Locus tamen, & tempus, & auditorum personæ non nunquam paulo licentius indulgere solent ijs qui uerba faciunt. Matrona Mediolanensis è familia puetusta et nobili, quæq; aliquando cum amatoribus lusisset, fuerat à sacerdote solicitata, qui è Fratrũ Minorum esset ordine. Ea coràm solicitanti in hanc sententiam respondisse traditur, se non posse non multum illi quidem debere, ex eo quod amaretur, cæterum ægre se illud ferre, quod ab eo eius ætatis esse iudicaretur, cum non esset, in qua quod reliquum esset, ut reliquiosum quidem, ac male olidum Fraterculorum tunicis sudore ac pædore infectis subijceretur. Quod responsum per urbem cum percrebuisset, ipsáq; à grauibus quibusdam uiris, ac sibi perquam familiaribus interrogata, serenitate quadam oris rem omnem confessa esset, licentior illa, festiuáq; explicatio uisa est non solum non ademisse aliquid pudori, uerum addidisse multum comitati, atq; inter notos et amicos gratiæ. Galeatius Pandonus Ioannis Andegauiensis partes secutus cum alijs non paucis in carcere, ac squalore complures annos Ferdinando à rege est habitus. cæteri in uinculis assiduo maledicere, lamentari, mœrore confici. ipse contra iocari, ridere, pædorem in delicias uerbis conuertere, nihil illo iucundius esse, deniq; eam ob rẽ in pugillatum descendere. Quod Ferdinando renuntiatum cum esset, liberari eum è carceribus statim iussit, liberatumq; honesto salario est prosecutus. Ille ad mortem usq; Ferdinandi sic uixit, ut quæ plurima in carcere teterrime passus esset, ea omnia inter enumerandum in risum conuerteret ac iocum. Cum igitur quæ ad facetudinem spectent, quæq; ad facetum instituendum à nobis explicata sint, reliquum est uti pauca quædam de Ironicis dicamus, ne pars hæc tanquam inculta à nobis relictáq; uideatur.

De Ironicis.

Et Aristoteles uirtutum moralium disputator solertissimus, & Græci scriptores pleriq; omnes tradunt Socratem fuisse Ironicum, quodq; dissimulãtia eiusmodi à modestia proficisceretur, inde effectum est ut genus quoddã dissimulationis sit ad uirtutem referẽdum. Quando eius, qui ea utitur, nequaquam illud est aut consiliũ aut finis, quo aut fallat ipse quidẽ, nugetur'ue, aut lucrum inde sibi comparet, uerum ut ostẽtationem defugiat, tumoremq; uitet, ab insolentia uero sic recedat, ut intra modestiæ ac uerecundiæ fines potius diuersetur. De eo enim in quo quis præstat, cum demit sibi particulam, uel de se ita quidẽ loquitur, ut uideri nolit aut insolescere ex eo, aut non existimare tantum se

profecisse,

profecisse, quantum aliorum fortasse sit iudicium, utrunq; profecto modestiæ est, non terguersationis, aut fraudis, qua tamen in re medium quoq; retinendum est. Nam uelle id quod inest, nimium attenuare, id finitimum est inficiationi. Vehementior enim extenuatio non minus fortasse in ostentationem intendit, quàm arrogatio illa insolens ac uanitatis socia. De cuius principijs quia multa iam tradita sunt à nobis, reliquum est de hac ipsa Ironia quæ uirtus est, & à multis Socratica est agnominata, quæ necessaria uisa sunt, uti præcipiamus. Agnominabimus itaq; libenter Socraticam siue dissimulationem, siue ironiam, quo notius appareat alia dissimulationis genera turpia esse, quæq; condénentur digna, sicuti iam docuimus, cum in pluris eam distribuimus partes, hoc uero ipsum genus & honestum esse, & ad uirtutem referendum.

Definitio.

Quo igitur Socratica hæc quæ & qualis sit, magis appareat, eam sic terminabimus, quædam ut sit mediocritas pro loco quidem, ac tempore, proq; personæ dignitate dissimulandi ea quæ nobis insunt, & in quibus præstamus, sine ostentatione, & fraude, ac sine lucro. Nam nec Socraticus hic dissimulator pecuniæ inhiat ac lucris, nec ut demittendo seq; & sua, altius efferat, neq; ut inaniter mentiatur, aut decipiat. Eritq; eleuatio ac demissio ipsa sic modesta & prudens, ut neque quod inest, prorsus inficietur, perinde ut nihil externum affingit, exornat'ue sese ijs quæ sua non sunt, utq; ab ingenuitate nullo modo recedat, sed in ea ipsa dissimulantia potius id præstabit, quod liberali dignum homine iudicetur. Hos igitur intra fines Socratica hæc modestia uersabitur, iuraq; constituet sua, nam si mediocritas est, modum necesse est, retineat ac temperationem, aliter enim aut in fraudem declinabit mendacium'ue, ac ueri abnegationem uoluntariam, aut in ostentationem elatam illam quidē ac superbientem, perinde ut de uestitu Laconico Aristoteles iudicat.

Ac primo quidem loco quærēdum uidetur, an ætatem omnem, ac qualécunq; uitæ partem deceat dissimulantia, omnem ne etiam personā? siue is filius sit familias, siue pater, siue cum magistratu, siue priuata liberáq; publicis à muneribus. Cuius quidem rei prudentia ipsa iudex erit, & ea ratio, quæ iure suo recta agnominatur. Senex tamen quàm iuuenis adolescens'ue ad retinendū modestiam quam requirimus, ut prorsus magis est idoneus, sic minus facilis ac lubricus ad in-

currendum in ostentationem, aut in deceptionem, ac fraudem, propter longiorem uitæ usum, animumq; magis confirmatum aduersus inconstantiã, ac leuitatem, tametsi adolescentulos non nunquam uidemus optime constitutos, senes contra perq̃ immoderatos. Sed nescio quo modo in sene ironiam hanc id est eleuationem bene ante actæ uitæ, rerumq; gestarũ minus admiramur, in iuuene uehementius. fortasse quod ætas hæc promptior est ad ostentationem, seq; resq; suas magnificandas. ab utroq; tamen habendus est ante oculos habitus ille Laconicus. Ac ne nostris à disciplinis discædamus, Iulius Pomponius exactissimus ætatis nostræ Grammaticus, Romanæq; uetustatis perpensor quàm maxime diligens, nobilitatem generis ita dissimulauit, cum è familia esset Sanseuerinia, quæ haudquaquam exiguæ parti Lucaniæ imperitaret, ac Brutiæ, ut neq; ipse genus fateretur, & cum illis quibus notum id esset, ita loqueretur, ut uideri posset nobilitatem contemnere. Cognitionem uero rerũ plurimarũ, quæ in eo erat non mediocris, ita præ se tulit, ut docens ipse, uetustosq; authores interpretans declararet qui et quantus in docendo esset, atq; in interpretando, cæterum in conuentibus, familiariq; in consuetudine ac sermone mirum est quàm uerecunde nedũ modeste de se aut sentiret, aut loqueretur, cumq; alijs plurimum tribueret, in se ipsum maxime parcus erat. Contra uero Laurentius Vallensis, multæ uir doctrinæ, ingenijq; in primis acuti popularibus in congressibus, ac literatorũ circulis ostentandæ disciplinæ iudicatus est fuisse studiosior, ne dicam parum modestus. ut ijs in circulis multo appareret diligentior, q̃ in libris ipsis quos scriptos reliquit, Cumq; non pauca in Dialecticas adinuenisset aduersus horum temporum artis eius magistros, eo se se efferebat, palàm ut diceret, nullam esse Logicam præter Laurentianam. Albertus uero cognomento Magnus, qui multa posteritati phisicis in rebus ingenij sui reliquit monumenta, in ultima senectute cum studiosis à uiris consuleretur, respondere plerũq; est solitus, Quærite Albertum in libris. adeo non modo non præ se ferebat tot annorum studia, lucubrationesq;, sed memoriæ uideri uolebat timere, cum tamen & memoria optime ualeret, & obuersarentur ei ante oculos physicæ inquisitiones etiam iuuenilium annorum. Antonius Panhormita, qui obliteratam, nedum languescentem in Italia Poeticam restituit in antiquã penè formam, cum à studiosis persæpe hominibus de pueteri, dubitataq; siue Poëtæ aliqua, siue Oratoris interrogaretur sententia, quadam etiam cum frontis hilaritudine, ac si memoriæ diffideret, Ite (respondebat) ad Iouianum, adeo etiam senex & primarius uir in Al

phonſi Regis aula, quod ſæpenumero docuiſſet, ſcire ſe diſſimulabat.
Itaq; quē nunc fructum colligit, diſſimulatione ex ea; colligit. Hæ igi
tur Socraticæ ſunt diſſimulationes, & honeſtæ & laudabiles, non ut
oſtentēt, non ut lucrum inde aliquod capiant, præter honeſtam illam
animi conſcientiam in ſe ipſa ſibi congratulant eſt, perfruentemq́; bo
nis ſuis. quem tamen fructum, eumq; maxime uberem admirata po-
ſteritas ipſa reddit. Hæc eſt illa deſpicien a ſui ipſius tam liberalis,
ut liberalitate ex ea, ne dicam eleuatione rerum ſuarū tantos colligat
redditus, ut centuplum inde ſumma etiam cum ubertate accipiat. De-
trahebat ſibi Socrates de cognitione rerum, de ſcientia, non ut abne
garet quod in luce expoſitum erat, ſed ut alios inuitaret ad humani-
tatem, ac modeſtiam, neque enim uideri uolebat inſoleſcere ob multa-
rum rerū peritiā. Franciſcus Aretinus genere nobilis, doctrina exi
mius, ætate prouectior, cui Romana nō parū debet lingua, inter ipſos
quos habebat doctrinæ ſectatores ita ſe gerere eſt ſolitus, ut poſt tradi
tam īſtitutionē, minore ſemper inter illos partes, q́q; ſuæ eſſent, ſuſcipe
ret. Itaq; non ſolū ſibi quod ſuū nō eſſet, nullo modo arrogabat, uerū
demebat de proprio et in loquēdo, et in conuerſando cū familiaribus.
Nec uero quancunq; ad interrogationem ſiue iocando, ſiue ſerijs utendo hic
ipſe ubiq; erit ironicus, ac diſſimulans. Nam nec uir fortis quocunq;
in periculo, fortitudine ac robore ſuo utetur, illudq́; obibit. Nec urba
nus et comis in funere iocatur, et ad riſum inuitat dictis ſuis aſtantes.
Delectus ſed adhibendus, rectaq́; illa ratio conſulenda. Franciſcus Pu
dericus Grāmaticum cū commonefaceret, cuperetq́; illū minus excā
deſcere erga diſcipulos, temperantiusq́; illos uerberare, uocatum illū
ad ſe huiuſmodi aggreſſus eſt dictis. Quid hoc amabo, quod aliorū
quidem Grammaticorum diſcipuli ſuis de inſtitutoribus queri conſue
uere, ferula quod nimis ſæuiant, te uero ipſum incuſant quod nec ira
ſci ſcias, nec ſcuticula ferire. Itaq; diſſimulanter dum loquitur, Gram
matico ruborem induxit. Mater mea Chriſtiana de me admodum pue
ro cum eſſet ſolicita, ſciretq́; me aſſiduum agere apud Grammati-
cum, primasq́; ferre inter condiſcipulos partes, nec laudare corā uel-
let, alibi his adoriebatur, Quid ó fili de te audio? quod hodie ſupe-
ratus è ludo diſceſſeris, in themate Latinis uerbis explicando, Ali-
bi, At ego mellitum tibi edulium parauerā, quod ſperarem te uicto
rem literaria è concertatione rediturum, redis uictus? Quod igitur
tibi parauerā ad eum ſum qui te uicit miſſura. His igitur atq; alijs
mater gaudium diſſimulabat, dum laudare puerum me, corā̀ o-
mnino defugit, Socraticamq́; per diſſimulationem hortabatur ad pdi-

ſcendas literas. Quin etiam prudens hæc diſſimulãtia plurimum ſecum fert momenti & in laudando, & in uituperando. Antonius Panhormita cum irridere uellet philoſophantium è claſſe quempiam, quem honoris cauſa haud nomino, perinde atq; admirabundus dicebat, Hic decimo poſt anno quicquid profecit, primo quidem ſtudiorũ die profecit. Horatius etiam Poëta inſectandis uitijs, atq; irridendis ineptijs magnopere eſt Socraticus. Quid quod Annibal eodem irriſionis genere luſit Antiochum Regem. cum enim Rex ſuas illi oſtentaret copias, & numero peringentes, & armis egregie inſtructas, percontanti ſatis ne eæ aduerſus Romanos eſſent, reſpõdit ſe, ſatis eſſe, arbitrari, tametſi Romani admodum auari eſſent. Vide obſecro quàm Socratice ignauiam illius riſerit. Eadem arte ſummis extulit Scipionem laudibus. nam cum eſſet (ut traditum eſt memoriæ) ſermo inter eos de ducum excellentia, dixiſſetq; Annibal, primo ſibi uideri ſtatuendum loco Alexandrum Macedonem, ſecundo Pyrrhum Epirotam, ſibíq; aſſereret tertiũ, intuliſſetq; Scipio, Quid ſi te non uiciſſem? Tum ille, uel me reſpondit omnibus cenſerem præferendum. Itaq; per hos quaſi cuniculos, iteŕq; diſſimulatum peruenit ad exquiſitam illam ac maxime celebrem laudem. Iulia Auguſti filia, Marci Agrippæ uxor hac etiam uia paternam à ſe auertit reprehenſionem. nam cum animaduertiſſet patrem Auguſtum permoleſte tuliſſe, quadam quod in pompa excultiore ornatu, luxúq; indulgentiore proceſſiſſet, diéq; inſequenti matronali ſolum more culta patri ſe oſtendiſſet, ab illóq; mirifice eſſet laudata, quod in eam formam ornata incederet, Tum illa, ut erat ad diſſimulandum inſtructa, uerbis his heſternum luxũ deprecata eſt, luxúsq; increpationem à ſe auertit ingens. Heri me uiri oculis exornaui, hodie patris. Multum itaq; has ad res ſiue in laudẽ ſpectent, ſiue in accuſationem, ſiue in reſpondendo, ſiue in iocando ipſa ualet diſſimulatio, ratione duce et comite. Petrus Cõpater cuius mors ſenectuti meæ ingens nuper uulnus inflixit, uir utiq; ad omne genus facetiarum maxime appoſitus, cum prætereuntem conſpicaretur abũde locupletem hominem, maxime tamen attenuatum, hic inquit multa dãdo factus eſt diuitior. Idem cum uideret compluribus cum ſatellitibus incedentem militarẽ hoiem, eundẽq; purpuratum, Nimirũ hic inquit hoc cum ornatu & cliẽtela ad aram proficiſcitur à dijs ueniã impetraturus, quæq; per uim rapinamq; abſtulit, templo, arisq; oblaturus. Conſederat Laudiuius compluribus cum literatis Antonianam ad porticum, utq; erat ingenij, literarũq; oſtentator oppido quàm glorioſus, cum recitaſſet uerſus quoſdam à ſe in laudem editos Bartholo

mæi Rouarellæ ſacerdotis Cardinalis, Quo, inqt, ſciatis, uerſiculi hi noſtri quantopere Bartholomæum delectauerint, ijs ipſe auditis confeſtim de manu quidẽ aureolos quinquaginta mihi dinumerauit. Aderat ibi homo qui & leuitatem eius noſſet, & Bartholomæi magis strictas, atq; attenuatas, quàm parcas erogationes eẽ. Is itaq; ore quàm maxime compoſito, Per Petrum inquit & Paulũ adiurarim, breui Laudiuium Pontificem Maximum futurum, cum in eum ſacerdotes, auariſſimum genus hominum tam ſint liberales, Macte ingenio Laudiui uerſus quàm plurimos & conde, & ede. facile hoc ſcribendi genere Pontificatum tibi comparaueris. Quæ potuit eſſe inſinuatior irriſio? & inaniſſimi ſimul hominis, & inertiſſimi poëtæ? Atq; hæc qdẽ ironia agnominari Irriſoria recte poteſt, nã nec Socratica prorſus ẽ, cũ aut parũ, aut omnino nihil demat imminuatq;, et tñ à modeſtia non recedat. utuntur autem ea & Oratores, & Poetæ, nõ ſine urbanitate. Thomas Pontanus per urbem deambulans, interrogatus à uiatore, an Cancellarius eſſet Perufinus? reſpondit, ſe uiatorem eſſe, impudentiq; interrogationi eius hac ratione illuſit. Actius Syncerus cum irridere uerboſum hominem honeſte uellet, conuerſus ad aſtantes, Homo hic inquit à muto parum abeſt. Quid quod hæc ipſa diſſimulantia maximam quandoq; uim habet laudationis, ut cum familiaris noſter Suardinus Suardus in conuentu literatiſſimorum hominum commendare induſtriam uellet, aſſiduitatemq; adoleſcentis cuiuſpiam in literis, Hic inquit adoleſcens à Muſis auerſus eſt adeo, ut etiam noctes in choreis abſumat ac paleſtris. Contra cum uituperare hominẽ maxime ſordidum uellet, Homo hic inquit domi habet nitelarum omnium magiſtrum, ſordiumq; cenſorem. Vticenſis autem Cato licet ipſe in explicanda animi ſui ſententia apertus admodum, ac liber eſſet, tamen ſurdaſter cum haberetur, ſæpenumero acſi non audiſſet, quorundam dictis nihil omnino reſpondebat. Itaq; diſſimulandi genus illud Socraticum ut ad modeſtiam referendum eſt, ſic hoc ipſum Catonis ad prudentiam, ſapientiſſimumq; uiuendi uſum, ac rationẽ. Nec uero pauci hoc diſſimulationis genere non à maledictis modo ſe tutantur, dum tanquam non audiſſent, illis non reſpondent, uerum etiam à malefactis, dum aliter etiam quàm dictum eſt, ſe ſe accepiſſe fingunt. Adoleſcens quidã uocatus ad teſtimonium dicendum in cauſa furto ſubreptæ lanæ, ſumpta occaſione à luna, quæ biduo ante deliquium paſſa eſſet, diſſimulauit ſe audiſſe de lana, itaq; de luna reſpõdit. nãq; interrogatus à iudicibus de lanæ ſurreptione, ſublatis in cœlum oculis, Per inquit cœlum ipſum iuro iudices, perq; dei poten=

tiſſimũ numen, q̃ oĩa nutu ſuo tẽperat, nunq̃ me dediſſe operã Aſtro
logiæ, neq; unq̃ me audiſſe qua ratione lunæ ſurreptio fieret, addidit
et ijs fatua quædã dicta. Quibus uerſi in riſum iudices, arbitratiq; ru
dioris illũ ingenij eẽ, ac proſecuti eũ cachinnis, abire è cõſpectu perin
de ac fatuũ permiſerũt. Ille igitur ratione hac à dicendo teſtimonio
liber euaſit. Prætor Neapolitanus p urbẽ ſummiſerat ſatellites, Focil-
lũ quẽdã qui caperent furti ſuſpectũ. ij percontati de eo cũ eſſent Er
ricum Pudericum equitem Neapolitanum, iſq; illum ſciret proxima
delituiſſe in taberna, At inquit Facellam ſcitote domum illam quæ eſt
ante oculos paulo ante ingreſſum, eſt enim Neapoli Facellarum fami-
lia peruetuſta & nobilis, dumq; illi monſtratam ingrediuntur do-
mũ, interim facultas, data eſt Focillo prætoris ſatellites euadendi. Itaq;
dum ſe fingit Erricus pro Facillo Facellam audiſſe, fugæ illius conſu
luit. Conſtans etiam fama eſt, diuum Franciſcum, dum inter homines
ageret, lepuſculum canes fugitantem, quo ſaluum faceret, delatum illũ
metu ad pedes eius cœpiſſe, atq; intra tunicæ ſiniſtram manicam, quæ
laxior eſſet, immiſſum abſcondiſſe, cumq; uenatores facti obuiam per=
contarentur, qua lepus tranſiſſet, dextera leuam deſignans. Scitote re=
ſpondit uiri, hac illum minime tranſiſſe. Igitur uir ſanctiſſimus diſſi=
mulatione ea uſus eſt, quo à canum dentibus lepuſculum liberaret,
quem poſtea eductum è manica abire liberum permiſit. Quod &
ſi fortaſſe in exemplum fictum eſt, tamen & ſimilia quandoq; acci-
diſſe in rebus hominum, palàm eſt. Et hæ quidem diſſimulationes li-
cet facto magis cõſtent quàm dicto, tamem à dicto ut male accepto ini-
tium ducunt, & cauſam.

O mnino autem rerum publicarum moderatores, quiq; populis præſunt
ac nationibus, animaduertere, uel perpendere potius examinatiſſime
quidem debent, qua et uia, & fronte diſſimulatione hac utantur. Si=
quidem eorum dicta, ſententiæq; & altius penetrant in animos audi
entiũ, & latius tum dicta, tum reſponſa ſignificationes extendũt ſuas,
alijq; atq; alij diuerſis ea modis interpretantur, ut cum Iacobus Cal-
dora cogitabundus inter deambulandum immurmuraſſet, Capuam
Roma quidem minorem at Carthagine maiorem fuiſſe. Tum unus
ex ijs qui aderant ſuſpicatus, agitare animo Iacobum Capuæ obſidio
nem, confeſtim id Campanis ſignificauit, quod haud multo poſt Iacobi
conſilijs incommodi plurimum attuliſſe conſtat. Quòcirca principibus
uiris, rerumq; publicarum adminiſtratoribus & ubi, & qua uia, et
apud quos Socratica hac utantur diſſimulatione, etiam atq; etiam con
ſyderandum eſt. Ferdinãdus Alphonſi filius patre mortuo interroga=

tus à familiaribus amicisq; , an ærarium relictum esset ei à patre abunde amplum? dum illud dissimulanter extenuat, regulos penè omnes, optimatesq; ciuitatum regni ad rebellionem inuitauit. pro tempore tamen ac loco ipsa extenuatio non parum adijt ad authoritatē, existimationemq;. Qua quidem arte Federicus Vrbinas sæpenumero magna cum prudentia utebatur, nam nec raro quidem, nec occulto, aliquando etiā in propatulo hosti se imparem dicebat, partesq; suas minores profitebatur, quo uerbis ijs hosti significatis, imprudētiorem illum, minusq; cautum redderet. Quo fit, ut hæc ipsa omnia, ratione metienda sint, arteq; temperanda. Quando ratio ea quæ à Peripateticis iure quidē recta dicitur, actiones in utranq; partē nostras definit.
R es autem ipsa & docuit, & assiduo docet, non in uoce solum, ac uerbis, uerum etiam in uultu, gestuq; ironiam locum ac ius suum retinere, ut cum aliud dicimus, aliud innuimus, aliud uultu, aliud manu significamus. hinc apud Persium,

O' Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Nam et contemptus, ac derisiones quædam gestu magis ac signis fiūt, & maxima sunt ex parte ironicæ, cum tamen uoce laudem uideantur afferre. Nā et prætereūtes siue ciues, siue peregrinos postq̄ eos blāde familiariterq; salutauimus, aut manuum gestu, aut oris irridere consueuimus, ut salutatio ipsa omnino fuerit ironica, ac ridicularia. Quid quod uerba quædam maxime sunt ad ironiam idonea? quale est uerbum Vale, & Viue, aliæq; salutandi uoces, indeq; inductum est, ut sæpenumero ab eruditissimus etiam scriptoribus ea uerba malam dicantur in partem, ut illud Terentianum, Valeant qui inter nos dissidium uolunt. & Tibullianum illud,

O' ualeant syluæ, deficiantq; canes.

Item apud Virgilium, Viuite syluæ. & apud Valerium Catullum,

Cum suis uiuat, ualeatq; mœchis.

An non serui interdū, ac ne quam et scelerati homines uerbis dictisq; fœdis ac contaminatis sibi male dicunt, inuicemq; conuiciantur, ac detrahunt? cum ipsa tamen detractio laudationis in se uim habeat, ac speciem congratulationis quasi cuiuspiam.
D e ironia igitur, Socraticaq; dissimulatione hactenus. Absoluta est, ut arbitror, de sermone disputatio, communiq; oratione, ac famliari, præcipueq; pars ea qua requies quæritur, relaxatioq; à laboribus ac molestijs. E' qua quidem explicatione liquido apparet, quæ uitia sint inter colloquendum fugienda, sermonesq; domesticos, quæ contra mediocritates complectendæ. Tu uero sic habeto ad honestas uoluptates, re-

laxationesq; à curis, ac negotijs nihil tá conferre, quàm sermones il li conferunt, collocutionesq;, quæ de deo habentur, diuinisq; de rebus. Id quod nuper Petrus Compater moriens declarauit. paulo enim ante quàm animam ageret, multa cum de deo, deq; animorum disseruisset æternitate, sic deniq; ad astantes nos, quos ualere iubebat, conuersus, et tanquam ultimo in actu constitutus, lingua etiam hebescente dixit, Omnes quidem sermones inter notos atq; amicos esse suauissimos, illos uero multo suauiores quorum materia deus esset. Quócirca nos ipsos exhortatus prius, post etiam per deum ipsum obtestatus rogabat, uti amicitiæ memores, quoties conueniremus, nostra omnis oratio à deo inciperet, desineretq; in deo.

FINIS.

HISTORIA BELLI, QVOD FERDI NANDVS REX NEAPOLITA NVS SENIOR CONTRA IOANNEM ANDEGA VIENSEM DVCEM GESSIT.

P. Summontius Reuerendissimo, & illustrissimo Francisco ex Picolhomineis Aragonio, Bisinianensi Episcopo. S.

Historiam belli Neapolitani, quod Ferdinandus Aragonius cum Ioanne Andegauiensi quondam gessit, ad te nunc mitto Antistes optime, ita quidem non dum omnino expolitam, ut scriptore ab ipso relictam inuenio. Leges autem hic egregias gentis tuæ laudes, utq; Maximorum Pontificum lumen, Secundus ille Pius tuus, ut innumerabiles alias eius taceam uirtutes, regna etiam integra parare amicis consueuerit. Is enim mortuo Alphonso Rege, cum tantam illam procerum, ac populorum a Ferdinando eius filio defectionem, quæ sanctissimi patris æquitas erat, ferre iam non posset, ita Ferdinandi rebus fauit, ut & bellum omne suis ipse præcipue auspicijs confecerit, & pacatum tandem ei tradiderit regnum. Quod uero ad historiæ fidem attinet, Pontanum scito singula hæc non rerum fama collegisse, non hinc atq; illinc emendicasse, sed interfuisse ipsum rebus fere omnibus. Nec est, quod miretur fortasse quispiam, nouis eũ agere interdum uerbis, qualia sunt dignitatis illa, Comes, Marchio, Dux, Princeps, cæteraq; rerum, ac locorũ huius temporis nomina, cum explicari aliter res ipsæ non potuerint. Quam ille usurpationẽ licet necessario, atq; consulto his temporibus ab ipso receptam, sæpe tamen, dum uiueret, ut erat Latinitatis obseruantissimus, excusabat. Tu qua par est, in authorem gratia munus hoc accipias, Pontanoq; tuo, tuus enim dici iure potest, per quem tum Picolhomineum genus, tum uero Rex magnus uobis affinitate coniunctus celebratur, debere ipse cum tuis nunquam desinas. Vale.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER PRIMVS.

Taliam naturæ instituto quodam (nullum enim perpetuum est imperium) post collapsas res Romanas, & regnantem Gotum, uariæ gentes, diuersis tamen temporibus occuparunt. E quibus maxime illustres Langobardorũ res fuere. Hos diutius regnantes primo Franci, post Normanni et ipsi ab initio partim Germani, partim Sarmatæ uerum è Gallia, quam aut pulsis, aut superatis antiquis colonis occupauerant, profecti pepulere. Princeps autem Robertus Viscardus rerum quas gessit magnitudine, ingentem sibi & gloriam & imperium comparauit. Satis enim parua manu Italiam ingressus, atq; ab Gulielmo fratre, qui Melfia ædificata, cum Normannis in Apulia consederat, cuiq; à uirtute Ferribrachio fuit cognomen, aduersus Græcos in auxilium arcessitus, rebus non semel bene gestis, cum Gulielmo, Drogoq;, atq; Humfredo fratribus, qui pro ætatis prærogatiua, alius post alium Normannis præfuerat, in dominatu successisset, Constantinopolitani Imperatoris præfectos primo è Salentinis expulit, inde in Brutios cum Rogerio fratre profectus, Pœnos qui plures annos genti imperitauerant ui, atq; armis eiecit, traijciensq; in Siciliã, multis cõfectis prælijs, attritisq; tandem barbaris, insulam penè omnem in suam, fratrisq; potestatem redegit. Quorũ reliquias ne dum delet, maiores res omitteret, in montanis Siciliæ locis sedes habere eos permisit. Mox reuersus in Italiam, Lucanos, Apulos, Samnites, Campanosq;, qui cis saltus Terracinenses sunt, diuersis artibus, ac temporibus domitos, in suum, ac fratris iurare nomen coegit. Post uero cum Boamundo filio Hadriam traijciens, fugato Imperatore Constantinopolitano Alexio, plurimis captis oppidis, non exiguam Epiri, ac Macedoniæ partem imperio suo adiecit. ab hoc igitur, atq; à Rogerio fratre imperium cœpit, quod post à Rogerio Rogerij filio in regium nomen uersum est, ac supra trecentos regnatum annos, maximis interim bellis fortiter administratis, pluribus rebus terra, mariq; feliciter gestis, dum ab ipsis aut propulsantur regibus, aut inferuntur bella. Federico etiam & Rege & Augusto Romanã ecclesiã prosternente. Quo mortuo, excitante Romano Pontifice ad bellum Gallos, hi Siculo, ac Neapolitano regno, Carolo duce potiti sunt,

Caroliq; successoribus post inter se de regno contendentibus, quæ contentio Italiam simul omnem, Galliasq; permiscuit, tandem ad Alphõsum Regem deuenit, quem Hispania è citeriore acitum, & annis, ac rebus gestis florentem Ioanna sibi adoptauerat, quæ per id tempus Ladislao fratre mortuo, Neapoli regnabat. Hic Ioanna etiam uiuente, primum cum Ludouico, deinde ea mortua, cum Renato, prouinciæ, atq; Andegauiæ regulis, qui & ipsi regnũ sibi Neapolitanum, quod ex eadem qua Carolus, stirpe essent editi, atq; ex testamẽto superioris Ioãne, hæreditarium asserebant, plures annos bella uario euentu administrauit, tandem Neapoli, per uim capta, Renato etiam pulso, uictor regno potitus est. Hoc regnante Italiæ res maxime floruere, Nã et bella multa fortissime gesta sunt, et bellis partim cõpositis, partim ẽt cõfectis, pax secuta est trãquillitatis atq; opulẽtiæ plena. Hæc ætas fortissimos duces, sapientissimos rerũ publicarũ administratores habuit, uiditq; literarum studia magno fauore, ingenti frequentia, post tot seculorum interiecta interualla reuocari. Quam temporum felicitatem Alphonsi mors turbauit. Hũc hyeme in Apuliam profectum, dum aucupij, ac uenationis studijs capitur, morbus corripit, quo cõfectus haud multis æstiuum post solstitium diebus Neapoli interijt, ætatis suæ annum agens quartum ac sexagesimum. Alphonso mortuo Ferdinandus succedit, quem hæredem in regno Neapolitano pater instituerat, natũ Valentiæ, in Hispania citeriore, atq; ex muliere susceptum, quam Valentiæ cum ageret in delitijs habuisset. Res hortari uidetur, quoniam Italiæ rerum mentionem fecimus, qui tum uniuersæ status esset, quiq; aut populi, aut principes eam moderarentur, paucis exponere. Nec uero cæteræ indignentur urbes, reguliq;, si primæ nobis Venetiæ auspicium dicendi fecerint, & propter urbis ipsius magnitudinem, ac nobilitatem, & propter rei publicæ temperationem, summamq; imperij æquabilitatem. Igitur urbis huius primordia satis quidem exigua fuere. initio enim loca in quibus post urbs creuit, à piscatoribus habebantur, ac salinarijs, qui piscandi studio, aut faciendi salis gratia illic multi conuenerant. Quas ad res locorum eos natura cum primis inuitabat, propinquitas præterea, ac frequentia Venetiæ urbium, è quibus mortales multi eò assidue mercandis ijs confluebant. Quibus artibus, ac quæstibus paulatim loca ipsa creuere habitatoribus. creuere quoq; cum quæstibus simul & negotiandi, et nauigandi studia. Idq; eo magis, ꝙ sedes eæ terrestribus ab incursiõibus maxime tutæ habebãtur, grassantibus iam tũ exteris nationibus, ruẽtiq; romano imperio. Itaq; hac usi opportunitate, opulentissimus quisq;, ac maxime nobilis è

finitimis Venetiæ, atq; Illyrij populis, dum barbarorum, qui per id
tempus Italiam infeſtabant, iram uerentur, in tutiora ſe recipientes,
multis præſertim direptis, non paucis etiam funditus excisis oppidis, eò
tanquam in arcem confugiunt. Poſt uero alijs, atq; alijs cómigrãtibus
cœpere maioribus ſtudijs, cupientioribus animis rem nauticam exer
cere. Quam ad rem locus, neceſſitudóq; magis, ac magis eos adhorta
batur, creſcente multitudine, ac ſolo anguſto, rerumq; omnium, quæ ui
ctui neceſſaria eſſent, egeno atque infœcundo, ut inter paluſtreis,
atque æſtuarios locos ſito. Quod ſi coniectura uti liceat, credibile
quoq; eſt, propinquos quoſdam portus, qui perquam celebres tunc erãt,
illabentiumq; in mare fluminum hoſtia, plurimum frequentiæ contu
liſſe, dum aſſiduo, continenterq; per ea commercia exercentur. Hinc
opulentiorem ad mercaturam conuenarum cum uerterentur ſtudia,
breui Venetorum res (Venetos enim ſe ſe, quod è Venetia emigraſſent
uocauere) ciuibus, atq; opibus aucta eſt. Igitur diuitijs freti, peritiaq;
nauigandi, cum eorum nomen abunde potens pollensq; & clarum eſ
ſet, Mauris ſæpius claſſe ſuperatis, prædonibusq; Illyricis, quiq; alij
mare infeſtum reddebant, captis uictisq;, pluribus elati uictorijs, cœpe
re inſulas primo, atq; nationes externas ſubigere. Atq; hunc in modũ
circiter ſeptingentos (ut ipſi tradunt) annos, aut etiam amplius arti-
bus his eò potentiæ peruenere, uti Venetorum res finitimus, exterisq;
pariter formidoloſæ eſſent. His igitur è ſententia fluentibus, creſcente
imperandi cupidine, ad res Italicas animum adiecere, finitimis regu
lis, dum impotenter in ſubiectos populos dominationem exercent, eos
inuitantibus. Nam inter Patauinos, ac Veronenſis regulos diutius cũ
eſſet certatum, utriusq; partis rebus uexatis, atq; attritis, laceſſiti &
ipſi aliquando à Patauinis, hãc occaſionem nacti, finitimã in continen
tem inſiliere. Poſt bello maximo acerrimoq; conflato cum Philippo Ma
ria Mediolanenſium Duce, cuius imperium late magnum in Gal-
lia ciſalpina erat, multis tandem cladibus ultro, citroq; datis, atq; ac
ceptis, uniuerſa penè Venetia occupata, Bergomo, ac Brixia captis,
magna quoque Illyrij parte aliquanto tamen prius domita, impe-
rium in Italia uiribus authoritateq; magis, ac magis auxere.
Tãtam autem rerum felicitatem concordiæ ſtudium maxime peperit,
ac uiuẽdi inter ſe æquabilitas è ſtatuẽdis, ac ſeruandis legibus nata.
Hunc itaq; tuendarum legum conſenſum ſecuta eſt adminiſtrandæ rei
publicæ concordiſſima ſecuritas. Nam ne unquam nobilium animi
per ambitionem inſoleſcerent, qui eam initio conſtituere, unum &
quidem ſummum ſtatuerunt magiſtratum, quem qui gereret, Ducem

uocauere, ſenatus quidem principem, cæterum cui iniuſſu ſenatus nec pace agere nec bello publicum quicquam liceat. Dux ipſe ſenatum cõſulit. Senatus author decernit, cuius tamen decreta Ducis nomine feruntur. Hoc mortuo è numero ſenatorum ſtatim alter per ſuffragia creatur. Magiſtratus ipſe quanquam perpetuus, memoria tamẽ noſtra Franciſcus Fuſcarus, quod ſenectute aggrauãte publica ad munera factus uideretur inhabilior, magiſtratu ſe abdicare coactus eſt. Huic de publico certa penduntur ſtipendia. Senatus ad eum cogitur in curia, quam egredi Ducem, niſi ſtatis diebus, ac certis cauſis minime permiſſum ſit. Cæterũ ipſis ſenatoribus mira in dicendo libertas, ſumma in conſulendo integritas, atq; aſſeueratio, recti ac ueri cultus eximius, erga patriam ſtudiũ ſupra quàm cuiquam ſit credibile. Quod ſiquando deliberandis atq; decernendis rebus in contentionem ſit deuentum, non partium ſtudia ſuperant, uerum publici boni ratio. De quorũ tamen inſtitutis, moribus, æquabiliq́; adminiſtratione ſilere eſt omnino conſultius, quàm non multa diſſerere. Proximus in regionibus reguli tres imperitant Mediolanenſis, Ferrarienſis, Mantuanus. Mediolanẽſi frequẽtiſſimi, maximeq́; opulẽti Galliæ ciſalpinæ parẽt populi, Comenſes, Ticinenſes, Alexãdrini, Nouariẽſes, Laudẽſes, Parmenſes, Dertonenſes, Cremonenſes, item Placentini. Ferrarienſi Mutina, ac Regium, opportunæ ac nobiles urbes ſubiectæ ſunt. Rem Mediolanenſem per id tempus moderabatur Franciſcus Sfortia, qui Philippo Maria mortuo, Blãcæ Mariæ uxori ſuæ, Philippi è nobili matrona, filiæ dominatum aſſerens, partim ui, partim beneuolentia ciuium, ac rerum geſtarum fama clarum ſe, ac maxime potentem in Gallia, Italiaq́; uniuerſa fecerat, uir profecto Romanis temporibus dignus. Ferrarienſem Borſius Eſtenſis, miti uir ingenio, conſilioq́; maxime tranquillo, quiq́; Italicarum turbationum ſeſe medium gerere conſueſſet. Mantuanam Ludouicus Gonzaga, clarus & ipſe uir, belliq́; non minus quàm pacis artibus clarus. Quæ urbes, populiq́; alpibus adiacent, alij Monferratenſi, alij Sabaudienſi obediunt, cuius imperium etiam trans alpes in Allobrogibus late amplum eſt. In Aemilia, Piceno, Vmbria, Sabina, Latio, Hetruriæ magna parte, magna etiam Campaniæ, qui populi, quiq́; reguli in ijs agitant, Romani Pontificis imperata faciunt. Quorum omnium ea tempeſtate res maxime illuſtres Sigiſmundi Ariminenſis, Federiciq́; Vrbinatis erant. Quibus autem artibus Pontifices Maximi tantum ſibi imperium cõparauerint, nequaquam eſt explicatu facile. Nanque ut initio armis illud ſibi uendicauerint, longe aliud arbitrari par eſt. Genus enim

ipsum hominum olim quietum, ac religioni tantum deditum. Cæterũ ut ante sacerdotes innocentissimi, atq; abstinentissimi fuere, quo tempore sola sacra, cærimoniasq; tractabant, sic post fuere ex eis, qui cupiditate ambitioneq; præcipites ierint. Verũ Romani Pontificis æqua imperia, administratio tranquilla, studia pacis, otijq;, maiestas propè diuina. Hetruriæ olim bona pars sub regulis erat, quibus aut cæsis, aut pulsis Senenses, Florentiniq;, illorum urbes, atq; agros suo imperio subiecere, finitimos etiam populos, qui antea liberi erant, in seruitutem redactos, nouis uti uiuerent legibus, coegere. Vtraq; autem res publica popularis nunc est, nobilitate olim ob superbiam pulsa. Florentinorum nomen per orbem terrarum late clarum est, non tam rebus gestis, quàm gentis ipsius solertia, & urbis magnificentia. Eam in plano sitam amnis Arnus interfluit, quam deorum ne immortaliũ templa, an publica, priuataq; ædificia magnificentiorem reddant, haud facile est iudicatu. Ipsis ciuibus murum ædificandi studium, mira ornandi cura. Si quid regio non suppetat, peregre deuehendum atq; importandum curant. Certamen est non in urbe modo, uerum etiam in agris, quis magnificentius ædificet. Itaq; regio sumptu uillas passim ædificatas uideas. Genus ipsum hominum acutum, & graue, bonarumq; artium studiosum, pecuniæ tamen studiosius, quo circa in ultimis etiam terris negotiantur. Quorum tamen propria laus est, ac peculiare meritum, quod latinas literas penè ab interitu uindicauerint, dum & ipsi Latinis, ac Græcis literis dant operam, & illarum studiosos ad se arcessitos, salarijs, præmijs, honoribus prosequuntur. Vrbs ipsa paulatim à paruis obscurisq; initijs, atq; Fesularum è ruinis creuit, quam quidem artium plurimarum, quas ea gens aut ipsa inuenit, aut ab alijs inuentas perfecit, frequentia murum in modũ auxit, locupletauitq;. Florentinis proximi sunt Lucenses, ciuitas non tam suis consilijs libera, quàm alienis opibus, atq; præsidijs firma, dum Florentinorum ne accedat opibus, magnæ curæ est cæteris. Senensis rei publicæ administratio propter diuersa ciuium studia, inquietior est, nec satis ex eo libera. Itaq; ciues dum parum ipsi inter se consentiunt, quæ rei publicæ in commune bonum haberi potest ratio? Pacis tamen apud eos studium uiget, præterquam Florentinorum artibus, quod non raro eorum res turbantur. Quorum ager oppido quàm fertilis est. Ciues ipsi quæstui dediti, ac ciuilis uitæ muneribus. Libertatis idem omnibus studium. Ea tamen Romani Pontificis opera, Ducisq; Mediolanensis, quàm ciuium cura, magis constat. Genuensium res maiores quidem atque

opulentiores haud multo ante fuere. Nam et mari aliquando potiti di
cuntur, nõ solum Corsica, Sardinia, multisq́; Aegæi maris insulis ca
ptis, uexatisq́;, sed Euxino enauigato, pluribus oppidis, quæ in ora Põ
tica maris posita sunt, ab eis aut captis, aut etiam conditis, Venetorũ
quoq; rebus penè ad internitionem aliquando adductis, & urbe illo-
rum ingenti classe circũsessa. Horum opes paulatim dilabi cœpere
ob domesticas seditiones, ciuiliaq́; odia, quibus effectum est, uti amissa
libertate Gallorum Regi seruierint. Nam ueteris cum esset instituti,
Ducem qui summum apud eos magistratum gerit, communi consensu
creari, dum multos annos studio partium magisquam publici boni, du
ces designantur, magna certamina, fœdæ seditiones, ingentia etiam bel
la exorta sunt. Donec Genuensium res publica eò perducta est, uti Gal
licum nomen, imperiumq́; à patribus inuocatum, atq; acceptum fue-
rit, missusq́; à Carolo Rege Ioannes Renati, de quo ante dictum est,
filius, qui Genuensem rẽ publicam administraret. Reliquam Italiã,
quæ ab saltu Terracinensi per Equos, Hernicosq́;, ac Marsorum, &
Sabinorum montes in Picenum, ad hostia Truenti pertinet, quod flu-
men in Hadriaticum sinum influit, quæq́; supero etiam atq; infero
mari cingitur, Neapolitani eam Reges tenent, in qua Ferdinandus ex
testamento successit. Igitur Alphonso mortuo, reguli, ciuitatesq́; missis
oratoribus, Capuæ conuentu habito (nam pestilentia Neapolis infe-
stabatur) in Ferdinandi uerba de more iurauere, Et quanquam o-
mnia quieta apparebant, Rex tamen conuentu dimisso, in Pelignos,
ac Marrucinos digressus, equitatu in itinere scripto, reliquum æsta-
tis in Theatibus, ac Ferentanis egit. Hinc rebus regionis eius pro tem
pore compositis, in Apuliam, ubi hyemem agere decreuerat, matu-
rauit. Interea Callistus Pontifex Maximus Alphonsi beneficiorum
ímemor, cuius authoritate, atq; opibus antea Cardinalis, post Nicolao
Quinto mortuo Pontifex creatus fuerat, peruersa consilia, & perfi-
diæ plena aduersus Ferdinandum agitare cœpit, clamq́; cum primo
ribus ciuitatum, ac regulis agere de rebellione, diuulgatis etiam epi-
stolis, quibus Ferdinandum suppositítiũ Alphonsi filium diceret, de-
niq; aqua & igni interdiceret, qui huius imperata facerent, & in
officio, ac fide permanerent. Quod ni Callisti consilia mors interru
pisset, ingens, maximeq́; calamitosum conflatum iri bellũ apparebat,
quippe qui esset fluxa fide, peruicaci ingenio, uarijs consilijs, præcipiti
ambitione. Huc accedebat, quod dum assentatoribus patefacit
aures, Borgio sororis filio ingentem dominatum in regno Neapo-
litano destinauerat. Sed Callisti consiliorum, ac uitæ finis idem

fuit. Creatur

fuit. Creatur inde Pius Pontifex, ad quem missi ab Rege legati omnia
pacata retulere, quin etiam haud multo post Latinus Vrsinus Cardi
nalis cum amplissimis decretis Barolum in Apuliam uenit, ubi iussu
Pontificis, collegijq́; Ferdinandum initiatum (uti moris est) coronaq́;
donatum Regem declarauit. Quæ res popularium regni animos de
bello iam dubitanteis, quietiora uti sperarent, mirum in modum con
firmauit. Ipse interea amicos, sociosq́; nunc per literas hortari, nunc
per oratores rogare, uti ueteris amicitiæ memores esse uellent, se bonũ
amicum, fidum socium futurum, ad cumulandam ueterem beniuolẽ
tiam, ad continendã societatem nouas ubiq; causas, noua semper uin-
cula additurum, offerre, polliceri, Se paterno contentum regno, suisq́;
fortunis pacem, atq; otiũ omni arte procuraturũ, deniq; omnia se quàm
bellũ malle, illumq́; pro hoste habiturũ palàm dicere, qui bellum in
Italia moliri pararet, Adhæc in populos, popularesq́; suos publice,
ac priuatim noua beneficia conferre, uectigalia minuere, regulos be-
nigne appellare, ornare muneribus, decretisq́;, Hispanis qui remane
re apud se uellent, familiaritatem polliceri suã, qui redire in patriã
mallent muneribus affectos, ornatosq́; dimittere, Carolum patrue=
lem Nauarræ principem, qui agente animam Alphonso res nouas
tentasse Neapoli dicebatur, quiq́; ob conscientiam Alphonso mortuo na
uem quæ Neapolitano in portu in ancoris stabat, confestim ascende=
rat, benigne appellatum, multa etiã amplaq́; per amicos pollicitus, ni
hil prius habuit, quàm persistentem in abeundi proposito conciliatum
dimittere. isq́; haud multis post diebus in Siciliam nauigauit. Demum
Rex cuncta perspicere, ac meminisse, quibus amicos, sociosq́; contine=
ret, aduersum populos, regulosq́; non satis habens iustum se se, ac li-
beralem gerere, nisi & illos ad bene etiam de se merendum inuita=
ret. Non deerant tamen qui è regulis existimarent hæc ipsa à Ferdi
nando simulanter fieri, quod ijs ingenium eius à puero esset cogni=
tum. Nã et eum se se esse post manifesto declarauit. Quæ existimatio
non nullorum etiam procerum, ac primatum regni animos ab illo
(ut creditum est) auertit. Hæc agenti Ferdinando significatur Ioan=
nem Antonium Principem Tarentinum clàm rebus nouis studere, ꝙ
Regem nequaquam fallebat, qui eius inconstantiam atq; animum mi
nime tranquillum nouerat, quippe cui ab adolescentia seditiones, ra=
pinas, discordiasq́; gratas fuisse intellegeret. Erat enim Ioannes Anto
nius uario et inconstanti ingenio, ac parum firma amicitia, apud quẽ
etiam sancti, honestiq́; non tantus respectus, quantum studium, quan
taq́; erat cura assequendi eius, quod animo destinasset, atq; ut sui ipse

parcissimus, sic contra alieni quàm appetentissimus erat, utq; in bello
abũde timidus, sic in pace parum fidens suis, aut amicorum opibus,
quem longa & maxime quieta Alphonsi pax male habuerat. Sed ad
quod intentus erat, aliquando peruenire ut ad id posset, interim dum
ingentem sibi pecuniam compararet, nihil pensi habebat, et quanquã
ipse timidus ac suspiciosus, gerendi tamen belli maxime auidus, utq;
in conserendis manibus minime strenuus, sic producẽdi belli egregius
artifex. Is igitur per finitimas ciuitates, locaq; opportuna clàm summit
tere cœpit, qui alijs præmia, alijs delictorum condonationem pro-
mitterent, nobiles alios suæ inopiæ, alios gloriæ maiorum admone-
rẽt. Regulos ut quemq; uel cupidum rerum nouarum, uel ære alie-
no pressum, uel rei suæ pœnitere intellegerent, tentare, hortari, solici
tare, multa pollicendo erigere, opes eius ostentare ne desinerent, deniq;
belli eum authorem ac ducem offerrent. His atq; alijs animos homi-
num ad belli studia cum impelleret, in Galliam quoq; ad Carolum
Regem, in Prouinciam ad Renatum, Genuam ad Ioannem Renati fi
liũ mittit, qui eos ad regnum armis repetendum hortentur, omnibus
deniq; artibus participes, socios, duces consilij sui quærit, atq; habere tẽ
tat. At Rex artes illius ueritus, nunc per literas, interdum per orato-
res, aut amicos operam dabat, illum uti conciliarent. Itaq; blande ap
pellando, largamq; de eo spem ac fiduciã ubiq; præ se ferendo, consilijs
eius pro tẽpore obuiam ibat. Quam tamen ille occasionem nactus (ut
erat simulator, atq; dissimulator, arte nõ minus, q̃ natura ad utrunq;
institutus) per speciem conciliationis postulare ab Rege cœpit, uti Iosiæ
generi sui, Iulij Antonij patri, & Antonio Centiliæ, cuius filio suam
ipse despondere filiam pararet, quis illos oppidis, castellis, agrisq; Al
phonsus spoliasset, ea cũcta uti restitueret. Hac re diutius in senatu agi
tata, diuersæ cum essent patrũ sententiæ, nec de Ioannis Antonij fide
quicq̃ exploratum haberetur, aut bonæ spei, tandem Rex honestum po
tius q̃ utile consiliũ secutus, famæq; suæ consulẽs, ne accusari unquam
posset, quod per ipsum scilicet stetisset, quo minus cum Ioanne Antonio
pax maneret, Iosiæ Hadriam, Teramumq;, Centiliæ Crotonem, Ca-
tantiarium, quæq; alia oppida, agriq; aut huius aut illius fuerãt, resti
tui iussit, missis ab Ioanne Antonio, qui eius ea nomine acciperent.
Per idem tempus Aotonius Centilia, qui paulo post Alphonsi obitum
ad Tarẽtinum transfugerat, cõmunicatisq; consilijs, in Brutios ad res
nouandas profectus erat, per ueteres clientes, beneficiariosq; (ut q̃ na
tura seditiosus, ac supra q̃ dici potest, serendæ discordiæ singularis esset
artifex) populos, primoresq; ciuitatum solicitabat, ac nũc uanos terro=

res miscendo, nunc se ad liberandos eos ab duro Hispanorum dominatu authorē futurum prædicando, cum omnia nominis sui admiratione implesset, nomenq; Renati in memoriam reduxisset, eò rem perduxerat, uti omnis fermè regio in rebellionem spectaret. Quod ueritus Rex, Carolum Campibassium, & Alphonsum Daualum eò cū exercitu præmiserat, qui prouiderent ne quid res publica detrimenti caperet. At Centilia castellis aliquot occupatis, quanq̄ parua manu, populorum tamen leuitate fretus, sibiq; præfidens bellum mouerat. Hūc motum diuersis ex oppidis permulti secuti, breui ingentem agrestium multitudinem armauerant. Quæ res partim terrore, ac metu, partim cupidine rebellandi, populariū animos affecerat. Quo minus autem Centilia quod animo destinauerat, perficeret, Alphonsi celeritas obstitit, qui facientem iter per oram maritimam Cropanos uersus, de improuiso adortus, eum fudit, fugauitq;. Quare complures de rebellione cogitantes in fide atq; officio continuit. Vrbibus, castellisq; Iosiæ, atq; Antonio restitutis, atq; illorum nomine à Tarentino acceptis, cum in Brutijs quietiores futuræ res sperarentur, & Ioannis Antonij animus sedatus uideretur, tum ille magis, magisq; intentus, omnia administrabat. Nam scriptos in Gallia cisalpina milites, finitimisq; in regionibus, mari ad se deuehendos curabat, Cum regulis fœdera clàm inibat, Ioannem Renati filium omnibus artibus ad bellum inuitabat, Iacobum quoq; Picininū, qui aduersus Sigismundum Ariminensem primo Alphonsi, post Ferdinandi auspitijs bellum gesserat, quanquam Ferdinando ob eius multa, patrisq; merita obnoxium, tentare tamen ausus, ingentibus & suis, et Ioannis pollicitationibus corruptum, paulatim in suas parteis traducere pertendebat. Cum primis autem tum socium fidelem, tum solertem ministrum inuenerat Marinum Martianum Principem Rhosanensem, cuius præter genus, uix erat, quod bonus aliquis laudare in eo posset. Hunc Ioannes Antonius pater adolescentulum, quod ingenio maxime peruerso esse senserat, ab suo conspectu arcuerat, in filij locum non habiturus, ni Alphonsus Heliono ra filia ei in matrimonio collocata, magno etiam dominatu addito, in patris restituisset gratiam. Ac nihilominus pater, dum uiueret, filij fœdum animum, ac peruersos conspicatus mores, non semel quidē suspiransq; dixisse inter domesticos fertur, fore, ut his Martianam tandem familiam pessum daret. Igitur Marinus hinc Regi suadere, quo Hispanos omneis regno ejceret, neq; enim fidendum illis esse, consulere quẽ uti per Italicos homines, suosq; populares regni res administraret, Magnam inde Regem sibi beneuolentiam, & gerendis

rebus fidem authoritatemq; conciliaturum, Illinc Ioannem Paulum Cantelmum proximum sibi regulum, nobiles item multos in campania, Samnioq; ad rebellandum diuersis artibus pelliceebat. Post ubi uero satis prospere cedere consilia sua uidit, Hispanos palàm insectari cœpit. Adhæc cũ Honorato Caietano, qui Fũdis, finitimusq; dominabatur in locis, simultatẽ primo exercere, post uero i manifestas inimicitias prolabi, quod illũ Regi acceptum, suisq; consilijs offuturũ maxime intellegebat, Quin etiam aduersus Galeatium Pandonum arma mouerat, obsessis Capreatis, uti per hãc occasionem scribere exercitum liceret. Vtebatur autem ministro Marco Ratha, sobrino suo, homine turbulento, Gallicarumq; partium studioso, cuius uxor Ioannis erat Coxæ filia, qui capta ab Alphonso Neapoli, Renatum in prouinciam secutus, magnum sibi locum apud Galliarum Principes rerum usu, atq; eloquentia comparauerat, ac propter prudentiæ opinionem cum Ioanne filio Genuam ab Renato missus fuerat, quo tanquam magistro uteretur. Per hos igitur ministros multi mortales coniurarunt, in quis et Iacobus Ratha Beneuentanus antistes, cuius insigni perfidia, Ferdinandi res maxime perniciosum uulnus accepere. Hunc Rex cũ Francisco Baucio Duce Andriẽse legatum Mantuam miserat, ubi Pius Pontifex Maximus Christianorum conuẽtum habebat. Ad quem Renati, & item Galliæ Regis Caroli legati uenerant, postulantes uti regni Neapolitani sua Renato salua iura essent. Quo tempore Iacobus præter fidem, decus, iura diuina, & humana, ministrum se, ac mediũ exhibuit scelerum omnium, quæ ab Ioanne Antonio, ac Marino, ab Ioanne item Renati filio parabantur, author & ipse cum esset fœdissimorum etiam consiliorum. Affuit in hoc conuentu, Mediolanensium Dux Franciscus, cuius authoritate, ac consilio factum est, uti Pontifex Romanus Gallorũ postulata iniqua eẽ docuerit, palàm professus Ferdinando se non defuturũ, Deberi hoc publico Italiæ fœderi, ac memoriæ Alphonsi Regis, cuius beneficio atq; opera Romana res aucta esset opibus, authoritate, imperio. Interea Ferdinandus cognitis Tarentini consilijs, quo illius incœpta frustraretur, quippe cui potiundæ per dolum Venusiæ maxima spes esset, ad Arundinem castra posuit. Is amnis tribus millibus passuum, aut non multo amplius ab Venusia præterfluẽs, in Aufidum influit. Venusiam Pyrrhus Baucius Frãcisci de quo dictum est, filius tenebat, Regi carus, ac maxime fidus, Cæterum dotalis urbs erat, cuius ciues propter imperium æquum, clemensq; Gabrielis Vrsini, qui Ioannis Antonij ijsdem è parentibus frater fuerat, pleriq; Tarentino fauebant, nec deerant qui urbẽ se dedituros pollicerentur.

dituros pollicerentur. Qua spe Tarentinus & ipse circiter decem millibus passuum opportuno i loco coactis in unum copijs consederat. Ac tametsi nihil adhuc aperte hosti cum geritur, uterq; tamen in insidias intentus erat. cæterũ hic cauendis, quàm ille parandis intentior. Atq; haud multum abfuit, quo minus dum noctu Ioannes Antonius urbe se potiturum sperat, Rexq; illius consilium præuenit, obuiam facti ante conflixerint, quàm bellum inter eos indictum esset. Tandem uero ille, quamuis re sæpius frustra tentata, urbem per dolum occupat. At Rex confestim subsidio suis ueniens, porta ingressus alia, Tarentinos urbe expulit, & quanquam à cæde temperatum est, bona tamen ciuium direpta. Hanc sibi urbem Ioannes Antonius, si potiretur ea, belli arcem atq; horreum propter opportunitatem destinauerat, agrum uberem, pabuliq; maxime feracem, pascendis equis aptissimum ratus. Vrbs ipsa i mediterraneis, ac natura etiam munito loco sita, totius regionis caput erat, atq; ut in omnem Apuliam, quæ ad montes iacet, quæq; Regi parebat, discursiones facile promittebat, sic urbes, agrosq; Tarentino subiectos à tergo claudens tuebatur, nequid hostile inferri ab Rege posset. Adhæc Tranensium inde, ac Barolitanorum res, in primisq; Francisci Andriensis Ducis facile se assiduis impressionibus afflicturum, finitimosq; alios tum populos tum regulos dolo, ui, metu, pollicitationibus, minis, ob loci opportunitatem in partess suas tracturum sperabat. Hic motus, quæ Tarentino mens esset, futurumq; haud multo post bellũ indicauit, licet missis ultro citroq; sæpius legatis, quieta utrinq; nuntiarentur. Sed ille uerbis quidem pacem uelle, re autem bellũ parare, tempusq; agitandæ per speciẽ concordiæ terere, dũ quæ agitabãtur à coniuratis, parata essẽt oĩa. Quocirca Rex animo uehementer angi, diuersaq; secum consilia agitare, nec cui fidendũ esset, satis compertum habere, repetere animo ueteres regni discordias, domestica populorum inter se odia, regulorumq; aut simultates, aut amicitias, præterita bella docere plane posse, quãtum in hominum animis polleret inconstantia, ac leuitas, quantum auaritia ualeret, ac uindicandi cupido, nec tantam æqui aut honesti curam, quantum utilitatis studium, ac libidinis generi mortalium inesse, Suas Tarentiniq;, ac Renati opes iusta expendere, quid ab Gallis, Gallicarũq; partiũ studiosis, quid contra ab se socijsq; terra, mariq; geri posset, cogitare, ac metiri, Deniq; quantum fortuna humanis in rebus polleat, quàm uarij rerum euentus essent, animo æstuanter uolutabat. Hæc agitanti Ferdinando significatum est præfectorum literis, rem in Brutijs aduersum tumultuantess agrestes bene ab illis gestam, quos ab domibus,

atq; ab aratro digressos partim author Centilia, partim rerum nouarum libido ad bellum, ac direptiones traxerat. Hi primo uagi, palantes'q;, ut quis se se ducem præbuisset, sequebantur, post inito consilio, atq; in unum conuenientes, duce potissimum Nicolao Tosto, cuius, maiorum'q; eius nulla ante cognitio, aut memoria fuerat, statuere Alphonsum Daualum, qui mortuo Carolo, regijs copijs solus præerat, ex improuiso adoriri, & cum uniuerso exercitu cædere. Nam et multitudo erat ingens, & Alphonsus per pacata loca non satis magna manu iter faciens, nihil hosticum uerebatur. Itaq; habentem eum in campis castra, qui Maidam inter Neocastrum'q; interiacent, qui agrestium primi agmen præcedebant de colle se se ostentantes, sublatis ad primum statim conspectum clamoribus, maximo impetu in castra ferebantur. At Alphonsus repentina re permotus, ac trepidans, interim dum suos impeditos atq; imparatos instruit, præmittit qui rem sciscitentur, eorumq; impetum remorari uerbis studeant. Illi primo remissionem tributorum, hinc alia atq; alia postulare cœpere. Ad ea ab Alphonso benigne cum responderetur, ubi conuenisse ingentem suorum numerum uident, cædem, ac sanguinem flagitantes, se se in castra proripiunt. At Alphonsus longius a castris structis in plano ordinibus, cum interim a Iacobo Galiota, impigro homine acriter pugna conserta esset, ubi illos uidit, nullo certo duce, nullo seruato ordine rapi, illatus conferta acie, primo impetum eorum reprimit, mox ab euentu rerũ confirmatis militum animis, fundit fugatq;, insecutus'q; fugientes, magnum illorum numerum cædit, multos etiam capit, quos haud multo post interfici iubet. Certior factus, paucis post horis lõge maiorem affuturam multitudinem. Quod ni flumen Sabutum qui circiter uiginti millibus passuum ab castris aberat, transire maturasset, eo die cum uniuersis copijs ad unum cæsus esset, uix dum enim saltum prætergressus, qui flumine, syluis, ac montibus clausus, atq; impeditus est, summis e montibus cateruatim decurrere ad occupandũ saltum hostes conspicit. Cecidere ex agrestibus septingenti, aut etiam amplius. fama tenet ad duodecim millia fuisse hominum, qui simul ad tumultum conuenerant. Alphonsus re bene gesta, Consentiam uersus tutiora in loca se recepit. Quibus rebus permotus Rex, euocato ad se Alphonso, ut ab eo coràm de statu regionis certior fieret, in Brutios proficisci decreuit. Igitur Venusiæ rebus compositis, relicto'q; ibi Masio Barresa cum præsidio, ad amnem Bradanum proficiscitur, ubi aliquot diebus æstiua habuit. Inter hæc Nicolaus quẽ multitudo ducem sequebatur, in agrũ Consentinũ impressione facta, finitimis castellis,

ac uicis, partim metu, partim studio rerũ nouarũ ad eum inclinantibus, breui supra uiginti hominũ millia in unũ contraxit. Qua multitudine fretus, dũ Cossentiam obsidere parat, nihil inuiolatum relinquit. agros uastat, ædificia incendit, pro libidine, atq; ira cuncta gerit. Hoc cognito Ferdinandus magnis itineribus eo contendit. Agrestes uero de aduentu Regis certiores facti, dimissa statim obsidione, in mõtana se recipiunt, dilabente passim multitudine, magna tamen manu Castellione occupato, quod id oppidum in colle situm, naturáq; egregie munitum esset. Rex castris admotis, quæ ad oppugnandum necessaria uidebantur, proximis è locis comportatis, ac non semel oppugnatione in cassum tentata, tandem eximia suorum uirtute oppidũ capit, captũ diripit, atq; incendit. Hac tanquam belli arce amissa, cum spes nulla esset reliqua, qui ex agrestibus in rerũ expectatione erant, diuersis itineribus domũ regrediuntur. Tostus & ipse initio oppugnationis se cũ paucis ex oppido surripuit. Dũ hæc à Ferdinando geruntur, Ioannes uti cũ Tarentino, coniuratisq; conuenerat, classe ab Renato patre in sprouincia comparata, instructáq;, rebus Genuæ compositis, idoneã ad nauigandum tempestatem nactus, cum duabus, ac uiginti rostratis nauibus, honerarijs quatuor è Liguria soluit, ac felici nauigatione usus, paucis postq̃ soluerat, diebus, præter litus Formianum delatus inter Lyris, ac Vulturni hostia, diebus aliquot in ancoris stetit, dũ cum Marino Martiano, quid primum agendum uideretur statuit Tarentinumq; de aduentu suo certiorem facit. Rebus igitur è communi sententia compositis, Falernum in litus descensione facta, Suessam à Marino deducitur, ubi magnificentissimo apparatu, lætisq; adeo popularium animis acceptus est, ut nihil in eum honoris prætermissum uideretur, quod aut maiorem ciuium lætitiam, aut Marini uehementius declarare studium posset. Quæ res Ioannis animum magis magisq; auxit, atq; accendit. Ea potissimum tempestate iudicari planè potuit, non fidem, non constantiã, non gratitudinẽ populariũ animis inesse ullã, pœnitere eos præsentis semper imperij, gaudere nouis rebus, futura in expectatione habere, leuitatẽ ducẽ eẽ atq; authorẽ ad postrema quæq; flagitia. Rebellãt cũ Marino simul uolẽtibus animis, cõmuni cõsensu cõplures Cãpaniæ, ac Sãnitiũ populi. Nõ illos lõgæ pacis otium, quæ etiã eorũ, qui in militia educati sunt, relãguescere animos facit, nõ partæ sub Alphõso plurimæ diuitiæ, quorũ comes uoluptas, desidiáq; esse consueuit, nõ belli facies ipsa, quæ eo terribilior, magisq; formidolosa apparet, quo longior pax fuit, non deniq; agrorum securitas, ad quos relictis oppidis commigrarant, aut eorum desyderium, quæ

relinquenda erant, remorantur. Certatim undiq; ad rebellandum
curritur. Ipse uero Marinus contempto iure necessitudinis, omnis diui
næ & humanæ rationis oblitus, spretis, inuitisq; patris manibus, qui
Alphonsi partes acerrime fouerat, paternum tectis hostem accipit, ad-
dit sceleri, nato tunc filio, religionem Compatratus, moxq; in illius, ac
Renati patris nomen conceptis uerbis, solennibus sacris, ante aras Deo
teste iurat, confestimq; nullo indicto bello, hinc finitimos Capuæ agros,
illinc Lyri traiecto, propinquã regionem populationibus uastat. Abi
gitur omnis generis rerum præda, ingensq; captiuorum trahitur nu-
merus. Caluium quoq; oppidum, corruptis, qui illud proderent capit,
ac præsidio firmat, et quàm maxime potest metu, ac formidine cuncta
complet. Augebat terrorem Regis absentia, nullo propinquo exercitu,
nullo duce, qui grauibus, ac repẽtinis malis iret obuiã. Quócirca nihil
tutum, nihl securum Neapoli, aut finitimis in locis uideri, metu in ma
ius cuncta tollẽte. Deseri uillæ, relinqui ædificia, impuberes, senes, mu
lieres munita in loca passim trahi, fuga omnes sibi consulere, iumentis,
pecoribus, carris uias, oppidáq; impleri, uideriq; omnia circunsonare
armis, atq; equorum hinnitibus fremere, dum quotidianæ tum popu-
lorum, tum principum rebelliones nuntiantur, demum uanis etiam ru
moribus oppida, urbesq; complentur. Hanc tantam consternationem
auxit, confirmauitq; classis, quæ Ioannis iussu ante portum Neapoli-
tanum aliquot diebus in ancoris stetit, præ se ferens spem rerum in
urbe nouandarum. Quod sentiens Isabella Regina, singularis animi
matrona, urbem diurnis, ac nocturnis præsidijs firmat, fortibus, ac
fidelibus uiris quid agendum, quid cauendum esset præscribit, hostẽ
à continenti equitibus per oram maritimam pluribus in locis dispositis
arcet, portum erectis aggeribus ac muris, eductisq; ex arce ferreis,
æneisq; tormentis munit, nihil hosti ad offendendum terra, marí ue
aut opportunum relinquit, aut ciuibus, quod idoneum ad propugnan
dum esset, neglectum permittit. Ipsa Neapolitanos nunc pluresis,
nunc singulos coràm benigne appellat, fortes confirmat, timidos eri
git, alium alia ratione cohortatur. Quin etiam Cãpanos, cæterosq;,
qui in fide perstabant, literis, ac nuntijs bonum habere animum iu-
bet, Regem propédiem cum exercitu affuturum affirmat, demum pro
re, ac tempore necessaria parat, ac pluribus simul prospicit. Incenso
Castellione, omniq; circùm regione pacata, Rex Martoranum uersus
proficiscitur, eo consilio, uti ea peragrata, compressisq; siqui noua pa-
rare in animo habebant, regionis ipsius res commodius, magisq; è sen
tentia componeret. Hæc igitur agitans literas ab Isabella accipit, qui-

bus certior fit, Ioannem cum classe ad litus Sinuessanum applicasse. Quo nuntio accepto permotus Rex, hinc atq; illinc ingentibus angebatur curis. Nam & Brutios, Lucaniamq; inquietam relinquere periculosissimum iudicabat, in qua paulo post iisdem authoribus ingentius repullulaturum intellegebat bellum, & rebus Campanis non occurrere longe perniciosius uidebatur. Hæc itaq; diutius agitanti animo, & quod potissimum sequeretur consilium deliberanti placuit, Centilia tandem capto, authorem rerum nouarum ratione hac è medio tollere, hominem infidum, leui ingenio, insigni audacia, serendasq; ad seditiones natum. Venientem itaq; ad se non tam beniuolo animo, quàm ficto consilio, quippe qui Ioannis aduentus ignarus uerebatur, ni ad Regem uenisset, ne statim bellum in se omne traheret, Rex comprehendi eum iubet, atq; è uestigio Catantiarium petens scalis admotis oppidum aggreditur. Oppidani ut qui diuturniorem passuri obsidionem non essent, uix una, aut altera impressione sustentata, multis uulneratis, ac mortuo balistali sagitta Tosto, deditionem faciunt. Rex oppido recuperato cuius magna opportunitas erat, rebusq; quãtum tempus patiebatur, constitutis, cum iam de Marini rebellione nuntios accepisset, magnis diurnis, nocturnisq; itineribus Neapolim contẽdit, atq; ad ædem Antonij, Capuana in uia, senatu habito, cum de summa belli agitatum esset, de communi tandem sententia confestim ad Caluium oppugnandum, exercitum rapit, magnoq; machinarum, ac tormentorum apparatu instructus, euocatis etiam è finitimis oppidis, quæ in officio perstabant, ueteranis militibus, castra ad ipsas propè fossas admouet. Ipsum oppidum in plano situm, ac præterquam ab ea tantum parte, qua meridiem prospicit, qui tractus haudquaquam multus est, exesis imminet rupibus. quas inter, alterasq; longe etiam asperiores media percurrit uallis, per quam riuulus fertur, cuius aquis belli tempore ciues tutissime utantur. Sunt qui Cales fuisse péruetus, ac frequentissimum oppidum credãt, siquidẽ antiquæ urbis uestigia, mœniumq; fundamenta multis in locis uisuntur. Rex ad meridiem castris positis, tormentisq; admotis, muros qua portæ committebantur, quati assidue iubet, & quanquam magna ruina edita, omnia tamen in dies asperiora erant. Nam & anni tempus pessimum erat, & cum cingi undiq; oppidum nequiret, ut quæq; ad defendendum necessaria erant, per uallem noctu præsertim, facile importabantur ab Theano, quod oppidum non amplius quatuor millibus passuum abest, Breuiq; tanta sclopetariorum immissa uis est, ut passim totis castris milites ueluti pecora trucidarentur, qui glandibus, pilisq; expositi, non uallo, non agge

re, non ullo munimenti genere protegebantur. Ipsorumq; castroru faecies ob multitudinem cadentium maxime foeda, ac miserabilis erat. Praeerat oppido Sancius Carilius, cum lectissimo milite, uir impiger, ac bellicis in rebus multos annos exercitatus. Verum Gallus, Germanusq; sclopetarius maxime nocuus, ac formidolosus erat. Regem autem uti eò acrius instaret, multa impellebant, loci opportunitas, pudor deserendi incoepti, Campanorum importuna postulata, quodq; ut hostibus ingens audacia, si irrito conatu discederet, accessura esset, sic suis infelix auspicium reputantibus longe maximus terror, atq; animoru consternatio inde futura, quod fugae similior discessus uideretur. His Rege curis anxio, forte accidit, ut Camillus Caraciolus impiger iuuenis, Regiq; ob uirtutem maxime carus, cum munitionibus praeesset, patefacta ab bombardis aliquantum per muros uia, occasionem pugnae adesse ratus, cohortatusq; paucis milites, uti pristinae uirtutis memores essent, ingentibus etiam donis propositis, signum pugnae dari iusserit. Itaq; certatum ē pro muris, atq; in ipsa ruina atrocibus animis, dū neutri cedere loco uolunt. Tandem sclopetorum, colubrinarumq; foeda strage, superati regij, alij cedunt, alij praecipites dantur. Camillus dū inter primos uersatur, pila Colubrinaria per cerebrū adacta cadit, cuius casu prosternati caeteri oppugnationem deserunt, multisq; acceptis uulneribus cas fossas aegre se recipiunt. Regem nihilominus in proposito persistentem ingentes, cōpluriumq; dierum hymbres deterruere, quod exploratum quoq; habebat Antonium Caldoram aduentare, q iunctis cum Marino, ac Ioanne copijs, obsessis subsidium ferrent, cū etiam non equos, non milites integros sibi esse intellegeret. Quibus ipse uictus necessitatibus, relicta obsidione, Capuam cum exercitu petijt, distributisq; per hyberna militibus, Neapolim concessit. Fama interim Ioannis per regnum diuagata, multos qui antea dubijs erant animis, ad rebellandum inuitat, Venisse uirum florentem annis, regijs moribus, è ueteri Neapolitanorum Regum prosapia, quorum merita passim à natu maioribus referebantur. Contra alij Hispanae gentis impotentēts animos, insatiabilem auaritiam, crudelem cum damnarent dominationem, uenisse tandem, erant qui subijcerent, uenisse iam qui ab insolentissimo Catalanorum dominatu, tot annis oppressos populos, spoliatas prouincias, dissipatum regnum à ui, iniuriaq; liberaret, cuius integritas, rectitudo, sanctitas dijs aequaretur immortalibus. Haec igitur, taliaq; palàm iactabantur, passimq; inibantur in ciuitatibus à rebellionum authoribus consilia. Apulia maxime in aduētus eius expectatione erat. Ciuitatum principes nihil prius, aut potius

curabant, quàm ut aduenientē apertis acciperent portis. Augebāt Io-
annis nomen authoritatemq́; Ioannes Paulus Cantelmus Dux Sora-
nus, Nicolaus Monfortius Comes Campibassanus, nobilesq́; item mul
ti, & in ijs Ioannes Sanframundius Comes Cerretanus, qui ad Ioan
nem statim ad primum aduentus eius nuntium defecerant, & Caldo
rarum familia, cuius dominatus quod in Pelignis, Marrucinis, Ferē-
tanisq́; potens, pollensq́;, & clarus esset, rebellionis suæ fama ingentē
Ioanni expectationē conciliauerant. Quócirca inito consilio placuit
uti Ioannes in Apuliā proficisceretur, qui à Theano mouens, tentata
ex itinere Isernia, quā ad deditionem coacturū se sperabat, ubi in
Apuliam Nicolao duce peruenit, omnia ad se inclinantia comperijt,
Luceria portas aperit, prodita ab Loisio Minutulo urbis eius arce. Cu
ius exemplū breui sequitur Sancti Seuerij oppidum, Troia, Fogia,
Manfredonia, captis etiam Ferdinandi præsidijs, arx Manfredoniæ,
præfecti ignauia etiam dedita. quæq́; oppida in Gargano ad mare, si-
ue in montanis sita, pleraq́; ad Ioannē deficiunt. Hercules quoq́; Estē
sis, quem Rex Apuliæ rebus præfecerat, suadente Borsio Duce Ferra
riensi eius fratre, qui Gallorū rebus clàm fauebat, Ioannis partes se-
quitur. Idem faciunt Ioannes Caraciolus, Dux Melfitanus, et Iacobus
frater eius Comes Auellinensis, Adhæc Georgius Alamannus Comes
Pulcinensis, Carolus Sangrius, Marinus Caraciolus, qui multa, &
quidem opportuna tenebant oppida in Apulia, Lucanis, Hirpinis, Sā
nio. Rebellat in Marsis, Sabinisq́; Aquila, Petro Lallo Camponisco au
thore, & Franciscus Marerij Comes, In Ferentanis Iacobutius Monta-
ganus. Ad Tarentinum quoq́; in Apulia, Daunisq́; deficiunt Label
lum, Quarata, Melficta, Bitontum. è Neapoli, compluribusq́; ciuitati
bus, quæ adhuc in officio manebāt, nobiles permulti, aut cupiditate re
rum nouarum, aut quod ipsorum maiores Gallicam factionem foue
rāt, ad Ioānem transfugiunt. In his Bofillus Iudex, qui Beneuentū,
ac Montifusculum, quibus præerat, prodere Ioanni festinans, detecta
proditione, irritos conatus habuerat. Hoc malum contagio quasi quæ-
dam principū, ac populorum animos eo magis infecerat, ꝙ Ioannes,
Tarētinusq́; iūctis simul uiribus, cōsilijsq́; Bari cōmunicatis palā ia-
ctitabāt, appetēte uere se i Cāpaniā ex Apulia, i qua hyemabāt pro
fecturos, copiasq́; Neapoli admoturos, inuitatos rebelliōe Danielis Vr
sini Comitis Sarnēsis, Iordani Comitis Atripaldini, et Felicis pricipis
Salernitani. Hi nō una è matre fratres erāt, ac Ramūdi, Ioānis An
tonij fratris filij, quos ille Ramūdo mortuo, multa pollicēdo, adolescētes
facile i sententiam suā traxerat. Quibus cōsilijs Ferdinādus obuiā ire

parãs, Mariã et concubina filiã Felici despõderat, ac multis promissis et illũ, & frens honerauerat, Quin etiam relicta Campania in Sãnites cum exercitu profectus, apud Montifusculum consederat. quo è loco & consilia hostium explorare commodius poterat, & celerius occurrere, quocunq; hostis iter intenderet. Interim Auellinensis Comitis agros assiduis populationibus infestat, Prata quoq; munitissimum castellum expugnare conatus, re infecta multis suorum amissis certior factus Pij Pontificis Maximi auxilia iam aduentare, ne à Marino Martiano aditus interciperetur, ad saltum Menianẽsem qui ẽ in agro Casinate, maturare decreuit. Quo tamen iter hosti esset formidolosius in agrum Campibassanum, locaq; finitima deflectit, multisq; castellis expugnatis, aliquot etiam incensis, agros, uillasq; populatus cum ingenti præda ĩ Venafranum, atq; inde Sidicinum in agrum peruenit. Positisq; propè Caluium castris, quod antequam in Samnites proficisceretur, noctu scalis admotis, arce occupata, cœsisq; uigilibus, præsidio ẽt capto receperat, Pontificis copias expectabat, quas ex Hetruria mouisse perlatum erat, Stellateis interim, Sidicinosq; agros uastaturus. At Marinus qui non iuuenili leuitate, magis quàm execrabili in Ferdinandum odio desciuisset, hostemq; ab Liguria accitum, classeq; profectum finibus, ac tectis accepisset suis, quo pacto Regem è medio tolleret, animo æstuanter agitabat, hominum ac deorum immemor. Hoc dies noctesq; uersanti secum, tandẽ per speciem colloquij adoriri illũ placuit. Quocirca Gregorium Coreliam multos sibi ante annos cognitum, intimumq; Regis familiarem à se arcessitum mitti clàm ab Rege postulat, acturus cũ illo de reconciliatione, rebusq; cõmunibus. Quẽ ad se profectum blande appellans, ac facti pœnitentiam simulans rogat, uti cõpositis opera eius simultatibus, in Regis gratiam, pristinũq; beneuolentiæ locum restituatur. Vetera in se Alphonsi beneficia commemorat, pueritiam cum Ferdinando actam, tot liberos è sorore susceptos, iura diuina & humana refert, Gallorum insolentiam detestatur, Ioannem incusat, nec se passurum affirmat liberos suos, duorũ Regum sanguinem, homini barbaro, Gallicamq; insolentiam in tenui etiam re præ se ferenti seruituros. Cum his mandatis plenus spei Gregorius ad Ferdinandum reuertitur. Re in senatu agitata, exquisitisq; sententijs, cum Regis responso ad Marinum Gregorius redit. Quo sæpius ultro citroq; misso, dies tandem colloquio dictus est, quo dirimi omnem posse controuersiam, satis magna spes offerebatur. Abest Theano circiter mille ac sexcentos passus, secundum uiam militarem, uetus sacellum, à cuius fronte, quà meridiẽ spectat, campus patet penè

nudus arboribus. Hic ad colloquium delectus eſt locus. Ferdinandus
explorato itinere, ac præſidijs diſpoſitis prior ad Turricellã (id loco no
men eſt) uenit, ac partitus copias, peditatuq́; uiarum anguſtias, & loca
ſuperiora occupans, ne quid à tergo parum tutum relinqueret, equites
in plano pluribus locis diſtribuit, ac præſidijs firmat, hinc ad locum
pedetentim progreditur, Gregorium, ac Ioannẽ Vigintimilliũ comites
ſecum ducens, nõ tam conſilio, quàm neceſſitate adductus, Nã cum Gre
gorium Marinus dirimendæ controuerſiæ medium adeſſe uellet, Rex
Ioannem propter rerum geſtarũ famam, prudentiæq́; opinionem, al=
terum deligere coactus eſt, quando duobus cũ nõ amplius comitibus
in colloquiũ utrinq; ueniendum conuenerat. Et Ioannes quidem pro-
pter ætatem pugnæ parũ idoneus, Gregorius uero imbecillo corpore,
ac dextro brachio penè inutilis erat, quod Marinus futurum proſpe=
xerat. Poſtq̃ igitur uẽtum ad locum eſt, Ioãnes, ac Gregorius unà cum
Deiphobo Anguillaria, & Iacobutio Montagano delectis à Marino
comitibus, qbus cum conſilia communicaſſet, quiq́; facinoris eſſent con
ſcij, ad uiam haud procul à ſacello remanſere. Illi in campum uterq;
armatus, uterq; equo inſidens circiter nonaginta paſſus ab uia ſoli,
communibus de rebus diſceptaturi proceſſerant. Rex aliquanto edi-
tiorẽ in campo locum cum cepiſſet, unde circùm oĩa luſtrare oculis la
te poterat, à Marino eſt monitus humiliorẽ in locũ equũ ut demitte=
ret, ne à Gallis, q̃ Theani arcẽ tenebãt, deſpectari poſſent. Quod di-
ctũ Regis aĩum uehementer pupugit, ſuſpicati inſidias paratas, ſeq́;
fraude peti. Quã ſuſpitionẽ Marini oratio mirum in modũ confirma
bat, cũ ita eſſet exorſus, uti omnẽ ſemper in Regem ab ſe culpã reij=
ceret, nullam uero ipſe Regis excuſationẽ, aut cauſam acciperet. His
altercantibus, cum aliquantũ temporis extractum eſſet, Deiphobus
(ſic enim cõuenerat) ad Ioannẽ, Gregoriũq́; cõuerſus, uultu quàm
maxime cõpoſito, qñ inquit Marinus, ꝙ felix, ac fauſtũ ſit, res ex ani=
mi ſententia cũ Rege ſuas cõpoſuit, an ipſe quoq; meas compoſiturus,
Regem ſupplex adire ultra morabor? adactoq́; ſtatim equo, ſolus
in Regem ferebatur. Uenientẽ conſpicatus rex animaduertit quo pro=
pior fiebat magis magisq́; ſe uerſus ad dextram declinare, appare-
batq́; hoſtili eũ ingreſſu ferri. Et iam eò progreſſus erat, ut Rex quẽ
ſtrictũ ille quoad poterat pugionẽ occultabat cõſpiceret, quo cõſpecto
cum Deiphobus tãtũ non in Regis equi habenas illatus eſſet, Ferdinã
dus cõfeſtim ſtricto enſe, atq; animo q̃ confirmatiſſimo in illũ primũ,
mox in Marinũ equũ cõcitat, ac nũc hũc, nũc illũ, nũc utrũq; ſimul
cominus petẽs, ambos in fugã uertit. Cũ interim Iacobutius Ioãnẽ,

Græcoriũq; armatus ipse pugnæ inutileis facile continet. Quod equites conspicati qui in speculis dispositi erant, sublatis clamoribus præsto fuere. Illi ad suos quàm maxime citatis equis delati re infecta nõ tam tristes abeunt, quàm Regis fortitudinem admirati suspiciunt. Ferdinandus incolumis à suis exceptus, ingentis animi plenus in castra reuertitur. Illud deorum potius, quàm hominum consilio factum uidetur, ne rogantis Regis, cum primum in uia obuiam facti sunt, uti galeæ fibulam Deiphobus ei substringeret, gladio iugulum aperuerit. Postero die Rex, aliquotq; insequentibus diebus, productis copijs, populabũdus in agrũ Sicidinũ proficiscitur, coactaq; è propinquis oppidis satis magna agrestiũ manu, quacunq; it ferro cuncta uastat. Inde in Stellatẽ progressus ad balneas usq; Sinuessanas, quæcũq; in agris erãt corrũpit, parcitur tamẽ ædificijs, igniq; temperatũ est, eripi eni hosti uictũ, nõ exuri ædificia, quæ longa parauisset pax, uolebat. Forte accidit ut cũ præteruectus equo locũ Rex esset, ubi cũ Marino congressus fuerat, pugionẽ humi repertum eques ad eũ ferret, q Deiphobo inter congrediendũ exciderat, erat autem ueneno intinctus, tabidisq; medicamentis delibutus, quo quis leuiter ictus cũ esset catulus, statim ueneno exedente concidit. Hæc res magnam in primis Marino inuidiã conflauit. Videri enim supra hominum improbitatẽ facinus indignũ & atrox, Regẽ, cuius nomen apud mortales sanctum esset, fraude, ac ueneno ab illo circũuentũ. Non fidẽ apud eum, non necessitudinẽ, non quod in Regis nomen uolẽs, libensq; iurasset, nõ Deũm metũ locũ habuisse ullũ, spretã, contemptã, pessum eodẽ facto datã famã, pietatẽ, gratitudinẽ, religionẽ, nihil illũ in Deo, nihil in hominibus credere aduersum scelera esse repositum. Hæc grauioraq; aduersus Marinum ab amicis, inimicisq; æque iactabantur. Populanti agros Ferdinãdo significatur, eodẽ penè tẽpore Ioannẽ, Tarẽtinũq; iũctis simul exercitibus, magnis itineribus per Samniũ aduentare, Pelusiaq; incensa, & Alphonso Lagonissa cum uniuersis Caudinorũ oppidis in societatẽ ascito, recto itinere Neapolim contendere, Parte uero alia Simonectũ cũ Pontificis copijs in Casinatẽ peruenisse, petereq; illũ ab rege, uti suis etiam copijs admotis ad saltũ Menianensem auxilio afforet, Martianum enim præmissa iã militum parte, reliquo cũ exercitu, ni maturetur, statim affuturum, Ad hæc missis q iter explorarent equitibus, leui certamine inito, Ioannẽ Maleuoltam, unũ è Pij præfectis captũ, reliquos formidare, se nõ ijs uiribus esse, ut sine Regis ipsius auxilio, Martiano prohibente, angustias incolumi exercitu peruasurũ cõfidat. Cui rei Ferdinandus præuertendũ ratus, ijs enim copijs additis,

hosti se numero, ac uiribus superiorẽ fore intellegebat, nocte intẽpesta
profectus, cũ de profectione certiorẽ fecisset Simonectũ, et ille in tꝑe
adesset, sine ullo certamine, saltu penetrato, stati coniũctis exercitibus,
quo Tarẽtino, Ioanniq́; occurreret, citatissimis equis Suessulã petebat,
Quod hostes exploratũ cũ haberẽt, Acerris dextra relictis, Nolã di
uertere. Aduenientibus Felix, et Daniel cũ Iordano fratre præsto fue
re, ꝗ dicerẽt, se cum oppidis, popularibusq́; imperata facturos. Igitur
hostes impares se cũ iudicarẽt, neq; retro iter uertere sine manifesta per
nicie, neque æquis in campis expectare tuto possẽt, itra Sarnẽses Fau
ces (sic enim uocãtur) se se inclusere. Sarnũ in adeso mõtis latere positũ
arcẽ in summo habet dorso q̃ munitissimã. Sub ipsum autem montem
suburbiũ iacet, in longũ porrectũ, habitatoribus frequẽs. Ab ipso sub
urbio in uia Nolana occasum uersus, circiter mille et sescentos passus,
sub inflexi radicẽ montis, fontes scatẽt, ꝗ statim minime uadosum flu=
uiũ, ꝗ et ipse Sarnus dicitur, constituũt, quo in loco porta est turri subie
cta. Eũ autẽ locũ Fauces incolæ uocãt. Ab altera etiã suburbij parte
ad solis exortũ, quà Salernũ uersus est iter, fontes alij manãt, ꝗ cæteris
immisti fontibus, toto passim suburbio scatentibus, alterũ & ipsum ne
quaq̃ uadosum flumẽ efficiũt. Hi amnes, solis alter ab occasu, ab exortu
alter sese petẽtes ex obliquo, in meridiẽ, mare uersus prolapsi, ꝑ culta
circiter duobus millibus passuũ ab ipsis fontibus, coniuncto simul al-
ueo confluunt in mare, quod à confluente ꝗdẽ ipso circiter sex millibus
passuũ abest. Quod mediũ interiectum est agri, fluminibus insulæ
penè in modũ cingitur, à semptentrione perpetuis, ac minime peruijs
montibus clausum. Ager ipse uitibus, atq; oleis consitus, pabulo quoq;
abundat plurimo. Itaq; in hanc tanquam insulam cum se hostis rece
pisset, fluminibus, ac montibus perinde ac munitionibus se tuebatur.
Ferdinãdus sub confluẽtem in sylua, cui Lõgulæ nomẽ est, castris posi
tis, quo arctius hostem premeret, structo ponte à frumentatione, quod
maturæ iam erant segetes, atq; à pabulatione, hinc atq; illinc arcere
hostem statuit, idq́; eo erat facilius, quod castellum Sancti Martiani
ualde confluenti proximum Regi parebat. Igitur strato ponte, assiduis
discursionibus hostẽ adeo uexabat, ut is obsesso persimilis uideretur.
Quo circa fremere eques, timere duces, ipse Tarentinus sibi diffidere,
& iam de nocturna fuga cogitare, esse etiam qui se Regi per amicos
conciliare clàm studerent, alij qui transfugere pararent, cũcta demũ
plena esse terroris, atq; formidinis. Per eosdem dies hostiũ classis præ
fectus non exigua prædatorũ manu Surrentino in litore exposita, a=
gros, uicosq́; populari parabat, satis magna cũ spe, solicitatis ciuiũ ani
mis, ob uetus Andegauiẽsis factiõis studiũ, urbis ẽt potiũdæ. Quod Rex

intellegens Antonium OlZinam cum lectissimo peditatu, qui agrum, uillasq; tueretur, præmiserat, præsidio etiã urbi addito, Hostis primo impune rapere, ac passim feri, mox ab signis dilabi cœpit. Quod Antonius animaduertens, nactusq; idoneã occasionem, hostẽ palabũdũ ex improuiso adoritur, q locorũ ignarus, atq; inique congressus, cũ diutius sustinere impetum nõ posset, insignẽ cladẽ accepit. Itaq; alijs cæsis, alijs captis, q reliqui erant, dũ fuga sibi consulũt, rati iter ad mare peruiũ, hinc Antonio, illinc Surrentino premente, per rupes maxime editas deturbãtur. In ipsis etiã triremibus, dũ funes legũt, ac pontes, dũ reliquos à clade accipiunt, trepidatũ est. Telorũ, armorũq; omnis generis magna uis Surrentũ plata. His rebus adductus Felix, missis qui ueniã impetrarẽt, ad Regem supplex in castro profectus est, Parmæ arce (quod castellum Sarnensibus à Faucibus nõ ita multũ abest) Regi prius tradita, præsidioq; illic imposito. Rex eo acrius instare, ne annona cõportari Sarnũ posset, summis uiribus conari, arcere hostẽ à pabulationibus, prohibere frumẽtatiões, dies noctesq; id agere, quo nihil hosti tutũ, nihil quietũ relinqueret. Forte accidit, leui ut certamine inito Petrus Hubaldinus, eques regius ab hoste caperetur. Is (uti moris nunc est) exutus armis, atq; adẽpto equo, ad Regem remissus, retulit satis se exploratum habere, occupato clàm mõte à peditatu, deinde per effractã, quæ ad Fauces esset, portã immisso equite, diripi qui hostibus ad suburbij consedissent caput, haud magno conatu posse. Quo hosti inflicto uulnere, fore uti castris intra Fauces trãslatis, hostẽ fame confectum, paucis diebus ad se dedẽdum Rex compelleret. Quo audito, conuocatis ducibus cum singulorũ ipse sententias exquireret, Simonectum huiusmodi orationem habuisse accepimus.
» Qui dominari in bello fortunã dicunt Ferdinande Rex, non temere illi quidem
» mihi & sentire uidentur, et dicere. Non quod belli administrationẽ,
» uictoriæq; euentũ in manu fortunæ collocatum existimẽ, Sed q in cõ
» serẽdis præcipue manibus, propter ea quæ repente accidunt, nunq̃ satis
» prospici ab imperatoribus, aut consulẽdo queat, aut ubi cõsiliũ captũ
» est, strenue rẽ, grauiterq; gerendo. Quo enim consilio, aut quã nã pro
» spicientia equorũ confossiones, militum transfugia, falsi rumores, male
» accepta imperia, cœli tempestates, locorũ iniquitates in itinere faciũdo,
» equitum, centurionũ, tribunorum, aut imperatoris ipsius casus in con
» serẽdo prælio, aliaq; huiuscemodi propè innumerabilia, aut prouide
» ri ne accidant, aut postq̃ accidere, ne dãno sint, satis utiq; pspecte pote
» rit? Cũ nullum persæpe ad prospiciendũ spatiũ propter temporis exi=
» guitatẽ, nulla opportunitas ob rerũ difficultatẽ impatori relinquatur,

nec idem

nec idē ipse et hic, et illic uno in tpe adesse, nec plura simul aut imperare alijs, aut administrare ipse ualeat. Eqdē ego ita se habere rē nō magis magistro ab aliquo in scholis, quàm ipsò ab usu, qui humanarū actionum optimus ac sapientissimus magister est, doctus affirmare audeo, quippe qui iam sexagenarius quā militiā adolescens sequi cœpi, eam adhuc sequor. Quo interim tempore animaduersum à me est, nō semel etiam leuissimum casum ex uicto uictorem, ex uictore uictum exercitum reddidisse. Tot igitur annorum usus, & hæc, quam uidetis, ætas abunde me monere debent, nequid temere incipiendum, nequid inconsulto audendum, consulam. Velle autem tentare fortunam, eius esse arbitror, cuius res angustæ cum sint, spes etiam longe angustior in dies futura uideatur. Quod ego consilium Ioanni, Tarentinóq;, quorum res deteriores in dies futuras arbitror, sequendum potius iudicem. Nobis dies ipsa meliora atq; secundiora cuncta promittit, dum tanquam sæptis hostem clausum, ac circunsessum habemus. Nobis stando, ne dicam cunctando augetur authoritas, duplicantur uires, & tantum non captum hostem fama ipsa, qua bella maxime constant, per regnum, atq; Italiā diuulgabit. Illis contra omnia cum suis nostrisq; contemptui æque sint. Stando Felicem, id est Salernū, Nolamq;, utrāq; nobilem, utranq; maxime oppotunam urbem recuperauimus, Stando hostem paulo ante ad obsidendam Neapolim festinantem, de fuga ut cogitet, sitq; de propria etiā salute solicitus (quod uidetis) iā coegimus. Cum interim classis, quæ oram hāc maritimam metu sui concusserat, ludibrio haberi cœpit, stantibusq; hic nobis penè auditi fuerint classiariorum militum clamores, atq; heiulatus aut iugulum Surrentinis præbentium, aut præruptissimis è rupibus in mare se præcipitantiū, quo insequentiū gladios fugerent. Nobis Neapolis, et oppida, urbesq; uicinæ annonam, equos, arma, recentem peditem, recentem equitem sumministrant. Quarum rerum illis non modo nulla est commoditas, aut copia, sed haud sciam, an eorū desyderium relictum sit ullū, cum Apuliam, Peucetiosq;, ac Salentinos, tot montes, ac ualles, tot nostra oppida ab illis distrahant. Demum à pugna continendo, pugnantium finem id est uictoriam, absq; ullo nostro periculo consequemur. Cum illis uero satis bene actum fuerit, si (quod unum cogitare, ac meditari possunt) nocturna fuga concessa fuerit, per loca difficilia, prærupta, aspera, magnaq; ex parte nobis parentia. Quanquam etiam fortissimis, peritissimisq; ab imperatoribus usurpatum esse scio, fugienti hosti pontem quoq; uel ex argento constituendum esse. Quam ob rem cum dimicandi nulla immineat nobis necessitas, censeo à prælio

continendum, nec præbendam hosti bene gerendæ rei occasionem. Et quoniam quanto arctius se se pressum senserit, tanto est amplius de fuga cogitaturus etiam censeo, uti occupato monte, qui Faucibus imminet, castra sub ipsum montem, ad caput fluminis, cis ripam transferãtur, quo pabuli, atq; annonæ difficultate coactus hostis (quod unũ reliquum est) nocturnæ fugæ consilium ineat. Rex probata Simonecti sententia, statutóq; ad peragendum negotium tempore, peditatũ quanto potest maiorem comparat. ueteranos euocat. nouos etiam equites scribit. quid hostis paret, quid consulat, per transfugas, captiuosq; explorat. qui montem lustrent, aditus uestigent, semitas inquirant, fidelibus & strenuis uiris negotium dat. Satis etiam constat Ferdinãdo clàm significatum esse Pium Pontificem mutata sententia decreuisse medium se se belli eius gerere. clanculumq; Simonecto iniunxisse, uti paucos post dies in Sãnites Beneuẽtumq;, quæ Pontificis ipsius urbs esset, exercitum traduceret, Atq; eo cognito Regem decreuisse fortunæ res è uestigio cõmittere, fore ratũ, superior si euaderet, uti uictoria ipsa, in partes eius Pontificem retraheret, sin secus cessisset, uti cum iram in illum prouocaret hostium, tum illum ipsum ad uindicandi cupiditatem. quod postea secutum est. Quócirca quæ faciẽdo prælio necessaria essent, summa ea cum celeritate comparari iussisse. Illud uero à Simonecto impetratum, differret abitum è castris, quoad suos Rex per oratores tentasset, posset ne Pontificem ab eo proposito dimouere.

Itaq; ubi parata esse omnia, suaq; consilia latere hostem Rex sensit, tribunis, ducibusq; conuocatis imperat, uti quam maximo silentio de secunda uigilia cum exercitu instructo paratóq; ad signa assint. quid ipse paret, quid fieri à quoque uelit, singulos edocet, huiusmodi etiam oratione cohortatus. In omni re bellica fortissimi niti (quod usus ipse docuit) plurimum occasio ualet, quam optimus quisq; imperator summo studio, ac celeritate complecti debeat, quippe cuius ea natura sit, ut ardua in planum facile uertat. Eam igitur nos capere, ac sequi, maxime utile, atq; in primis cautum consiliũ reor. Sed in omni occasione capienda, inceptisq; prosequendis duo potissimum seruanda sunt, alterum quod factu opus est, mature id ut fiat. Quid enim occasione breuius, aut fugacius est? Alterum, ut suo quodq; geratur ordine. Quando in re præsertim militari nihil ordine ipso potius, ac maius est. Nam confusio, ac trepidatio præterquam quod periculosa, gerendis quidẽ rebus maxime etiã contraria est. Neq; enim aut unum, aut alterum tantum prælium, quanquam consilio, ac ratione susceptum, infeliciter tamen cessisse inuenias, magis ob imperia non eo quo tradita

erant ordine seruata, quàm ob militum uirtutem, atq; aduersarũ partium imperatoris industriam. Quócirca nequaquam à me cohortandi estis, ut in conserendis manibus fideliter ac fortiter rem geratis, q̃ppe cum fidem, uirtutem'q; uestram in multis, magnis'q; difficultatibus planè perspectam habeam, neq; uti ductando exercitu, iter maxime exploratum habere studeatis, Cum hostis ipse quàm proximus sit, & quæ exploráda essent, cũcta sint à me diligentissime explorata. Quid etiam mihi in animo sit, quid faciundum decreuerim, quæ'q; se nobis occasio offerat, iusta mecum tenetis. Verum illud unum, illud inquam unum moneo, hortor, rogo, & pro iure etiam meo impero, ut quæ à me præscripta sunt, eorum memores, ad capiendam occasionem, q̃ propè tenemus in manibus, atq; (ut uerius dicam) omnino iam tenemus, ordinem adiungatis. Ego ipse pro loco, ac tempore adero. An fortasse uerẽdum est exercitatissimi uiri, ne hostis cognito consilio nostro, instructus, paratus'q;, atq; in acie armatus offendatur? Satis compertum, satis exploratum, & cognitum habeo, præter paucos admodum qui pro statione noctu excubant, cæteros omnis per oppidum dispersos sub tectis quenq;, flumine, ac montibus fretos, somnos etiam ignauissimos ducere. Antequam somno expergiscuntur, armis instruũtur, equi frenantur, tribunum'q; quisq; ac ducem suum, pedes, eques conuenit, metu, ac repentina re attonitus, nos occupato monte, effractis portis, aditu'q; reserato, uoti compotes, locum castris ceperimus. Quo capto nobis in acie stantibus, eò castro transferẽtur, quibus positis, reliquũ est uti non horam quietam, non locum ullum tutum hosti relinquamus, Neq; multum tempus aberit, dum aut sese nobis dedat, aut necessitate compulsus fuga sibi quàm maxime periculosa consulat. Hac oratione accepta tribuni, duces'q; ad imperata quis'q; facienda properãs, paulo post instructo cum exercitu, magno etiam silentio assunt. Rex peditatũ præmissis itineris ducibus montẽ circuire, ac superato iugo, sine ulla trepidatione inde descendere, interim equitem procedere paulatim, atq; sub signis iubet. Vbi uero tempus uisum est, quo pedes destinatum ad locum peruenisse iam poterat, dato signo Robertum Vrsinum, lectis cum equitibus superare Fauces imperat. Ille egregie nauata opera, citato equite, in hostiũ stationem illatus alios semisomneis capit, alios resistẽteis uulnerat, ac paulo post in fugam actos, suburbiũ uersus acriter urget. Roberto urgente gregarius miles qui eum secutus erat, prædæ intentus, nihil'q; ad præscriptum gerens, tabernacula diripere, equos à præsepibus dissoluere, se'q; equos'que sarcinis honerare statim cœpit, ac tanquam fugato hoste, præda ho-

nuſtus ad Fauces,atq; in caſtra regredi. Rex id quod erat ueritus,da
ri tempus hoſti ad arma capienda,aliquot turmas cum ſummiſiſſet,
ipſe reliquo cum exercitu pro Faucibus expectare decreuit. Interea
hoſtium duces fugientium,ac pugnantium clamoribus exciti,re co-
gnita,propere accurrunt,ſuos hortantur,ac præmiſſis, qui impetum
ſuſtineant,ut quenq; ſors obtulerat,acies inſtruunt,ac paulatim alios
atq; alios equites ſummittunt. Robertus ubi ſuſtinere impreſſionem ne
quit cedere pedetentim cœpit. Vrgebat enim cum lectiſſimorum manu
equitum Vrſus,atq; acri cœpta pugna,ſummis utrinq; uiribus de lo-
co pugnatur. Hinc Robertus,illinc Vrſus dum ſuus hortantur, dum
fortiter rem gerunt,parum abfuit quo minus uterq; ſuo ab aduerſa
rio caperetur. His rem penè intra globum gerentibus,regijſq; in ar
cto propter locorum ingnorantiam pugnantibus ab hoſtium duci-
bus leua ſiniſtráq;,hinc pedites,inde equites ſummittuntur. At Rex
cum intellexiſſet ſuos in arcto premi,maiorem equitum manum ſubſi-
dio ire iubet. Hoſtium uero pedites in anguſtijs uiarum implicitos in
ter ſe regios conſpicati alij haſtis eminus,aut ſclopetis,alij cominus gla
dio ſuffoſis,aut uulneratis equis,ipſos equites partim deijciunt,partim
in fugam uertunt. Locorum peritia hoſtem maxime adiuuabat. Re-
gius uero uix è uia egredi,illic omnes cogi,alijſq; atq; alijs ſubſidiū
ferentibus in unum ſimul cuncti coire. Quod aduerſarius ubi uidit
ab dextra ſiniſtráq; acrius illum premere, conari etiam à tergo in-
uadere,atq; ab reliquo exercitu ſeiungere. Quod Rex ueritus,ſuos re
ferre pedem paulatim iuſſit. Primis igitur,dum partim pedem refe-
runt,partim etiam terga uertunt,fugam iam parantibus , poſtremis
autem in acie ſtantibus,cum locus ipſe explicandis ordinibus haud-
quaquam ſatis eſſet,hoſtium duces eo acrius urgere incipiunt. Illi à
tergo,hi ab latere,plures ſingulos,liberi impeditos,recentes ſaucios cir
cunſiſtunt. Hic uero ingens ſtrages equorum,atq; hominum à ſclo-
petarijs edita,qui ab Rege propter ſtipendia non ſtatim exoluta initio
obſidionis ad Ioannem tranſfugerant. Inter alios , atq; inter primos
Simonectus cadit. Robertus uulnere in ore accepto uix hoſtiū elapſus è
manibus ad regem,qui extra Fauces in loco paulo editiore inſtaurare
pugnam parabat,ſe recipit. Cæteri magna è parte capti. Rex ea exer
citus parte exutus,cum nullum in pedite præſidium eſſet,quippe cu-
ius nulla in toto prælio extitiſſet opera,cum neq; locum tenuerit,neq;
imperium ſeruauerit,neq; ubi tempus ferebat,pugnæ affuerit,ſum-
mis tamen uiribus anniti,quod unum erat reliquum,ne hoſtes fau-
cibus prodirēt,Quo circa præhenſare fugientes,confirmare integros,

hortari,rogare,

hortari, rogare, locum tuerentur, superesse tot lectos equites, tot etiam recentes turmas, aduentare è castris subsidia, si uiri esse uelint, non hostium modo impetum repressuros, uerum etiam si Faucibus egrediātur, magna etiam illos clade affecturos. Ipse in hostem proficisci, ac nunc his, nunc illis se ostentare. Cum interim ex ijs, qui in præsidijs collocati erant, quiq; postremos tenebant ordines, multi signa, locumq; deserere, seq; fugæ dare cœperunt. Quod hostiū duces cum animaduerterent, tanto se impetu è Faucibus proripiunt, ut regij uix primo congressū sustentato in fugā se q̄ laxissimis habenis dederint. Hostes statim in castra profecti, cum uacua ea defensoribus inuenissent, capta diripiunt, pauci transpontem, Nuceriam, finitimaq; in loca se recipiunt. Regem Neapolim uersus fugientem haud multi secuti, reliqui penè omnes aut in prælio, aut in fuga, aut in ipsis castris, ad quæ post prælium refugerant, ignauiter capti. Magnus captiuorum omnis generis fuit numerus. Direptis castris ingens tum rerum aliarum, tum argenti, atq; auri præda Sarnum perlata. Hanc cladem non uatum modo prædicta, et eorum qui rerum cæli periti sunt, uerum prodigia quoq; præcessere. Nam & ueterum fatiloquorum carmina passim recitabantur quibus Regi clades obnuntiabatur, & Mathematicorum minæ uulgo ferebantur. Pridie etiam quàm pugnatum est, toto fermè die coruorum greges prætorium obuolitauere conclamantes, ac proximis insedere arboribus. Rex ipse prætorium egressus, equo repente cōcidit. Diuersis locis, alibi sanguine, alibi oblitis cinere guttis pluisse nūtiatum est, notatumq; folijs holerum eas guttas insedisse. Nostra tamē tempestate hæc aut animaduertere, aut procurare religiosum est. Die quæ insecuta est, cum à Ioanne, Tarentinoq; coacto senatu, quid de captiuis statuendū, quo primum arma inferenda essent cōsultaretur, de captiuis, uicit eorum sententia, qui censebant uti triremibus impositi, Massiliam deportarentur, nisi finito bello in Italiam non remittendi. De prosequendo uero bello duæ cum essent sententiæ, altera uti ad obsidendam Neapolim statim admoueretur exercitus, altera uti finitima prius oppida, quiq; in Regis fide reguli persistebant, tentarentur, huius quidem Tarentinus, prioris uero Ioannes Coxa author erat, cui pleriq; assentiebantur, eumq; ita locutum accepimus. Siquam
" nobis perficiendi belli rationem hesterna ostendit uictoria, eam ipsi se
" qui, atq; oblatam à dijs immortalibus capere occasionē uolumus, dicā
" audacter fortissimi duces, die crastino, hostem Neapoli circunsessum,
" atq; haud multo post cum ipsa etiam urbe expugnatum uidebimus.
" Quantum igitur sedendo, ac consultando temporis ipsi absumimus, tā

tum à belli fine per negligentiam, atq; in gnauiam uolentes absumus, qui si quo impetu in hostiũ castra irrupimus, ea alacritate fusos, atq; in fugam uersos secuti essemus, eodem cursu, aut Rege ipso in fuga capto, aut fugienti itinere intercluso, in magnam (mihi credite) occupandæ ex improuiso Neapolis occasionem incidissemus, secura et penè otiosa ciuitate, dum Sarni circunsessos nos, ac tantum non captos, in porticibus, ac compitis inaniter gloriantur. Sed quod uel militum labore, uel prædæ studio, aut lætitia ipsa quæ præcludere hominum solita est consilia, omissum est, aut peccatum, id quàm primum ut corrigamus, nostrum quidem est, aut si corrigi minus potest (quando quod factũ oportuit, frustra de eo faciendo consilium nunc initur) saltem quod reliquum est, quod'q; in nostra adhuc manu positum, celeritate pensemus. Quam ob rem, quoniam (quod in omni bello maximum uidetur) profligatum in acie aduersarium de se, uallo, muris'q; tutando cogitare iam coegimus, quid reliqui superest, nisi uti mœnibus inclusum, obsidione eum quàm arctissima cingamus? Quo quidem circunsesso, quid opis, quid spei reliquum, quid animi esse potest ijs, qui eius partes hactenus sunt secuti? Itaq; cum una sit regni caput Neapolis, in quam Ferdinandus amisso exercitu penè solus refugit, non tam (ut arbitror) aut mœnibus fretus, aut ciuium beneuolentia, quàm arce ipsa fidens, in quam non est dubitandum, quin ubi muris castra admota senserit, confestim se includat metu territus, ac nobilitatis odium timens, cuius bona pars ad nos transierit, quænam causa est, quæ inquam est causa, fortissimi duces, cur non crastino die, albescente cœlo. auulsis, signis ad eã obsidẽdã exercitum rapiamus? Nobis integræ sunt uires, miles uictor, &, quod maximum est, fortunæ ipsius fauor adest, hominum'q; uoluntates, eodem semper quo fortuna inclinantium. Contra Regi effœtæ uires, exhaustis Alphonsi thesauris, milite, qui ei fidelis esse poterat, & strenuo quoq; capto, reliquis, quos fuga tutata est, inermibus, quos'q; optandum sit, Neapolim se post fugam, cladẽ'q; recepisse, aliquem illic tumultum, ob famem, inopiam'q; excituros. Videlicet maritimum aliquod auxilium paratum est Ferdinando? Atqui mare à nobis tenetur. An fortasse terrestreis alias copias, quas aduentare fama sit, subsidio uenturas expectat? cum nec ullæ quidem ipsæ sint, & quicquid illinc trans Capuam, hinc cis Acerras, agrorum, atq; oppidorum est, nobis pareat, et armis circùm clausa omnia teneantur à nostris. Reliqua est una illi ciuium beneuolentiæ spes, qua firmissima, obsidionem tam diu ciues tolerent, dum ex Hispania ab Ioanne patruo, aut à Pio, Francisco'q; ex Italia mari terra'

ne is mittatur exercitus, qui aut metu sui solui à nobis obsidionem, aut uiribus congressus cogat. De spe quidem ciuium (ut dicam, quod sentio) imperium Catalanorum, quàm omnes oderint, iuxta mecum tenetis, & res ipsa docet. In nobilitate uero quid certum habere, aut constitutum in ea Ferdinandus potest? cuius maior pars, odio illum prosequentes, sponte ad nos transierint? Nam de auxilijs uestrum erit iudicium. Quid enim in Ioanne patruo, Rege non modo paupere, uerum etiam inopi repositum esse præsidij potest? quæ ab hoc auxilia expectari? præter paucas admodum triremes, easq; captiuo instructas remige? Quod uero ad Pium, & Franciscum attinet, etiam si maxime cupiant, quæ tamen auxilia aut tanta mitti ab eis possunt, ut uel perrumpere tantum montium, ac fluuiorum ualeant? nobis aditus omnes armis circumsæptos tenentibus? Pianinoq; cum ualidissimis copijs obsistente? aut tam præsto ea esse, ut non, quod æstatis reliquum est, interim prolabatur, hyemsq; mox inhorrescat? quo tempore an dubitatis, Neapolim aut ui expugnatum iri à nobis, aut partium studijs sponte imperium accepturam? Cum interea quæ in Brutijs, Marsis, Pelignis, Marrucinis reliqua in fide Regis manent oppida, audita exercitus eius strage, cognita Neapolis obsidione, ultro mittent qui se se nobis accepto imperio dedant. Adhæc Neapolim obsidere quid est aliud quàm Pium, Franciscumq; ab incepto deterrere. atq; abstrahere? reputantes frustra se de mittendis auxilijs cogitare, tam breui tempore, tanto terrarum spatio, omni itinere atq; aditu intercepto. Contra uero hortari, atq; incitare, ubi dari à nobis Ferdinando spatium senserint ad comparandam pecuniam, ad restituendum exercitum, ad ipsa deniq; auxilia commode, tutoq; expectanda? Ac tandem si qui sunt qui aduersus Ferdinandum moliri aliquid parent, quos non paucos esse quotidiana nobilium docent transfugia, deterrere eos, animumq; & uires aduersarijs adiungere? Quæ cum ita se habeant, an cunctamini fortissimi duces ad obsidendam Neapolim propere castra ducere, quo fortuna, quo cœli fauor nos uocat? ac regni ipsius caput, coactis in unum uiribus petere? ut cõtusa, mox ẽt excisa anguis ceruice, reliquũ corpus trũcũ, atq; exanimũ relinquamus. Quæ ubi Coxa dixit, cũ q aderãt, & ipse ĩ primis belli dux Ioãnes, pars uultu, uerbis alij probare uiderẽtur contra ea Tarentinus in hanc sententiam locutus dicitur. Neq; importune duces, neq; parum considerate paulo ante Ioãnes Coxa de obsidenda Neapoli, totaq; belli mole eò uertenda disseruit, quippe quæ regni caput, neq; multis ante annis ab Alphonso capta uictoriam illi,

decusq; pepererit, ac regnum uniuersum in pace, officioq; stabilierit. Verum enim cum eo mihi de genere obsidionis parum omnino conuenit, quippe cum exercitum propere muris admouendum censeat, ego uero longe aliam sequendam rationem statuam, & cur ita statuam, multa me simul mouent, primum urbs ipsa eo loci sita, ut præter non multum campi, quod ab ortu solis muris adiacet, cætera omnia libera ab obsidione, atq; aperta relinquenda sint. Cum ab occasu, atq; à septentrione tantum montiũ interiaceat, ac uallium, à meridie uero mare patens, ac liberum, molesq; adeo munita, atq; ad propulsandum instructa, ut tranquillo mari longissimo ab continente tractu classem in ancoris stare necesse sit, futuram in summo discrimine, ubi etiam leuior spirare aut auster cœperit, aut boreas, quibus hic ipse sinus quàm maxime est obnoxius. Mouet deinde populi frequentia, & Hispanus miles, quàm maxime Regi fidus, & quod ea tum armorum est, tum equorum illic copia, ut breui non exigua equitum manu comparata, restituere exercitum Ferdinandus queat. Addam tot arces tam egregie munitas, quas qui ciuis, aut peregrinus aspicit, Rege præsertim præsente, atq; incolumi, quamuis magnũ, atq; robustum habeat animum, quamuis factionis nostræ studiosus, abijciet tamen illum, obtorpescetq; formidine. Nam quod ad nobilitatem attinet, nobiliumq; ad nos transitionem, utinam, inquam utinam Neapoli potius manere consilium eis fuisset. Quid enim aliud tot nobilium ad nos transitione effectum est, quàm ut urbẽ Ferdinando liberam permiserint? nec securiorem illum modo, uerum etiam cautiorem reddiderint? Adhæc tanto incœpto quæ paucitas nostra sit, ipsi uidetis, cum etiam ad oppugnandum necessaria nobis desint omnia. Regi contra et ad repugnãdum, & ad lacessendum urbs ipsa, & arces, & multorum etiam annorum Alphonsi apparatus cuncta suppeditent. Scilicet sperandum id est, uti constitutis à nobis ante portas castris, in arcem se se Ferdinãdus includat, quem nõ montes, non flumina deterruerint, quo minus infesto agmine, loco sibi maxime iniquo, intra Sarnum irruperit. An potius (quæ illius est uirtus, & ætas militaribus laboribus assueta) uerendum etiam atq; etiam est, ne quid apud obsidentes tutum, aut in castris quietum, continuis eruptionibus patiatur? Tentare igitur obsidionem, quæ postea turpiter omittenda sit, an quæso erit aliud, quàm uictoriam fortuito nobis oblatam, turpi aliqua dedecorare iactura? aut sedendo ad Neapolim, qui populi, principesq; in officio ergà Ferdinãdum reliqui permanent, ijs ut oppida muniant, cõmeatus importent, militem conducant, aliaq; præsidia sibi comparent, tempus, otiumq;

permittere? Quam ob rem quæ tutissima quidem est obsidendi ratio, hanc ego censeo ineundam, Primumq́; uti Robertum Sanseuerinũ, cuius oppida nobis ante oculos sunt posita, ad deditionem pelliciamus, aut debellare recusantem tentemus, finitimos deinde populos, quibus aut captis, aut deditis, Robertoq́; in parteis nostras ascito, an dubitamus à Neapoli Cossentiam, ac Rhegium uersus omnia in ditionem, ac nomen nostrum concessura? Robertum enim Lucâs Sanseuerinius, cuius late magnus in lucanis, Brutijsq́; dominatus est, minoresq́; alij proceres, liberæ item ciuitates sequentur, ut diebus quàm paucissimus, præter Auersam, Capuam, Acerras, Neapolim, nihil in tanto terrarum spatio, quod inter Lyrim amnem, urbemq́; Rhegium, atq; Crotonem interiacet, Ferdinando relinquamus, ac Pio, Franciscoq́; animum, cogitationem deniq; omnem mittendorum auxiliorum adimamus. dum Regem perinde ac truncum, sine membris, sine neruis, destitutum, atq; emutilatum uiderint, missis etiam ad eos oratoribus qui utrunq; & nostro, & Renati nomine benigne appellent, ac largis etiam pollicitationibus impleant. Quæ an sit tutissima obsidendæ Neapolis uia, omnes iam uidetis. Nam tentare fortunam, ubi consilio locus est, quàm sit temerarium, dies hesternus admonere nos potest. Regem certe ipsum ne fortunæ posthac tam facile se committat, abunde iam docuit. Dicenti hæc Tarentino senatus assensus est omnis. ea erat senis authoritas, is rerum usus, quodq́; belli esset author, omnis spes, ratioq́; uincendi in eo collocata uidebatur, ut Coxæ sententiam quamuis tacitis omnes comprobarent animis, nemo tñ ne ipse quidem belli dux Ioannes à Tarentino dissentire aut uideri palàm uellet, aut omnino auderet. Igitur motis à Sarno castris petiere Stabias. Id oppidum, uti rerum Romanarum scriptores prodidere, Syllæ iussu solo æquatum finitimos in uicos abierat. Postero dein tempore quod eo propter loci opportunitatem, portusq́; manu facti, multa mari comportarẽtur, tuguria in litore constitui cœpta. procedentibus inde seculis, tanquam in uicum multi mortales confluxere, donec oppidi nomen ac formam accepit. arce etiam in edito posita, quam egregie Alphonsus munierat, brachio ab ea ad mare deducto, ut cum usus uocaret, per id immitti præsidium in arcem posset. Præerat arci, atq; oppido Iões Galiardus ex antiquis Alphonsi familiaribus, miti uir ingenio, & fide integra, cæterum qui ut Hispanus uxori paulo nimium esset deditus. Ea erat Margarita Minutula nobili loco nata, cuius frater Loisius arcem Lucerinam Ioanni in Apuliam profecto prodiderat. Siue igi

tur futurum sperarent uti Margarita Galiardum ad deditionem impelleret, siue quod ea sponte deditionem fuisset pollicita, si castra eò admouerẽtur, Capaneo fratre instigante. Hostes oppidum ingressi, nullo suburbium defendẽte, nam oppidani intra uallum, quod sub ipsam est arcem, confugerant, quatere confestim crepidinem tormẽtis cœpere, nec multo post à Galiardo deditio fit. Iisdem diebus Vicani, Massensésq; ad Ioannem defecere. Surrenti quoq; trepidatum est, propter suspitionem familiæ Acciapactiorum qui Ioannis, Renatíq; partes clàm fouebant, Præerat urbi cum præsidio Antonius Carrafa, cuius prudentia effectum est, uti Acciapactiorum consilia parum prosperos euentus habuerint. Interea duces ipsi nunc minis, nunc pollicitationibus Robertum Sanseueriniũ ad deditionem sollicitabant, Qui uiribus diffisus, quod omnem i se belli impetum uersuros eos cerneret, facta deditióe in castra hostium profectus, in Ioannis uerba iurauit. Cuius exemplũ Lucâs quoq;, quod & ipse iisdem diebus in Brutijs male pugnauerat, secutus est. Etenim Antonius Centilia, quem Rex in arce Neapolitana custodiẽdum curauerat, corruptis custodibus, noctu arcis postico, quod ad mare est, Marilianum se receperat, indéq; haud multo post in Brutios reuersus bellum instaurauerat, quod captiuus dum esset, per Alphonsum, ac Iulianum fratres, & Ioannem Trauersum eius præfectum administrabatur. Lucæ, ac Roberti deditione cognita, cæteri omnes Lucaniæ ac Brutiorum principes, populíq; præter pauca admodum castella, Andegauienseis sunt partes secuti. Igitur hostium duces Roberto dedito, cum de occupandis Cauis consilium cepissent, parum abfuit quin magnam ex improuiso cladem acceperint. Ea ciuitas magis q̃ urbs montanis in locis disposita uicatim habitat, multitudine tñ hominum frequens, ac situ naturali satis munita. Cauenses igitur relictis uicis, quos defendi uix posse arbitrarentur, in loca se munitiora contulerant, ubi de obsidionis aut tolerandæ, aut propulsandæ rationibus cũ agerẽt, consiliũ iniere de inuadendis nocturno tẽpore hostiũ castris. Nam & Armatorum multitudine abundabant, & satis exploratum habebant, si res parum successisset, posse tuto se ad suos recipere, fauissetq; incœpto fortuna, ni re per transfugam cognita, castra repente ex eo loco mouisset hostis. Huic tot principum, populorumq; tã repentinæ defectioni non magis cladẽ ad Sarnum acceptam, quàm inconstantem, ac perleuem Felicis animum causam dedisse satis constat. Qui si quam debuit animi firmitatem retinuisset, præter prædam in castris inuentam, uix aliud eo prælio ab hoste partum, aut quæsitum

fuisset. Verum enim adolescens infirmo ingenio, nullo rerum usu, addictus consilijs Francisci Infantis auunculi, hominis incompositi, ac sacerdotis parum continentis, non deditionem modo urbium, atq; oppidorum statim fecit, sed supplex ipse ad Ioannem Antonium in castra profectus est. Ex ea deditione cum Nola, Salernumq; maxime opportunae urbes hostium accessissent uiribus, coactus est Robertus desperatis penè rebus suis consulere. Cuius exemplum Lucania, Brutijq; ferè uniuersi secuti cum essent, periculosum Regi uulnus inflixere, additis etiam defectionibus Loisij Iesualdi, qui in Hirpinis cum aliquot opportunis oppidis, rerum ad Sarnum gestarum nuntio accepto desciuerat, adhæc & Matthæi Extendardi. Quo effectum est, uti hostibus Argentio, Harpadioq; potitis, in Samnites, Apuliamq; aditus Regi omnes intercluderentur. His & aliud accessit malum, quod Franciscus Comes Casertanus deterritus & ipse Sarnensi primum clade, post finitimorum etiam rebellione, maximisq; hostium minitationibus, aliquantum nutabundus cum stetisset, consilijq; incertus, tandem ad Ioannem inclinauit, matris potissimum suasu, ac Thomæ Branchatij, cuius consilijs mater, filiusq; acquiescebant. Quæ res Campanorum, atq; Auersanorum animos uehementius fregit. Cum Petrus quoq; Mondragonius, qui Metalonum opportunum tenebat oppidum, clàm cum hoste consensisset. Vt iam Acerræ, Capua, Auersa, quæ solæ cis Lyrim amnem, Campaniæ urbes in Ferdinandi fide, atq; officio perstabant, circunsessæ ab hostibus tenerentur. Licuit hoc potissimum tempore, atq; ex hoc rerum statu cognoscere, quàm lubrica sit, periculisq; exposita adolescentium administratio, parumq; omnino moderationi apta, & propter rerum inscientiam, & quod præsentes solum res, sibi ante oculos ponant, plerunq; uana sequantur, & incerta consilia, illis maxime consultoribus credentes, qui blandiri nouere, magis quàm uera dicere. Quócirca Tarentinus Felicis inconstantiam ueritus, qui paucissimis diebus ter rebellasset, specie quidem liberum, re autem captiuum eum in castris secum habens, arci Salernitanæ fidum sibi hominem, cum præsidio imposuit, Nolæ Vrsum magna cum peditum, atq; equitum manu præfecit, q et Nolã tueretur, et Neapolim, Acerrasq; assiduis discursiõibus infestaret, cũ ipse hyemare in Apulia decreuisset. Adhæc cõstiterat secũ in Apuliã Robertũ ducere. Sed ille senis maxime callidi, ac fallacis isidias suspectas habẽs, ex quo die abire è Tarẽtini, Ioãnisq; cõspectu licuit, redire ad eos omni studio auersatus est. Conatus

tñ est, quo arctissimo posset uinculo deuincare sibi eũ Ioannes, ascitum quidem cooptatumq; in socium Cresentis, eo Galli nomine Lunam appellant corniculatam. Est enim mos eius gentis principum, religiosam aliquam militiam pro abitrio statuere, ad quam quos initiatos admittunt, iurare uerbis conceptis cogunt, futuros se socios periculorum, neq; ullo unquam tempore arma aduersum laturos, fidem, amicitiamq; perpetuam seruaturos, ubi etiam casus tulerit, auxilio futuros, in bello præsentes, armatosq; in acie staturos, aut pecunia adiuturos. Adhæc stata sacra, & dies quosdam maxime solennes constituunt, quibus interesse cunctos fas sit. Ii Confratres uocantur, quos et uiuos, & mortuos, qui religionis eius, militiæq; authores sunt, maximis prosequuntur honoribus. Insigne autem militiæ ipsius aliud alij est. Huic Luna erat corniculata, quæ à Gallis Crescens dicitur, eaq; ex argento brachio subligata gestabatur. Quo religionis, ac militiæ genere honestatũ Robertum Ioannes sibi cum obligasset, Pius inde Pontifex Maximus illum haud multo post absoluit, quod iudicaret eas non magis religiones, quàm coniurationes quasdam esse pessimo exemplo institutas. Quoniam autem locus ipse admonuit, pauca de Roberto, deq; eius maioribus dicam. Roberto pater fuit Ioannes, Sancti Seuerini (id oppido nomen est) Comes, mater Ioanna, & ipsa quoq; ex eadem cum marito stirpe edita. Quo mortuo superstitibus ex eo compluribus liberis, cœlebs ipsa, summa illos cura & aluit, & eorum res procurauit. Nam & domi parca erat, & continens, & quod esset supra muliebrẽ sexum animo elato, & magno, utrasq; patris, & matris uices gerere se uideri uolebat. Cumq; eorum singulos materna prosequeretur caritate, Roberto tamen, qui natu erat maximus (qua prærogatiua paternus ei dominatus obuenerat) & indulsit supra maternos affectus, & dum augere quacunq; ratione res illius posset, parum omnino pẽsi habuit. Ad cæteras autem matrona dignas artes illud etiam adiunxit, quod, ut erat ipsa fidei, ac regij nominis colens, ijsdem artibus, eodem etiam fidelitatis studio filium imbuit. Itaq; nihil prius habuit quàm ut Robertum egregie institutum Ferdinando quibus liceret artibus conciliaret. Ille igitur ubi primum ætas tulit, equitando, uenando, cum æqualibus se se nunc iaculo, nunc gladio exercendo, nullo turpi otio adolescentiam labefecit. quo etiam tempore literis operã dedit, quas post natu grandior maiori studio complexus est. Is igitur artibus inter regulos facile eminebat, Ferdinãdoq; propterea maxime carus, atq; acceptus erat, Naturæ quoq; muneribus ad ea adiutus, quip

pe cuius decora esset facies, statura procera, & cum dignitate, oratio
pro tempore non minus suauis, quàm grauis, atq; ingenua. Ipse fa-
cilis aditu, gratus responsu, atq; in primis urbanus, & liberalis, cuius
etiam domus generosissimo, ac probatissimo cuiq; quotidie pateret. de
mũ singulis in rebus nobilitatem præ se ferebat generis, quod alij Gal
licum ab origine quàm Italicum malunt, Nobiles enim quosdam se-
cutos è Gallia Normannos, ac Viscardos duces, pulsisq; ex Apulia, Sa
lentinisq; Constantinopolitani Imperatoris præfectis, uirtutis merito
donatos in initio oppidis, ijsq; posteros eorum imperitasse, in quibus
Venusiam, Materam, Cupertinum, Neritonium fuisse tradunt. Qui
dominatus in dies magis magisq; auctus fuit bellicam ob uirtutem,
qua hæc quidem familia in Italia ex eo adhuc etiam floret. Quo fa
ctum est ut dum partim ipsi regum quorũdam impotentiam, super-
biamq; dominatum parum æquo ferunt animo, partim ipsi à Regi-
bus timentur, aliquando familia omnis ad internitionem penè reda-
cta fuerit, uix uno aut altero superstite. Adeo euertendæ illi nihil re
liqui ad crudelitatem regibus ipsis fuit. Contra qui Italicam eam as
serunt, nec olim fuisse, nec nunc quidem extare apud Gallos, Brita-
nos'ue tali cognomento familiam, deductamq; agnationem uolunt
ab oppido, cui ex ea domo primus imperauerit, ut Celanam, Martia
nam, Ebulam, Molisiam, Aqueuiuam, quæ ab oppidis sunt agnomi
natæ. Sed ego longius fortasse digressus sum. Quam ob rem ad in-
cœptum redeo. Dum hæc ad Sarnum, proximisq; geruntur in locis,
Iacobus Picininus hostium partes secutus, à Britonoro, ubi hyemaue
rat, mouens, per Cesenatium, atq; Ariminensium fines profectus, de
cimo die ad flumen Cesanum peruenit, At Alexander, Federicusq;,
qui iussu Pij Pontificis ac Francisci Sfortiæ iter eius obseruabant,
quod eũ locum maxime idoneũ ad prohibẽdũ transitum iudicarant,
fluminis ripas fossa, aggeribusq; munierant, ne transiret hostis, facile
prohibituri. Post tamen ueriti ne Picininus conuerso repẽte itinere Sa
xiferratum teneret, eò cum exercitu se contulerant. Itaq; Picininus
quanquam magno militum labore, nullo tamen obsistente, aggeres di
ruit, ac repletis fossis trans flumen exercitum ducit, & ad Esim flu-
uium eo die castra ponit. Quod sentiens Sigismundus qui illum inse-
quebatur, eo consilio, ut si Alexander, Federicusq; à fronte obstitissent,
ipse à tergo includeret, confestim in Fanestrem agrum redijt. Pici-
ninus die insequenti cum Loretiæ Mariæ templum ex itinere in-
gressus, Diuam salutasset, ad flumen Potentiam castra mouit, quodq;

in sola celeritate rem positam intelligeret, nocte intempesta mouens, cum ad hostia fluminis (cui loco Firmanus Portus est nomen) peruenisset, ueritus ne mons q litori imminebat, ab aduersario teneretur, ubi qui exploratum missi fuerant, retulere liberum eum esse (decreuerat enim occupato eo ab hostibus, rem gladio experiri) continuato itinere, emensus eo die passuum septem ac triginta millia ad Benedicti tẽplum peruenit, quod à Truento flumine circiter octo millibus passuum aberat. Ibi duabus horis equo ac militi reficiendo concessis, cohortatus suos, ut quod reliquum erat ad fallendum hostem, æquis conficerent animis, de prima uigilia mouens instructo exercitu ad Truentum peruenit. Hic cum à militibus qui præsidij gratia Asculum uenerant, item ab oppidanis ingens excitus esset strepitus, passimq; noctu ignes plurimi cernerentur, ratus hostem eò cũ uniuersis copijs profectum, consistere agmen iussit. Ipse cum omni peditatu (erat enim in castris eius peditum duobus millibus amplius) magnoq; gregarij militis numero ripas fluminis tẽtaturus accurit, succisisq; obijcibus, & aggere æquato, uado inuento, primus flumen transijt. quem insecuti reliqui ripas occupauere, quibus occupatis, dato signo, reliquus exercitus traductus est, deq; tertia uigilia ubi Columnella castellum positum est, tumulo capto consedit, plurimisq; factis ignibus, regni se fines ingressum finitimis significauit, quo alijs pro partium studio lætitiam afferret, metum alijs incuteret. Cum interea Federicus, Alexanderq; Maceratam profecti, quo portum Firmanum antecaperent, uicti celeritate Picinini, incœpto irrito, consilium mutare coacti sunt. At ille biduo tantum quieti militum, atque equorum dato, inuitatus à Iosia, qui Andegauienses sequebatur partes ad Turdini hostia, qui antea Batinus fuit, constitutis castris, ac decimo die machinis, cæterisq; bellicis instrumentis è naui exhoneratis, ad obsidendam ciuitatem Sancti Angeli proficiscitur. Iacobus Padulius qui oppido cũ præsidio præerat, diffisus mœnibus, quod æneorũ tormentorum uim minime possent ferre, deditionem oppidanis suasit. Postridie quoq; ciuitas Pinnarum non expectata oppugnatione deditionem fecit. Inde Lauretum profectus Picininus cum esset, & iam quassatis, ac dirutis muris sustineri diutius obsidio nequiret, tum Franciscus Aquinâs Marchio deditionem his conditionibus fecit, ut ipse cum omnibus oppidis, quibus plurimis dominabatur, ad Ioannem transiret, Laurentani multæ nomine aureum quatuor millia pẽderent. Hinc ad Aternum profectus, cui post ab oppido Piscaria factum est nomen, strato

pōte, ac traducto exercitu, in agro Theatino castra posuit, eo consilio ut & agrum uastaret, & Iulium Camertem, quem nuper conduxerat, illic expectaret. Nam initio Truentū cum transijt, uiginti quatuor equtum turmas, haud amplius secum habuerat. Interea uastabūdus Theatinū fines populatur, singulisq; penè diebus cum Matthæo Capuano prælia facit. Hūc Rex propter fidei uirtutisq; opinionē oppido, atq; uniuersæ regioni præfecerat, q quanquā parua equtum, ac peditū manu, Pianino tamē ubiq; occurrere, tueri oppido propinquos agros, populantibus metum inijcere, insidias disponere, fugare, capere, denique hostis conatibus omni arte obuiam ibat. Non multo autem post certior factus Picininus, Federicum, atque Alexandrum, qui plureis dies in Asculanorum finibus Bosium Sfortiam cum septingentis equitibus expectauerant, munitis ad Turdinum castis consedisse, decreuit aduersus eos cum uniuersis copijs regredi, euocata magna peditum auxiliarium manu, accito etiam Caldorarū exercitu, qui statim belli initio ad Andegauiensem defecerant. Medius amnis utrunq; dirimebat exercitum. utræq; copiæ quotidie in armis erant. utrinq; imperatores rem egregie curabant. quid casus, quid industria parare posset, hinc atque illinc prospiciebatur, non dies, non noctes quietæ, nunc eques, nunc pedes ad arma currere. è castris se proripere. fremere omnes, ac prælium exposcere. Tres illius temporis clarissimi duces de uirtute, gloriaq; certabant. par robur, par militum audacia. Picininum locus aliquanto editior tuebatur, hos arte, ac labore parata munimenta. ille peditatu superior. hi ueteranorum delectu. ille quod rem sibi futuram cum duobus exercitatissimis imperatoribus intellegeret, eo maiores concipiebat spiritus. hi partum multis bellis decus ereptum iri sibi indignabantur. Excitabant etiam utrunq; exercitum studia ueterum factionum, quæ à Braccio, Sfortiaq; ductæ multos annos in grauissimis bellis, acerrimis etiam prælijs magis ac magis iras, odiumq; accenderant. Illud uero partium alteri acerbum & graue, quod morbo grauatus Federicus nec equo, nec pedibus obire imperatoris munus poterat. Erat & utriusque exercitus, quæ utriusque factionis ferè semper fuerat, dissimilis disciplina. quod Sfortiani cunctando, Bracciani prouocando lacessendo'que bellum magis administrabant. Cum igitur multi quotidie è Pianini exercitu in stationem illati hostium, nunc singuli, nunc pauci, nunc etiam plures in certamen prouocarent, forte accidit uti Saccaginus, cuius Picininus forti opera sæpe utebatur, cum paucis equitibus, ac lecta pe

ditum manu è castris progressus in planitiem, quæ media inter utraq;
castra interiecta erat, flumē trāsierit, prouocaturus eos, qui in statio-
ne pro castris agebant. Hi despecta equitum paucitate, authore Marco
Antonio Torello qui stationi præerat, in Saccagninum illati, magna
peditum strage edita, reliquis in fugam uersis, trans flumen præcipites
egere. Quod conspicatus Picininus, Iulium Camertem fugientibus
summittit. Hoc cognito Alexander omnem exercitum armari iubet,
semptemq́; equitum ordines extra uallū progredi, qui subsidio statio
ni essent, imperat. Quod ubi Picininus intellexit, è castris cum omni
exercitu se proripiens, ubi in planum peruenit, duas lectissimi equitis
alas in dextro, ac sinistro cornu statuit, alteriq́; Ioannem Comitem,
alteri Ramundum Anechinum præficit, ijsq́; imperat, ne quo casu lo
cum deserant, præterquam ut cedente aduersario pedetentim æquo
passu in portam castrorum quàm confertissimi ferantur. In media uer
sari iubet acie Siuestrum Lucanium. Ipse milites cohortari, nunc sin
gulos alloqui, nunc simul plures, fortia cuiusq; facta referre, uulnera
tos ex acie subducere, recentes fessis. saucijs integros summittere, nunc
addere suis animum, nunc terrorem aduersarijs incutere, nihil se-
gne, nihil remissum agi sinere, sæpe ante suorum ora uolitare, in ho=
strem strenuum quenq; immittere, sæpe ex acie excedens prospice-
re hostium ordines, suas atq; aduersariorum res expendere, quid ca
uendum, quid sequendum esset consyderare, nihil deniq; prætermitte
re, quod casus offerret, quod ratio suaderet, aut belli disciplina, totq́;
annorum ac præliorum usus ostenderet. Hoc prælio uideri potuit (si
quando aliâs) fortunam ipsam belli dominam, mediam se se statuisse
inter utranq; aciem, nunc his, nunc illis uictoriam offerentem, atque
aliâs in illos inclinantem, aliâs retrahentem se se, ludificari impera-
tores ipsos, nec pati eo die ea acie discerni, utrius exercitus milites,
utrius partis duces aut fortius rem gererent, aut maiore animo consi=
lioq́; administrarent. Nanq; alia parte Alexander summa ui, dili-
gentiaq́; curare omnia, quocunq; casus uocasset, illic adesse, plura si=
mul prospicere, periculis occurrere, præhensare alios, alios horta-
ri, uoce, uultu, manibus, quid agi uellet significare. Impe-
ratorum præsentia diuersis locis pugnam instaurabat. multi utrinq;
cadebant equi, uiri'que. Ipsæ locorum angustiæ, magnaq́; ducum
peritia, spectata item ueteranorum uirtus, & equorum, uiro-
rum'que recentium alacer successus summis animis, ingentibus

conatibus fieri ac tentari omnia cogebant. Itaque armorum stre pitu, equorum fremitu, procurrentiumq; militum clamoribus, alibi cadentium gemitu, aut urgentium lætis conclamationibus cœlum complebatur. Interdum tanta ira, irritatisq; adeo certabatur animis, ut præter ictus, hastarumq; fragores, magno silentio pugnaretur, utranq; aciem nunc spe nunc fortuna ludificante. Et iam in noctem pugna protracta erat, cum Picininus frustra sæpius tentata palustris per locos uia, quod irrumpi intra munitiones, quæ amnis uada impediebant, nulla ui posset, circiter secundam noctis horam iussit, ab dextro atq; sinistro cornu, utranq; alam, qua maxime conferta hostium acies erat, irruere, tanto impetu, ut in uallum usq;, utroq; a' portæ latere penetrauerit. Qua facta ĩpressione, multi uallo exclusi capiũtur. In hac pugnæ atrocitate, tantoq; rerum discrimine Federici præsentia plurimum contulit. Nam uictus necessitate in equum se inferri cũ iussisset, laborantibus in tempore affuit. qua acies inclinabat, recentem militem summisit, hortatus pro loco ac tempore ut alij sensim cederent, quos in locum iniquum progressos intellegebat, alij obdensatis hastis, gladijsq; cuneo facto, confertum hostem repellerent. Agnouit Feltrensis miles imperatoris sui artes, atq; consilia, itaq; nunc sensim cedendo, nunc acri conatu propellendo effecit ne ingens ea nocte clades acciperetur. Repulsus a' uallo atq; a' porta Picininus in castra redijt, ignibus qui è fragmentis hastarum incensi sunt, lucem, facesq; ministrantibus. Mane ubi sol illuxit, magna hominum, maior equorum strages apparuit, fœda terræ facies, truncis, cruore, cadaueribus. Cernere erat in ipsis castris ferè strenuum quenq; tum peditem, tum equitem qui in pugna non cecidisset uulneratum, sauciorum gemitu tabernacula resonare, equos, uiros passim animam agere, alios cæso, aut capto amico dolere, alios aut sua, suorumq;, aut hostium fortiter facta referre. Erant qui imperatorem suum, qui hostium duces aliam ob causam aut laudarent, aut accusarent, nemo tamen qui non fessum se, atq; defatigatũ diceret. tantum præterita dies laboris, erumnarumq; attulerat. Igitur nocte insequente Federicus, Alexanderq; communicatis consilijs, ueriti ne hostis positis a' tergo castris, pabulationem, ac regressum prohiberet, magno silentio egressi, summa etiam diligentia adhibita, ne discessus hosti nuntiaretur a' perfugis, equis, qui grauius uulnerati erant, relictis, sarcinarumq; inutili honere, magno itinere, breui spatio confecto, trans Truentum, proxime Cryptas amaras se recipiunt. Quos eo die Picininus parum cum posset assequi, postridie ad Truentum peruenit, eo consilio, uti il-

los insequens in eam Piceni partem, quæ nunc Marchia dicitur, bellum transferret. Sed retractus à Caldoris, principibusq; alijs factionis Andegauiẽsis, metu Matthæi Capuani, et Alphõsi, Innicíq; Daualorũ, qui cum Enneco Geuara ad Amonis Vastum non exigua equitum manu æstiuabant, quorum ipsi præda futuri essent, in Theates paulo post regreditur. Reuerso confestim Francauilla, Bucclanicum, Villa magna, Lanciamum impellente Tuccio Ricio, cuius magna in eo populo authoritas erat, se se dedidere. Quibus deditis, Sarum trãsgressus (quod interea Enneccus cum fratribus in Campaniam adferendam Regi opem festinarat) omnem eam regionem paucis diebus cepit. Quæq; enim oppida, quiq; proceres, primatesq; in Ferẽtanis erãt, statim ad Picininũ nuntios de deditione misere. Arciũ præfecti post admota tormenta, cum de auxilio desperarent, paucis post diebus fidei Picinini se se permittunt. Quo facto, expugnatisq; magno labore plerisq; castellis, quæ in finibus Theatinorum erant, Matthæum intra urbem inclusit. Tũ restitutis oppidis Antonio, Caldorisq; alijs, quæ sub Alphonso Rege amiserant, ijsq; cum parte copiarum relictis qui darent operam, ne quæ incursiones à Matthæo fierent, ipse per fines Pelignorum in Marsos profectus est. In itinere. Sulmonenses, item Ioanna Celana, & Petrus Cantelmus, Populensis comes missis oratoribus ei se dedidere, ac paucis diebus Marsis, Pelignisq; uniuersis præter Tallacotium captis, aut deditis, nactus occasionem occupandi Tiburis, Romæq; potiundæ, Sabinorum fines ingressus, plurimis castellis direptis, Siluestrum Lucinium cum mille equitibus, peditibus sescentis præmisit qui Tibur prodentibus præsto esset. Verũ opera Iodarni Colũnæ Cardinalis irrito incepto redijt. Nam Iordanus quanquam aduersus Regem cum Picinino consenserat, maluit tamen Romano Pontifici fidem seruare. Igitur Siluester in Palumbariæ agrum digressus (nam Iacobus Sabellus Picinini partibus fauebat) Latium, propinquosq; urbi agros ita uastauit, uexauitq;, ut metu, terroreq; cuncta compleuerit, magna etiam pecunia, per speciem indutiarum, finitimis à populis comparata. Quæ res Pium Põtificem magnis diurnis, nocturnisq; itineribus (nam ea tempestate Senæ agebat) properare Romam compulit. Interea Franciscus Sfortia cum intellexisset parum prospere, ac pro antiqua gloria ab suis pugnatum, ueteri exercitu paucis diebus restituto, nouo etiam scripto, ac misso Donato, quem nouis copijs præfecerat, iussit utrunq; imperatorem cum omnibus copijs in Sabinam, ac Latium primo quoq;

tempore proficiſci. Qui iunctis ſimul exercitibus cum Antonio Picolhomineo, quem Pius copijs ſuis præfecerat, aduerſus Sabellum, ac Silueſtrum bellum gererent. Sed quod hyems iam appetebat, expugnatis aliquot caſtellis, mature in hyberna conceſſere, quod etiam ab hoſtibus factum eſt. Nam copijs diuiſis Picininus Silueſtrũ Palumbariæ, Ioannem Comitem, & Carolum Ballionem cum parte copiarum in Marſis collocauit, ipſe Hortonem profectus, reliquos in Marrucinis, Theatibusq́; diſtribuit. Quoniam autem ab ſapientibus traditum eſt uiris, nihil eodem ſtatu, quo eſt ortum permanere, quid mirum, rerũ, ac locorum nomina cum ætatibus ſimul immutari? Igitur ne ijs, qui uetera ſequuntur, noua quoq; ignota ſint nomina, placet quæ nunc ſunt, & quæ olim fuere appellationes regionum, in quibus à Picinino bellum hoc geſtum eſt, paucis deſcribere. Aprutium unde nomen ceperit, affirmare uix auſim, alij enim ab apris ductum putant, quod cum aſperrimi montes, ſilueſtriaq́; admodum in eo ſint loca, apris inde frequentibus abundet, alij, quod pars quædam eius Præcutinorũ quondam eſſet, corrupto nomine, pro præcutio Aprutiũ dictum uolunt. Sunt qui à locorum aſperitate deducant, factumq́; ex Aſprutio Aprutium uelint, idq́; nomen montanis primo locis inditum, poſt uero ab ijs qui Regum uectigalia exigerent, paulatim productum, plures ſimul regiones complexum eſſe. Siquidem Marſos continet, qui nunc in Tallacotienſes, Albenſes, Celanenſes, Aquilanos, Mareriosq́; diſtributi ſunt. etſi Sabinorũ hi quadam ex parte, quàm Marſorum olim magis fuere. Itemq́; Carpſeolanos, adhæc Piceni partem quæ à Truento Aternum uſq;, hinc Aquilanorum montibus, illinc Hadria continetur, Isq́; ager ab ijs, quæ in ea regione ſunt, oppidis nomen accepit, ut Teramanus, Hadrianus, Pinnenſisq́;. Nam quæ pars maxime ſeptentriones ſpectat, olimq́; Sabinorum fuit, ea nunc Mõtanea uocatur. Peligni cum in treis olim diuiſi eſſent partes, quæ in plano ſita eſt, eam incolæ Valuam nominant, in qua Sulmo eſt nobile, ac frequens oppidum, totiusq́; regionis emporium. Reliquæ partes duæ ob cœli inclementiam ignobiles factæ, deſertæq́; pene à cultoribus, pabulum æſtate pecudibus miniſtrant. Quod ab Aterno & Saro id eſt Piſcaria, & Sangro fluminibus, ac Maiella & Coctia montibus claditur. Hadriaq́; alluitur, in qua ſunt Horton, Lancianũ, ac Theate, olim Marrucinorum fuit, in quibus Theates præſtabant. Quod eſt à Saro Trifernũ uſq; Ferentani tenebãt. mons hodie quoq; Ferẽtus dicitur, Poſt quos ſunt Dauni. Ferẽtanorũ quondã celeberrimũ fuit oppidũ Iſtoniũ, nũc ẽ Vaſtũ ab Amone agnominatũ.

Est in eo tractu celebre oppidum Atissa. a Pelignis per Apenninum qua in meridiẽ uergit, Samnites, ac Campaniam pertingit, Vulturno flumine dirimente, qui agrum Venafranum ab Isernienſi diuidit. Hæc loca Samnites olim tenebant. Cæterum Aprutium uniuersum Regum præfecti in partis distribuunt duas. Nam quod ab Aterno ac Marsorum clauditur montibus, id ulterius Aprutium appellant, quod Marrucinos, Pelignos, Ferentanos, & partem Samnitium com plecti diximus, huic citeriori Aprutio nomen fecere, utrunq; Piscaria (ut dictum est) fluuio dirimente. Sed redeo unde digressus sum. Ferdinandus accepta Sarnensi clade cum se Neapolim recepisset, Pyrrhũ Baucium, Ennecum Geuaram, Inicum, & Alphonsum Daualos, qui nuntio cladis accepto statim se in Campaniam contulerant, cum equi tibus quadringentis, et aliquot peditum cohortibus, acerris, Robertum Vrsinum Auersæ cum præsidio imposuit. Ipse nunc Capuæ, nunc Neapoli agere, reliquias exercitus colligere, pecuniam quantam posset, publice, priuatim'q; congrere, equos, arma, tela undiq; cogere. Hoc tempore maxime cognitum est, ciuium beneuolentiam, diuitiasq; popularium, non eos, qui in ærarium illati essent, Regum thesauros esse. Nanq; eques, mercator, opifex, nobilis, ignobilis, inquilinus, etiam sacerdos certatim Regi pecuniam maxima pars sponte, pauci rogati offerre, atque elargiri, alij bellatorem equum, alij mulum clitellarium. erant qui thoraces, loricas, arma, tela, hastas, qui pannos uestiendis militibus, qui coria loricandis equis, telas faciendis tabernaculis, nullum denique rerum genus omitti, quod reficiendis copijs, atque instruendis militibus conduceret. Isabella Regina nunc in templis, nunc publicis in locis se se ciuibus ostendere, præferre paruos liberos, Alphonsi nepotes dicere, qui de populo Neapolitano tantopere esset bene meritus, ciues eos esse Neapolitanos, Italica generis, apud ipsos genitos, altos, educatos, non Gallicam præferre insolẽtiam, non peregrinos mores in urbem illaturos, cum ipsorum liberis, ac nepotibus ætatem acturos, cum ijs diuitias, honores, magistratus distributim partituros, cum ijs pueritiam, cum ijs adolescentiam, cum eisdem quoq; senectutem exacturos, regias opes, regni administrationem in eorum arbitrio ac manu futuram. Se uero quid nam aliud curaturam, q̃ ut publice, priuatim'q; Neapolitani populi patrocinium gerere uideretur? Hæc dicendo lentos excitabat, excitatos impellebat, impulsos confirmabat, Ipsa magna, & excellens habebatur, De qua quoniam res admonet, pauca dicam. Isabellæ pater fuit Tristanus Comes Cupertinensis, ex Claromontia familia, quæ in

Gallia ulteriore

Gallia ulteriore habita est nobilissima. mater Catarina Ioannis Antonij Tarentini qui bellum hoc excitauit, utroq; e parente soror. Patre mortuo Ioannes Antonius eam, quæ minima natu erat, cum qua tuor sororibus Lipij in Salentinis habuit, atq; educauit. Post collocatas autem sorores, & Alphonsi uictoriam, auunculi opera, Alphonso etiam cupiente, Ferdinando nuptui tradita est, quem pater in regno Neapolitano hæredem instituerat. Ipsa statim à primis annis mirum pudicitiæ ac continentiæ studium præ se tulit, domi parca, nõ tamen alieni appetens, formæ quantum dignitas posceret studiosa, religioni non sine superstitione dedita, facilis aditu, in responsis libera, magis quàm aspera, magno animo, magno consilio, constans in aduersis, lenis in prosperis, populari eloquentia, quæq; nihil fictum, aut compositum præ se ferret, iusti, atq; honesti etiam ad contentionem colens. Quo minus autem gratitudinem exercere, atq; liberalitatem posset, mors prohibuit, Bello enim finito, rebus tamen regni non dum planè compositis, Neapoli diem obijt, cum sex iam liberos enixa esset. Mors eius uulgo molesta, quod uitam longe utilissimam omnes præsertim boni arbitrabantur. Igitur Rex aliquot turmis equitum restitutis, militibus etiam è classe accitis, circiter idus Octobris Capuam mouit, ac direptis Formiculis, finitimisq; aliquot castellis in deditionem acceptis, aduersus Comitem Cerretanum profectus, confestim eum ad deditionem compulit, Carolo maiore natu è filijs obside accepto. Inde à Terrecusanis arcessitus, die uno uniuersa Caudinorum castella recepit, arce Aerolæ in quam mortales multi confugerant, circũsessa, et Alphonso Daualo cum præsidio illic relicto, qui obsidioni præesset, repenteq; aduersus Franciscum Comitem Casertanum profectus, Ducentam diripit, Mundianum incendit, Vallem ad deditionem cogit, ac paulo post Francisco dedito, Pomlianoq; recepto, Argentium circunsedit, quo minus autem Rex oppido per uim potiretur, tempestates prohibuere. Nam cum bruma iam appeteret, increbuere tempestates adeo, ut pleraq; tabernacula discinderentur, aut torrentibus correpta haurirentur, quæ è finitimis deuoluebãtur montibus, eqs, uirisq; simul immersis, demũ corruptis omnibus, militaria etiam tuguria, quæ pro tempore stramentis constructa fuerant, passim natabant. fœdi dies, noctes longe fœdiores erant. Quod sentiens Matthæus Extendardus, cum etiam speraret Vrsum, quem Tarentinus Campania decedens, quadringentis cum equitibus Nolæ reliquerat, comparatis auxilijs, subsidio uenturum, deditionem differebat. Tandem cognita Regis constantia, militumq; pertinacibus animis, Ferdinandi se fidei permisit. Quod idem paucis

post diebus Iacobus Galeota qui Harpadium cum præsidio tenebat, secutus est. Nam & Iacobus quoq; ad Andegauiensem defecerat, post rem in Brutijs aduersus tumultuanteis bene gestam. Interim qui in Aërolæ arce circunsessi premebantur, cum se undiq; circumuallatos intellegerent, et spe annonaq; deficerentur, ne quicquam ab Vrso sub uentione tentata, & iam Rex cum omnibus adesset copijs, pacti corporum incolumitatem arcem tradidere. Qua tradita Ferdinandus, quod cœli fœda uis ferri ultra nequiret, in Montifusculi uicos ibidem hibernaturus concessit. Nam Tarentinus, Ioannesq; Lucanis, ac Campania relicta, in Hirpinos primo Iesualdum, post Vallatam, Charifrasq;, inde in Apuliam, finitimaq; in loca discesserant. Satis enim constat Tarentinum cum uideret Ferdinandi res prostratas, Gallumq; sibi præfidentem, mutato consilio, rebus suis ita consuluisse, uti relicta Campania, Ferdinandum penè cicunsessum ad erumpendũ inuitauerit, clàm etiam missis ad Isabellam nuntijs, qui bonum eam habere animum iuberent, Regemq; confirmarent, quippe cum ab ijs, qui Ioãnis res solum spectarent, de se capiendo consilium initum aut sensisset, aut propter metum qui ei summus inerat, suspicatus esset. Per eosdem dies, ac post labefactos admodum Argentij muros, Robertus Sanseuerinius, Comes Calatinus, quem Franciscus è Gallia citeriore propter singularem uirtutem ac rei militaris disciplinam cum exercitu miserat, è portu Formiano soluens ad Regem cum paucis uenit, cuius aduentus non gratus modo, uerum etiam expectatus Regi fuit, tum quia uir bellicosus & acer, atq; in uictorijs enutritus, tum quod Francisci sororis cum esset filius, magnam popularibus spem, maiores Regi spiritus excitauit. Huic è naui descẽdẽti præsto ad litus Rex fuit, declarauitq;, quo suæ, quo hostium res in statu essent. quid illum agere uellet, quid ipse pararet cuncta simul aperuit, & primo quoq; tempore, ut equite in nauibus imposito, exercitum omnem è Formiano, ac Fundano in Baianum traduceret, ac Puteolanum agrum hortatus est. Hæc duobus fermè annis gesta.

FINIS

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER SECVNDVS.

Nitio insequentis anni, qui fuit millesimus quadringentesimus sexagesimus primus à Christi natali die annus, Robertus Sanseuerinius, quod in partis Andegauienseis, desperatis Ferdinandi rebus, inuitus declinasset, aspirante iam regijs rebus fortuna, cum de se Regi conciliando consilium cepisset, clàm ad illum misit, qui reditum eius in Campaniam inuitaret. Itaq; Rex circiter Idus Ianuarij ex hybernis mouens in agrũ Vesuuinũ magna cum parte copiarũ proficiscitur, Nec multis post diebus Robertus ad eum uenit, ubi communibus de rebus cũ diutius consultassent, tandem placuit uti ille cum Roberto Vrsino, & parte exercitus Cossentiã maturaret, ad ferendũ arci auxilium, quæ in dies arctius premebatur. Hi mature necessarijs ad expeditionem cõparatis, paucis diebus magno itinere confecto, pluribus interim castellis captis, aut deditis, Campanianum cũ ad flumen peruenissent, nõ longius duobus millibus passuum à Cossentia, ibi instructo exercitu, tantisper in acie stetere, donec præmissa turma equitum de aduentu suo Franciscum Siscarẽ arcis præfectum certiorẽ fecere, qui septem iã mẽses inclusus tenebatur. Inde ad Castellum Francum profecti partim intra oppidum, partim sub moenia consedere. Quo tempore Lucas etiam Sanseuerinius affuit tribus cum peditum millibus, equitibusq; sescentis, Roberti uoluntatem secutus. Hi consilijs prius communicatis, iusserunt milites corpora curare. Postridie autem albescente coelo iussis militibus se ad pugnam parare instructo agmine Cossentiam petunt. Est ante urbem propter Bissentũ flumen locus, cui nomẽ est, ad Reuocatos, forum rerũ uenaliũ. Huc postq̃ duces cũ exercitu peruenere, inito simul cõsilio, cohortati milites, ut se prædę magis q̃ pugnæ accingerent, decreuerũt montẽ occupare, q arci ab occasu aduersus est. Is mons magna manu à Nicolao Antonio Caruleo tenebatur. Nanq; hostes de aduentu Robertorum edocti, coacta manu septem millium peditum è propinquis oppidis, montem occupauerant. Equites magno impetu facto, peditem è monte facile deijciunt, qui pugnæ parum assuetus ubi equitem confertis ordinibus inferri uidit, pars abiectis armis, fuga sibi consulit, alij dũ hortante Caruleio certamem ineunt, irruente equite aut capiũtur, aut uulnerãtur, nec multo post uniuersi in fugã uersi montẽ liberum

equitibus relinquunt. Quócirca duces uictoria ac celeritate freti, ne
quod ciuibus tempus ad proſpiciendum relinquerent., ſtatim è monte
deſcendunt. Siſcar arcis præfectus præmiſſis, qui rem certius explora
rent (uerebatur enim ne fraude peteretur) ubi ſuperata conualle ue
nire ad ſe copias inſtructas uidit, & utrunq; ducem, ſigna, militemq́;
cognouit, cohortatus uti rem impigre gererent, intra arcem eos accipit.
Tum Robertus Vrſinus quo ſpe, animiſq́; militem impleret, quod etiã
» celeritatis præſidio utendum intellegebat. Milites inquit in urbe uobis
» prandendum eſt. Macti uirtute eſtote, uallum mecum reſcindite. Quo
dicto accenſus miles, alius uallum reſcindit, alius aggerẽ diruit, pars
cominus pugnans munitionem peruadit. Qui pro munitionibus pu-
gnabant, uix prima impreſſione ſuſtentata, proiectis armis ſe ſe fu-
gæ mandant, qbus immyxtus pedes decliuem perlocum nullo ultra
obſiſtente, urbem ingreditur. At ciues repentina re attoniti non obuiã
ire hoſti, non arma capere, non obiectis repagulis urbis uias obſidere,
alius domo ſe ſe includere, alius militi manum dare, pleriq; in tem-
pla confugere, mulieres, impuberes, ſenes clamore, lamentatione, heiu
latu cœlum implebant. Militum irruptionibus, portarum clauſtro-
rumq́; fragore tecta, uiæq́; reſonabant. Interea Vrſinus urbis porta
ſecuribus effracta, equitatum immiſit. Hic uero tota urbe peruagatus
miles, quod tunc omnino capta urbs uideretur, nihil reliqui facere, nõ
profanis, non ſacris parcere, pro cuiusq; ira, ac libidine res geri, ra-
pi uirgines, matres ſpoliari, pueros è parentum complexu diuelli, lu-
ctu, ac miſeratione ciuiũ nõ domus, nõ uiæ, nõ tẽpla uacua eẽ, oĩa de
mum acerba, fœda, crudelia in uictos fieri. Interdum uictores ipſi,
dum alius alij prædæ cupiditate uim infert, arma in ſe conuertunt.
adeo miſerabilis facies direptionis erat. Capta igitur ac direpta urbe,
cum fœdæ etiam tempeſtates accidiſſent, diebus aliquot militi ad quie
tem conceſſis, de communi ducum ſententia, placuit, productis ex ur-
be copijs, magno prius in arcem commeatu conuecto, finitima loca ten-
tare. Itaq; magna cum fidutia, maiore hoſtium metu Coſſentia egreſ-
ſis Silanum ſtatim deditur, inde Martoranum, ac Neocaſtrum. Nam
Centilia, Franciſcusq́; Neocaſtrenſis Comes diffiſi mœnibus Maidam
conceſſerant. Neq; ita multo poſt Biſinianum per uim captum. Quæ
res regionem uniuerſam longe maiore formidine impleuit. Oppido
enim in editis, ac præruptis locis ſito, habitatoribus frequenti, quo in-
ermi uix militi patere acceſſus exiſtimaretur, primo impetu expugna
to, nihil ijs ducibus, nihil tali militi inuiũ, atq; inacceſſum fore metus
perſuadebat, nec aberat quin breui maximam regionis partem in Re-

gis ditionem redigerent. Quod ſentiens Tarentinus confeſtim Iacobū Picininum è Marrucinis arceſſit, qui Roberti agros, oppidáq;, quæ in Lucanis eſſent, uaſtaret. Itaq; per Samnites profectus Picininus Montem aureum admotis æneis tormentis primum expugnauit. dein Caluanicum dolo, magis quàm uirtute captum diripit, parua etiam aliquot caſtella, uicoſq; plurimos populatur. ferro igniq; qua iret, cuncta uaſtat corrumpitq;. ſuos ingenti præda, hoſtes metu ac pauore plurimo afficit, Vt nec Rex, licet miſſo ſatis cum ualida manu Roberto Calatino, eius cohibere impetus poſſet, & Sanſeuerinus incœpto deſiſtere cogeretur. Cæterum ille inito cum Vrſino conſilio, quo regreſſus eſſet eorum formidoloſior, & hoſtem lateret, ſuperatis Brutiorum ſaltibus in Apuliam declinauit, magnáq; celeritate uſus Iuuenatium à Tarentino pluresis iam menſes circunſeſſum, atq; ad ultimam neceſſitudinem redactum, comportato frumento fame, atq; obſidione liberauit. Id oppidum tempeſtate noſtra ſatis celebre, atq; habitatoribus frequēs eſt, atq;, ut quidam arbitrantur, Egnatiolum initio dictum, quod fortaſſe diruta Egnatia celebri quondam urbe, in ea maris ora ſita, qui ea è clade ſuperfuerant, ibidem conſedere. Nam et à Baro, quæ nūc quoq; celebris urbs eſt, ac regionis eius caput, Barolum in eadem ora ſitam urbem, duxiſſe nomen opinantur. Veri tamen eſt ſimile, loca illa maritima, quo tempore mediterranea à Langobardis primo, poſt uero à Normannis tenebantur, propter aſſidua bella quæ aduerſus eos Conſtantinopolitanis ab Imperatoribus gerebantur, mirum in modum celebrata, maritimiſq; aucta comportationibus, increbruiſſe cultoribus, ac ciuibus. Cæterum ueritas ipſa apud eos, qui harum rerum ſtudioſi ſunt, ſuum teneat locum. Igitur oppidum ipſum quanquam mare liberum, ac patens habet, tamen eò ne comportari frumentum nauibus poſſet, à Tarentino omni arte curabatur. Nam finitima continentis oppida cum ei parerent, eò rem perduxerat, uti corruptis, quæ in agris erant, omnibus, prohibitiſq; rerum comportationibus, uix ciuibus paucorum dierum cibaria ſupereſſent. Robertorum aduentus, ut Iuuenatienſibus perneceſſarius, ſic Tranenſibus, Barolitaniſq; maxime gratus, atq; acceptus fuit, cum uiderent regias res paulatim reſpirare, uagariq; per Apuliam Ferdinandi copias, atq; eo magis, quod pluresis iam menſes occupatis ab hoſte undiq; finitimis oppidis atq; itineribus uix nuntius ad eos regijs de rebus perueniſſet, famáq; omnia aduerſa diuulgarat. Roberti, confirmatis ciuiū animis, cōmunicatiſq; cum Franciſco Baucio conſilijs, qui Andriæ Dux præerat, Canuſium primo, dein Venuſiam profecti, ubi cum Maſio Barreſa, urbis præfe-

cto, quæ de communi sententia uisa sunt, composuere, paucis diebus in Lucanos, indeq; in Campaniam peruenere. Quorum aduentu cognito Picininus & ipse distributis copijs se se in Apuliam ad Tarentinum recipit, adducta secum Neapolitana Lucretia, cui ea maxime fidebat. Hæc est illa Lucretia, cuius per orbem terrarum amores fuere quàm notissimi, Eam Alphonsus adamatam propter formæ, qua præstabat, excellentiam suauissimus etiam puellæ illecebris senex ipse delinitus, diuitijs, opibus, authoritateq; ita extulerat, ut pleriq; arbitrarentur, si Maria uita excessisset, legitimæ uxoris eam loco habiturum. Alphonso mortuo Lucretia in arcem se se Vesuinam cum thesauris contulerat. quibus cum timeret, quod Ferdinandum bellis exhaustum intellegeret, adduci nunquam potuit, uti eius se fidei crederet, quin etiam clàm cum hoste consentiens, parum amica consilia agitabat animo, metu, atq; ambitione præceps. Interea appetente iam uere Pius Pontifex Maximus Antonium sororis suæ filium, mille cum equitibus, ac peditibus quingentis maturare ad Regem iubet. Præerat ijs Ioannes Comes, uir impiger, & strenuus, atq; in rebus bellicis maxime exercitatus, quem nuper magnis stipendijs, maioribus pollicitis Pontifex à Picinino distraxerat. Hic saltu Menianensi impigre occupato, ac rescisso aggere, ad Regem, qui per id tempus Capuæ agebat, peruenit, confestimq; eductis ex urbe machinis, ac tormentis æneis, Castellum, quod est ad Vulturni ripam, qua mare illabitur, oppugnare adortus est, quod cum à Marino Martiano impositis teneretur præsidijs, miles ipse præsidiaris campos Leborios, omnemq; Campaniam, quæ cis Vulturnum esset, populationibus infestabat. Oppidani, quiq; in præsidio erant, diffisi mœnibus, paucos postquam oppugnari cœptum est dies, deditionem fecere. Inde Antonius, Ioannesq; Scafatum profecti, castellum aggrediuntur. Cum autem oppugnatio ipsa difficilior esset, quod castellum in insula positum Sarno flumine cingitur, turrim quatere duabus è regione bombardis incipiunt. Ea quanquam maxima crassitudine, biduo tamen continenter quassata, ruinam facere cum cœpisset, pontem ab ea parte comportata materia extruunt, quo strato per ruinam turris milites ingressi castello potirentur. Quod ueriti castellani se se Antonio dedidere. Per idem tempus Marcus Antonius Torellus, et Petrus Paulus Aquilanus, alter cum equitum turmis sex, alter cum duabus à Francisco missi iunctis cum Matthæo Capuano copijs, pleraq; oppida, quæ in Pelignis, Marrucinis, Ferentanis, Prætutinisq; æstate superiore ad picininũ defecerant, facile recuperauere ciuiũ animis in Regem inclinantibus. Quæ res Picininũ ex Apulia

statim reuocauit. Nam longa naui è Manfredonia Turinum, mox Hortonem delatus, audita obsidione Loretanæ arcis, quam Matthæus recuperato oppido acriter oppugnabat, lectis cum peditibus Moscosum proficiscitur, ubi equites, quos diuersis è locis arcessebat, expectare decreuerat. Scafato dedito Ferdinandus iunctis simul cum Antonio copijs è Campania mouit, eo consilio, ut in Apuliam profectus segetes, quæ maturæ in agris essent, corrumperet. Paucis tamen diebus in oppugnando Monte Forti frustra consumptis, per Samnium iter faciens, aliquot etiam castellis in itinere receptis, cum ad Apenninum peruenisset, sub Sabinianum consedit. inde superato monte, cui nunc Crepicorio nomen est, in Apuliam descendit, positisq; ad Troiam castris, finitimos inde agros pluribus diebus uastauit. Erat autem uastandi genus duplex, quod quæ minus maturæ erant segetes ad equorum pabulum, quæ iam maturæ ad usum hominum secabantur. Cum enim rei frumentariæ laboraretur inopia, nullaq; esset panis in castris copia, triticum ahenis excoquebatur, in cibum tũ peditum, tum equitum. Cumq; mortales permulti montanis ex oppidis, et in ijs mercatores penuria frumenti ac lucri gratia uenirent in castra, ad frumentationis famam, inde miles uastationi factus est intentior ob lucrum, ac laboris pretium. Itaq; castra ipsa ad mercaturam penè conuersa, horreum quasi quoddam ea æstate præbuere finitimis. Extitit autem ipsis solstitij diebus frigoris tam atrox uis, ut necesse fuerit uineta concidi, ac frugiferam quanq; arborem, ad ignis castrensis usum, res sanè rara, atq; annotatu digna, propter temporis, ac regionis illius naturam. Vastatis igitur Troiæ subiectis campis, Rex inde mouens, sub Vulturinum consedit, simul euastatione in agro Lucerino usurus. Quo tempore aliquot etiam castella, quæ ad radices montium, quæq; in ipsis sunt iugis posita, deditionem fecere. Quo minus autem Luceria tentata fuerit, Ioannis præsentia obstitit, qui satis magna equtum, ac peditum manu urbem tuebatur. Qua è re leuia quotidie prælia diuersis locis committebantur. Adhæc Estensis Hercules, qui Fogiæ cum præsidio præerat discursanteis regios à liberis populationibus prohibebat. Inde Rex Sanctum Seuerium petens, oppidum insequẽti die recipit. Oppido enim egressus Nicolaus Rosa, cuius propter opulẽtiam magna inter populareis erat authoritas, impetrata uenia, seq; et oppidũ Regi dedidit, quod tñ diutius in fide haud pmãsit. Dein Rex ad Turrim, quæ Dragonaria dicitur, motis castris tentauit Carolum Sãgriũ, sub cuius ditiõe finitima erãt castella, ad deditionẽ pellicere,

profectusq́; ad Turrim maiorem, alloquendi illius gratia, irrito in-
de incœpto redijt, Quippe cum soluto statim colloquio, Carolus Lu-
ceriam ad Ioannem profectus, Regem ludibrio habuerit, arbitratum
facile illum ad se traducturũ. Nã Ferdinandus quod Honorati Fũ
dani, fidelissimi sibi reguli Carolus gener esset, per illius hoĩes, quos
ea de causa ad se acciuerat, moturum se adolescentis animum ratus, mul
tis, ac magis eum promissis per eosdem honorauerat. Sed ille quan-
quam adolescens, astu tamen instructus, atq; consilij dubius in initio
subblãditus est Regi, dum hac ratione dies plureis tereret, quibus præ
teritis, Regem intellegeret siti, atq; ardoribus exagitatum, suis è fini-
bus cum exercitu discessurum. Hac deceptus spe Rex, frustráq; ab ado
lescente habitus, Rhodum, quod est oppidum ad mare situm, uniuerso
cum exercitu proficiscitur, uastissimam per planitiem, ac cultoribus ua
cuam, & arborum, atq; aquarum indigam. Itaq; canes, equos, iumen
ta cernere erat passim æstu exanimata cadere, pueros armigeros ex
equis repente delabi, pedites, equites itinere, calore, siti, agmen deniq;
uniuersum uiribus iam defici. Cum iam ad aquas peruentum est sal
sas, ibi uero aquarum ipse aspectus, & fontium species blanda (nã
quo salsior est, eo apparet aqua limpidior, ac magis lucida) qui pri-
mi agmen præibant, eos repente gaudio, lætitiáq; affecit. Itaq; testari
acclamationibus lætitiam cum cœpissent, & inuenta flumina, fon-
teisq́; compertos significare, redditusq́; inde ab insequentibus clamor
cum esset, uniuersum agmen ad maturandum excitauit, erexitq́; lã-
guentium animos. Aut ubi gustati cupide initio fontes salsi apparue-
re, repente ibi è gaudio tristitia exorta est. Castra tamen haud longe
posita in campis, locisq́; hortensibus, sub Caprinum castellum, quod
propinquum cum esset, statim se se dedidit, solicitantibus qui è Mar-
rarum familia in castris erant, cuius familiæ proxima castella an
tiqua sub ditione fuerant. Approperata à castellanis, uolentibus qui-
dem animis, pro ea quæ illic erat copia, uina, panis, aliáq; cibaria,
atq; è uestigio in castra perlata, itinere atq; æstu confectos milites ali-
quantum refecere, præsertimq́; hortensia, quorũ non exigua in agris
reperta est copia, quippe cum maturi, immaturiq́;, ac crudi pariter, ac
mites, fœtus promiscue absumpti. Processum inde mitiora in loca, ca-
stráq; secundum Pantanum statuta. Rhodo igitur recepto ac præter
Vestas, castellis omnibus, quæ in ea Gargani parte constituta sunt, re-
fectóq; paucis diebus exercitu, noctu maximo itinere cõfecto, mane sub
Montem Sancti Angeli, quod oppidum summo è iugo in quo est po-
situm, æquinoctiali ab exortu pelagus, à meridie subiectos Apuliæ

despectat campos, Vriosq; eos montes ab antiquis dictos non temere
quidam pertendunt, in ijsq; Veneris celeberrimum fuisse quondam tē
plum, uniuerso cum exercitu Rex improuisus apparuit. Cuius repen=
tino aduentu, eo atrocius consternati sunt ciuium animi, quod maxime
tutos sese antea arbitrati essent, montium asperitate, aquarumq; ino-
pia, ac pabuli. Tentatis igitur oppidanis, quo minus se se dederent, ob=
stitit præsidium à Ioanne missum. Itaq; paratis ad oppugnandum
necessarijs, tertio Rex die, qua parte neq; fossæ ab oppugnatione disti
nebant, neq; rupes ab ingressu deterrebant militem, dispositis circum
balistarijs, sclopetarijsq;, quorum magnus erat in castris numerus,
acri oppidum prælio adortus, uulneratis, aut cæsis maxima è parte
defensoribus, cum tribus circiter horis pro muris pugnatum esset, com=
minutis, ac deiectis nō semel scalis, instaurata sæpius pugna, cohortan
tibusq; subinde ducibus, eiectis è muro propugnatoribus paucorum
pertinacia, uno simul tempore pluribus locis miles irrupit, perq; humi
liorem turrim facto aditu peditum pars maxima, ac gregariorum im
missa est manus, moxq; effractis portis omnis multitudo ingressa.
Paucis in ipso ingressu è præsidiaribus cæsis, reliqui in arcem se se re
cepere. Direptioni huius facies multo maxime miserabilis fuit, irrita=
tis militum animis pugnæ ardore, ac multitudine omni simul irrum=
pente, spe prædæ incita. Nam quod oppidum ipsum frequens, atq; opu
lentum esset, quodq; propter situm maxime securum, atq; ab hoste tu-
tum existimabatur, peruulgatum erat, è finitimis urbibus, præsertim
Manfredonia, locupletissimos quosq; ciues clanculum à se comporta=
tos illuc thesauros amicis, aut templorum sacerdotibus commendasse.
Itaq; non sacra, non prophana ab ui, iniuriaq; tuta erant, dum occul
tos thesauros miles exquirit. In uiros ac mulieres sæuissima supplicio=
rum edebantur exempla, maximeq; sacris in ædibus sæuitum. Itaq;
sepulchra eruta, spoliata donaria, direpti loculi uenerabilium reliqa
rum, aræ etiam sanguine fœdatæ, ac polluta adyta. Quodq; mulie=
res, atq; imbecillior sexus eò confugerant, quisq; pro libine trahere,
uerberare, cædere, infantes à matrum complexu diuellere, ac solo ster
nere, rapere pueros, uiolare uirgines, nec deesse qui fœminarum pu=
dendas partes insertis digitis contrectarent, dum gemmas, unionesq;,
aut pretiosum aliquid putant illic abditum. In ipsos quoq; tribunos,
ac duces tumultuatum, dum parci imbecillo sexui, ac sacris imperāt.
Rex Michaelis Angeli templum statim ingressus, claudi illud iubet,
demandata fidelibus uiris custodia, in quo præter ciuium priuatam
pecuniam æditumis commendatam, auri, atque argenti sacri magna

uis reperta, eaq; Regis iussu à scribis notata, atq; à quæstoribus, in castra, atq; in ærarium relata est. Quam tamen omnem parta post uictoria (sic enim conceptis iurauerat uerbis) referendam in templum summa diligentia curauit, singuláq; restituta sunt, atq; à bonis refecta artificibus, in ea, qua fuerant, antequam in numos conflarentur, forma. Nec uero alienum fuerit (quoniam in templi mentionem maxime augusti incidimus, ad cuius antrum ab ultimis terrarum finibus annis singulis plurimi mortales soluendis uotis accedunt) de eius initijs, quæq; ab antiquis authoribus habeo comperta, pauca pro meo instituto referre. Est natiua specus durissimo è saxo, in quam multis gradibus, cæterum non lato admodum aditu descenditur, specularibus quibusdam lumen præbentibus. Vestit eam parte superiore, qua natiua ipsa quidem ac perrimosa testudo est, è quercu, uasta proceritate lucus, muris tamen circundatus, pecori ne qua pateat ingressus. Ante uero quàm descendere in antrum incipias, ædificia extant manu facta elaborato è lapide. Vbi uero antrum in imum descenderis, qua specus diffunditur, mira animũ religio subit, loco ipso sub obscuro, & horrido, soláq; natura constituto. Admonent religionis tabellæ, uotáq; passim suspensa, titulos indicantia. Vbi uero aræ admotus ad numinis procumbes statuam, loco solo, & ab hominum accessu semoto, repente inhorrescit tacito metu animus, atq; in diuinarum tantum rerum cogitationem uersus, in preces, suppliciáq; effunditur. Augent uenerationem aliæ item aræ, nullo sumptu, nullo artificio factæ, quibus natura ipsa uidetur locum statuisse. Cur autem Michaeli potissimum dedicata specus fuerit, hæc à maioribus tradita comperior, annos quidem supra non ingentos, atq; amplius repetita, qua quidem tempestate Heruli, Goti, barbaræq; aliæ quædam gentes per Italiam bacchabantur. Garganum quendam, ciuem Sipontinum cuius prægrande armentum Gargano pasceretur in monte, à quo & ille nomen duxisset, cum armentalem taurum, qui oberrauerat, per syluas suis cum pastoribus quæritaret, inuentum tandẽ eum ad eius, de qua dictum est, speluncæ hostium pascentem animaduertisse, itaque ira percitum, contento arcu, summus in illum uiribus sagittam emisisse, eamq; ubi tauri tergus attigisset, retro flexam è uestigio, recuruatáq; spiculi acie sagittatorem petysse. Quæ res inter pastores in religionem, cum esset uersa, tum Garganum rem hanc sacerdoti expositurum, Laurentium adysse, probatissimæ uitæ antistitem, ibi illum re cognita, factiq; admiratione ductum, dierum trium ieiunio indicto,

multis etiam adhibitis precibus Deum esse consulendum, Gargano respondisse. Itaq; absoluto ieiunio, re sacra rite facta, noctu dormēti Laurentio astitisse Michaelem Angelorum principem admonentem his uerbis. Mea opera, ac Dei iussu factum Laurenti, qui taurum indicem esse uoluerim basilicæ huius, quam mihi ad inhabitandū cum hominibus in terris paraui. hæc mea est basilica, meum hoc sacrariū apud mortales futurum. Enuntia hæc ciuibus, ut monente me, parte intellegant ea in spelunca, ijs in adytis aboliturum esse me mortaliū peccata, qui ad eam confugerint. Quo accepto oraculo, antistes somno excitus, ubi Deo gratias egisset, re populo indicata, summa ciuium cum frequentia uenerabundus, indictis supplicationibus, pontificis habitu amictus, ascenso monte ad speluncam procedit, sacraq; ibidem peracta re, non tamen ut ingredi antrum ausus esset quisquam, multis cum precibus, decantatis rite diuinis laudibus, Deo gratias egit, nomenq; Michaelis per omnes laudes celebratum. Riteq; rebus his peractis Sipontum redijt, magna ciuium lætitia, ingentiq; urbis uniuersæ gaudio. Nec uero multis post diebus, Neapolitanorum exercitus, quorum opes profligatis Beneuentanorum rebus abunde tum pollentes erant, Sipontum obsedit. Igitur solicito de populo suo antistiti, post indictum dierum trium ieiuniū, quo triduo fuerant etiam induciæ ab hoste impetratæ, astitit rursus dormienti Michael, admonēs, & pie, & rite factum, quod per ieiunium, ac preces à Deo auxiliū implorasset, Michaelem se Angelorum principē iussu Dei illa dicere, imperareq; uti insequenti die de quarta hora populus uniuersus arma caperet, in hostemq; repente irrueret, se ipsum armatum in acie ciuibus affuturum. Hæc igitur populo tuo experrectus dissere, ac bono animo esse iube. Hora igitur dicta, armatus atq; ad pugnam instructus ciuis hostem negligentius agentem improuisus inuadit, fundit, fugat, ualidis adeo repente exortis procellis, summoq; è montis iugo prorumpentibus terrifico impetu fulminibus, uti maxime fœda tempestatis ui, ac fulgurum sescenti ex hoste exanimati referantur. Fugatis igitur, ac cæsis hostibus, sacris Deo Optimo Maximo, ac Michaeli rite factis, cum antistes decreuisset speluncam ipsam (uti moris est, Christianiq; ritus) dedicare, Gelasiumq; Pontificem Maximum, per id tempus Soracte agentem de ea dedicatione consuluisset, Astitit illi tertio Michael inquiens, Mihi egomet nulla adhibita hominum aut arte, aut opera uacuum feci hoc saxum, mihi egomet desertum humano cultu montem dextra hac subegi. mea ego in lapide hoc uestigia infixi. mihi ego ipsemet ædem

» hanc ſtatui. ſacrariũ feci. baſilicam dedicaui. Quæcunq; igitur ab hac
» æde, baſilica, ſacrario humana dedicatio abſit, ritus'q; oîs abeſto huma
» nus. Michael ego ſum, q̃ hoc excauato ſaxo, hoc antro, hoc habitaculo,
» his aſſidue manantibus ſtillis abluturus ſum, ac deleturus, meam ad
» aram confugientium mortalium errata. Age expergiſcitor ſacerdos, ci
» uibus'q; hæc tuis diſſerito, cum'q; ijs ſimul rem diuinam illic facito, me'q;
» adeſſe antro meo, ſacrario meo, meæ'q; baſilicæ, tu'q; populus'q; tu-
» us, mortales denique omnes placatum, atque propitium ſciunto. Inde
» igitur Angelo antrum Michaeli dedicatum. Spoliando templo Regem (etſi ærarij premebatur anguſtijs) magis tamen illud compulit, quod compertum haberet Ioannem poſt ſuum ſtatim ipſius diſceſſum cuncta direpturum. Nam & ille grauiore etiam rei pecuniariæ laborabat inopia, & ipſe decreuerat urbem habitatoribus uacuam, ac ſine ullo præſidio relinquere. Nam & arx à Ioãne tenebatur, nec prohiberi poterat quo minus quotidiana præſidia noctu præſertim immĩterentur. Adhæc fama erat Picininum aduentare, à Ioanne pariter Tarentino'q; arceſſitum. Itaq; ne illic includeretur ueritus, deſcendere quàm primum è monte ſtatuit, cum præſertim exercitus præda omnis generis eſſet honuſtus, prætérita'q; Manfredonia, quæ præſidio tenebatur, caſtris ad Sipontum poſitis, præda'q; uniuerſa tutum in locum comportata, quietem militi, atq; iumentis dedit. Quo tempore ingentis multitudinis armentali præda male cuſtodita, atq; ab latronibus noctu abacta, inſequenti die, maxima è parte eques, qui Fogiæ erat, ea potitus eſt. Cum autem ab Siponto diruta, et ſolo æquata urbe, duplex eſſet uia, altera per Fogienſiũ, aut Aſculanorum fines reuertendi in Hirpinos, aut Samnium, altera per oram maritimam Barolum, ac Tranum petendi, dum hæc partem in utranq; agitantur, falſo nuntiatur, quod poſt cognitum eſt conſediſſe Picininum in Lucerinorum finibus, ac tantum non cum Ioanne, & Hercule, qui Fogiæ præſidebat, iunctis ſimul copijs adeſſe. Itaq; communi ducum ſententia decernitur Barolum petendum, motis'q; intempeſta nocte caſtris, per oram maritimam, propè Aufidum metatus eſt Rex. Die quæ inſecuta eſt, caſtra trans amnem ueteres ad Cannas poſita, inſignem clade quondam Romana uicum, nũc habitatoribus omnino uacuum, inde præda eſt omnis Barolum perlata. Quo è loco paucos poſt dies cum tranſire in Samnium decreuiſſet, & iam ſub auroram aliquantum ſpatij Canuſium uerſus profectus eſſet cum uniuerſis copijs, renuntiatur ab exploratoribus, ac leuis armaturæ equitibus, qui agmen præcedebant, hoſtem inſtructum, para-

tum'q; ſtare

tumq; stare in acie: quo ex improuiso agmen adoriatur subsarcinis
impeditum. Hoc nuntio accepto Rex magno silentio retro uertere
agmen iubet, maximeq; repentinus, atq; inexpectatus Barolum
petit. ac secundum fossas, partim in hortis, partim sacris in ædibus,
quæ sunt extra urbis mœnia, exercitum collocat, tantus aduẽtantis ho
stis terror duces pariter, milites'q; inuaserat, cum tandem compertum
fuerit agmen fuisse ceruorum compascentium, quorum in ea regione
belli præsertim tempore maxima est copia. Hi sub matutinum tempus
pastui dediti sparsim cum errarent, ubi exploratores sensere equi
tes, in unum coacti dubia iam luce speciem præbuere hostilis agminis.
Castris igitur hunc in modum ad Barolum dispositis, interim dum
præda uenditur, quod nouus ex ære numus iactabatur, & Barolita
ni authore Barnaba Marra nouum æs aspernabantur, reijciebant'q;
illius usum, coactus est Rex fuso argento, atq; in numum conflato, ex
ea pecunia pendere militi stipendium, Fama etiam tenet Iacobum
Caldoram, solertissimum ætatis suæ imperatorem, ducentem per Apu
liam peditum atq; equitum non exiguas copias, eadem specie deceptũ.
Itaq; & conclamatum fuisse ad arma, & instructo cum exercitu ste
tisse eum in acie, hostem expectantem, nec nisi aliquot post horas cogni
tum, errantem in pastu, maxime ingentem ceruorũ gregem esse. Quo
factum est, uti Picininus iunctis simul copijs illum intra urbem penè
incluserit. Sunt qui Regem criminentur, desedisse illic ob amores tum
ueteres, tum nouos, quibus delinitus magis ipse curauerit, qua ratio-
ne amoribus indulgeret, quàm quibus artibus hostem falleret. Quod
ni è Macedonia Georgius Castriotus cognomento Scander, uir fortis, et
multis rebus aduersus Turcas strenue gestis clarus, cum classe repen
te apparuisset, futurum erat ut Rex aut mari fugam turpiter inde ar
riperet, aut tentata pugna, in postrema seq;, & res suas pericula conij
ceret. Cuius aduentu expositis in continentem circiter septingentis equi
tibus, lectissima uirorum manu, cum aliquo peditum numero, An-
dria præterita hostes iter auertere. De hoc igitur uiro pauca di-
cam & propter eximiam ac raram eius animi uirtutem, & pro-
pter insignem etiam gratitudinem. Georgij maiores in Macedonia la
te magnum imperium tenuere. Verum Amoratho Turcarum Im
peratore Græciam uastante uniuersam, Georgius admodũ adolescẽs à
patre, quo res suas in pace tueretur, missus est ad illum obses, in cuius
expeditionibus ea uiri fuit uirtus, uti propter liberalitatem, ac fortitu
dinẽ agnominatus sit Scander. quo nomine à Turcis Alexãder dici
tur, unde hodie, quæ nostra lingua Alexandria, ea Turcaica est Scã

deria. Post ubi paterno successit imperio, atq; ab Mahometo Amorathi filio summis oppugnatur uiribus. Alphonsus Ferdinandi pater pecunijs, militaribusq́; præsidijs amicissime eũ iuuit, diutiusq́; ipse seq́;, resq́; suas pluribus prælijs fortiter administratis, Alphonsi opera, auxilioq́; tutatus est. Igitur eo mortuo, ubi sensit Ferdinandum in Apulia grauiter ab hoste premi, conductis mercede aliquot nauibus, decreuit & animi gratitudinem, & fortitudinem simul testari suam, impositoq́; in nauibus milite ad Regem in Apuliam transijt. Huius igitur nomen, atque aduentus non hostem modo, eiusq; turbauit consilia, uerum Italiam omnem opinionis suæ fama impleuit. Vir militari disciplina, corporisq́;, atque animi uiribus æque clarus, ac rebus gestis, apud amicum, atq; hostem maxime inclytus in ore omnium uersabatur. Quod si Marinus Martianus (ut ad incœptum regrediar) cum ea quam habebat manu equitum, ac peditum, in agrum tunc se Campanum contulisset, cum Nolæ Vrsus esset, resq́; Neapolitanas infestissime uexaret, aut in Hirpinos, quorum utrunq; facere tuto poterat, haudquaquam Ferdinando in Samnium reditus, aut in Campaniam per id temporis patuisset, sine maximo rerum, ac uitæ discrimine. Verum Martianus summæ rerum parum consulens, dum finitimis quibusdam Sidicinorum oppugnandis castellis tempus terit, Regem ipsum ad regrediendum pellexit. Qui rebus Apuliæ Georgio commendatis, cum Alexander Sfortia è Pelignis, Marrucinisq́;, ubi Sulmonem, aliaq́; oppida permulta recuperauerat, quæ anno superiore ad Andegauiensem defecerant, à Rege euocatus, Samnitum in agris habere castra nuntiaretur, et Robertus Vrsinus plures iam dies suis cum copijs ad Montem leonem, ipsisq́; in Apuliæ faucibus consedisset, magno itinere nocte dieq́; confecto, Vrsino primum, post Alexandro sese coniunxit, communicatisq́; deinde cõsilijs Flumarim circunsident. conuectisq́; è Cãpania tormentis æneis, pluribus diebus concussis mœnibus, oppidanos ad deditionem cogũt. Quorum exemplum finitima quoq; castella secuta sunt. Inde in Campaniam uentum, hyeme iam appetente, ac uiris, equisq́; tolerare ulterius laborem nequeuntibus, Sfortiano præcipue equite, propter anni asperitatem imperia detrectante, Cum etiã Vrsus Neapolitanos, atq; Auersanos agros assiduis excursionibus in dies magis ac magis affligeret, mariq́; ab Ioãne Torrella, q Aenariã obtinebat, tuti nihil prorsus esset. Inter hæc Bartholomæus Cardinalis, qui gerente bellum in Apulia Ferdinando, Beneuenti Pontificias res curabat, per fidelem hominem cũ Vrso egit, uti Pij opera ad Ferdinandum transiret, Nam

& Pontifici Maximo rem abunde gratam faceret, & rebus ſuis per
quam opportune conſultum iret. Cui cũ hæreditario iure Nola debere-
tur, quã tunc precario teneret, hanc eſſe uiã recuperandæ illius, per-
ſuadere ſummo ei ſtudio conabatur. At Vrſus qui paternis puer, atq;
auitis exutus bonis fuerat, eiectusq́; patrimonio, tantam hanc occaſio
nem nactus, cum intellegeret Ioannem Antonium annis, morboq́; ag
grauatum iam, ita bellum gerere, ut qui animi, conſilijq́; incertus in
diuerſum traheretur, decreuit oblatam occaſionem fruſtra labi non
ſinere. Itaq; rebus ſic compoſitis, uti Nola, Laurum, Atripaldum, Fo
rinum, Aſculum, cum agris, finibus, ciuibusq́;, ipſi, liberisq́;, ac po-
ſteris dominãda traderentur à Ferdinando. Quarũ rerum omniũ
Pontifex fideiuſſor eſſet. Vrſus Neapolim ad Regem profectus, iura-
uit de more Neapolitanorum Regum in eius uerba. Ritus uero iuran
di, uerborumq́;, huiusmodi eſt formula. Sedet Rex medius regia in
ſella editiore loco conſtituta. Aſſident iuſta primi ordinis optima-
tes, ac proceres. Stant inde purpuratorum frequentes ordines, lo-
co quisq; ſuo. Regis ad pedes, genibus innitens à dextra procum-
bit parte epiſtolarum magiſter, qui nunc Secretarius dicitur, ſi-
niſtra antiſtes, euangeliorum libros regio in ſinu adſtratos tenens.
Horum medius genibus & ipſe ille inniſus procumbit, qui in uer-
ba iurat, utraque manu libris adapertis impoſita. Ibi epiſtola-
rum magiſter uerba præit, quæ iuraturus in uerba, ſequitur. Igitur
poſteaquam Vrſus regios ad pedes prouolutus, palmam in codice
utranq; expanſam ſtatuit, tum magiſter præire uerba hæc cœpit, Vr-
» ſusq́; ea eſt ſecutus, Vrſus ego Vrſinus Nolæ, & Atripaldi Comes,
» Aſculi, Lauri, ac Forini dominus, illorumq́; & agrorum, & fi-
» nium, ciuium, atque popularium, tibi Ferdinando Regi, libe-
» risq́;, ſucceſſoribusq́; in regno Neapolitano tuis polliceor, promit-
» to, ſpondeo pro liberis, ſucceſſoribusq́; in hiſce item urbibus, op-
» pidis, agris, finibusq́; meis fidelem, meq́;, illosq́; utiq; futuros, tuisq́;,
» illorumq́; imperijs ubiq; meq́;, illosq́; parituros, atque imperata fa
» cturos, cum hiſce urbibus, oppidis, agris, finibus, popularibus'que
» perpetua cum conſtantia, & fide. Siquid uero aduerſus te'ue, illos'
» ue parari fraudis, doli'ue, inſidiarum'ue audiero, ſciero, comper-
» tum'ue, ſignificatum'ue habuero, indicaturum illud è ueſtigio, ac
» facturum palàm tibiq́;, illisq́;, officia demum obiturum meq́;, il-
» losq́; omnia domi, forisq́;, pace, belloq́; aduerſum quoſcunq;, ac pro
» imperio quæ probi, & fidelis ſubiecti iure, lege, natura, obeun-
» da, ac præſtanda ſunt Regi. Deumq́; his Optimum Maximum

teſtem inuoco, per'q; ſacroſancta hæc euangelia, ſciens, uolens, libe'ſq;
uerbis conceptis iuro. Atq; his dictis manus ipſe è libris ſuſtulit. Tum
Rex Vrſi manus utriuſq; digitis pollicibus apprehenſis, ſuoſ'q; intra pol
lices ijs inſertis, deuinxit illos ſuis, ſtatuit'q; ſuper euangelia. Hic rur
ſum Vrſus, magiſtro præeunte uerba, Ego me inquit cum liberis, ſuc-
ceſſoribus'q; meis, Ferdinandi Regis mei, domini mei, liberorum, ac
ſucceſſorum eius, Ligium hominem ſtatuo, dedico'q;, eumq; me hic ſi
ſto. Hæc ter ubi dixit, Regios oſculatus ẽ pollices, Rex'q; ore ſuo illius os
excepit, mox'q; comiter appellatum dimiſit. Hic eſt uſitatus iurandi
mos in uerba Regum Neapolitanorum, qui'q; Ligios illorum ſe faciũt,
ipſum hunc ſeruant, dicti inde Ligij, quod ligatis Reges pollicibus, il
los fidei, imperijs'q; ſic ſuis uinciant, atq; obnoxios ſtatuant. Ex ea
tempeſtate Ferdinandus Vrſi opera forti, fideli'q; in maximis qui-
bus'q; uſus eſt rebus, quippe qui eſſet magno ingenio, conſtanti animo,
fida amicitia, maturis conſilijs, integra uoluntate, manu promptus,
atq; in certaminibus felix, in conſulendo cautus, in deliberando mini
me temerarius, qui'q; nihil prorſus ficti haberet, atq; ut maxime im=
piger, ſic ipſe parum omnino ambitioſus erat. Regis igitur aduentus
Neapolitanis ciuibus maxime gratus, atque expectatus fuit, ſumma'q;
gaudij, ac lætitiæ ex aduentu eius declaratio apparauit. Is poſtquam
per aliquot dies ciuibus, atq; amicis dedit operam, conuerſus inde ad
res bellicas, quod ab Ioanne Torrella, qui Iſclam oppidum, Aena-
riam'q; tenebat inſulam, multa mari in prohibendis, atque abigendis
commeatibus indigne patrabãtur, decreuit occupata inſula, eum in
tra oppidum includere, atq; à ſtatione triremes arcere, munitionibus
ad oram maritimam erectis. Accedebat huic malo, quod arx cui ab
ouo eſt agnomen, à Gallis tenebatur, pecunia tradita Ioanni Iunce-
ſio qui ei ſub Alphonſo præfuerat. Ea arx circiter quingentos paſſus
ab Neapoli, exeſo & arduo in ſcopulo poſita, iacta mole continenti
iungitur. Ab hac ad Iſclam arce quotidianæ triremium, nauigiorũ'q;
aliorum traiectiones fiebant, ac tranquillo tempore mare hinc ma-
gis magis'q; infeſtum reddebatur nauigantibus. Demandata igitur re
Alexandro Sfortiæ, alijs'q; fortibus, ac fidelibus uiris, cæſa'q; in con
tinenti materia, eaq; nauibus comportata, capta primo congreſſu à
militibus qui deſcenſionem fecerant, inſula, collocatis'q; opportuno lo=
co præſidijs, munitiones caſtrorum in morem eriguntur, quibus perfe
ctis, milites intra uallum collocantur, diſpoſitis per opportuna loca di-
uerſi generis tormentis æneis, quibus præcipue nauium infeſtaretur ſta
tio. Iſcla oppidum edito, atq; adeſo in monte ſitum, mari olim undiq;
angebatur,

cingebatur, nunc mole iacta, satis longo tractu, insulæ coniungitur.
mons ipse breui admodum à Prochyta freto dirimitur, inde circũ
adesis rupibus ab meridie, occasuq; mare sinuatur, stationemq; efficit,
qua parte post ipsam molem insula procuruato in sinum mari ablui
tur. statio ipsa sub euris, ac notis male omnino tuta à fluctibus. Ad
ipsum autem oppidum accessus est peracclivis, maximaq; è parte sa-
xo cæso, atq; excauata rupe manu factus. Munitiones igitur ita erectæ
sunt, uti tormentis æneis, & offensitari nauium statio, et oppidi porta,
finitimæq; illi quassari ædes possẽt. Militibus itaq; intra munitiões col
locatis, conuectoq; multorum mensium commeatu, & oppidani intra
muros coercebantur, & repellebantur à litore triremes, ne in insulã
ab ea parte descensionem tuto facerent. Quocirca acria persæpe ex-
citabantur certamina, dum per gradus quasi quosdam ferro in rupe
excauatos demissis in mare restibus, classiarij milites ijs excepti subsi=
dium oppidanis ferunt. Quæ obsidio eo fuit grauior, atq; contentior,
quod supra biennium durauit, & Carolus Torrellæ frater, quatuor
cum triremibus, aliquotq; biremibus, atq; exploratorijs nauigijs, itẽq;
onerarijs nauibus, quas ceperat, prædam omnis generis in oppidum
conuectabat, unde annona, stipendiumq; militi, ac popularibus affa
tim subministrabatur. Quo tempore Torrella arcem oui, de qua dixi
mus, spoliauit multa, & diti supellectile, quæ illic asseruabatur, cor-
pusq; Alphonsi Regis ibidem in loculis custoditum, triremibus ad se
transtulit. Cauerat enim Alphonsus moriens, uti de more aliorũ Ara
goniæ Regum, in Hispaniam Tarroconensem, ad ædẽ Populeti sepeliẽ
dus ueheretur, eamq; ob rem in arce, ubi diem obijt, loculis pie, reli-
gioseq; seruabatur. Parta tamen uictoria Ferdinandus, loculos ipsos
eandẽ in arcem referendos curauit, in qua hodie quoq; seruantur, &
ob rerũ gestarũ memoriam, à magnis, & claris uiris frequenter &
uisuntur, et salutantur. Hoc in bello, rerumq; bellicarũ uarietate, &
casibus cognitũ est, Hispanos plerosq;, q oppidis, aut arcibus præfecti
essent, Ferdinando parũ fideles fuisse, seu q tacitis ipsi consilijs, Ioãni
eius patruo regnũ assererẽt, seu q indignũ ducerent, Ferdinandũ Al=
phonso succedere, quẽ alij incesto coitu è Catarina, Errici fratris uxo
re susceptũ ab Alphõso putarent, alij supposititiũ, neq; ex Vilardona
Carlina, quæ mater eius diceretur, genitũ, sed suppositum ab ea, autho
re Gulielmo Corelia, quẽ Alphonsus honoribus, titulisq; mirifice eue=
xisset, procreatumq; ex homine ignobili, utq; alij mussitarent, sutore
calceolario. Vt uero alij, ex homine Mahometanæ religiõis, quales Va
lentini pleriq; sunt agricolæ, atq; opifices, quæ quidem, aliaq; ab illis,

qui Ferdinandũ prosequabantur odio, palàm, indigneq́; iactabãtur. In qbus tres præcipue uisi sunt maxime improbi, atq; ob insignẽ perfidiã detestabiles, Ioannes hic Torella, quẽ Alphonsus, ꝙ Antoniæ uir erat, q̃ è sororibus Lucretia unicæ amasset, illius gratia Isclæ moderationi substituerat, profeceratq́; arci. Petrus Mondraconius alter, cui ab Alphonso arcis Metalonij, et oppidi administratio ꝑmissa fuerat. Tertius Ioannes Antonius Foscianus, cui Tranẽsis arcis erat custodia demandata. Verũ hi duo clanculũ cum hoste consenserant. At Torella bellũ aperte gessit aduersus Ferdinandũ, Ioannemq́; ad se confugientẽ, amissa continente, terra & accepit, & armis, opeq́; fouit, iuuitq́;. Vrso igitur dedito, Daniel quoq;, q̃ Sarni, Foriniq́; iperitabat, metu perterritus, & ipse, haud multis post diebus, deditionẽ fecit. Quodq́; Sarnensis arx à Tarentini præfecto, cum præsidio tenebatur, occultisq́; militum, qui arcẽ tuebantur, latrocinijs regio infestaretur, aliquot post menses coactus est Rex, admotis bombardis, illam expugnare. Itaq; cõcussa, & diruta turri, quæ ab ursa nomen habet, estq́; ante arcem statuta, ueritus præfectus, ne ea capta, fame intus conficeretur, se se ea conditione dedidit, ut militibus, qui cum eo erant, cum uestimentis libere abire permitteretur. Illud in hac expugnatione rarũ, atq; admirandũ, quod cũ immensæ magnitudinis æneũ tormentum subuehi in summum, atq; arduum nequiret iugum, in plano, remotiusq́; aliquãto à montis radicibus collocatum, inde turrim ipsam concussit, labefecitq́;, spatio ad mille aeris passus interiecto. Interim etiam Robertus Sanseuerinius Salernum lacessebat, interclusis itineribus, nequa in urbẽ deferri cõmeatus posset, hac enim urbe recuperata, Cossentiã ad usq; ferè liber à Neapoli permittebatur accessus. Hæc à Ferdinãdo dũ geruntur, post reditũ ex Apulia in Cãpaniam, Iacobus interea Picininus præterita, ut diximus, Andria, Ioannis Antonij iussu, Lucanorũ montana populatur, diripitq́;, profectusq́; Aquã Viuam uersus, quod erat Frãcisci Baucij Andriensis Ducis oppidũ, illud æneis tormentis aliquot dies concussũ, dum sub speciẽ deditionis ciues ad colloquiũ, et pactionis spem trahit, dolo magis, q̃ uirtute militũ capit, diripitq́;, nihilq́; crudele, fœdũ, abhominandũ in uiros, mulieres, impuberes omissum. Inde locupletato exercitu, in fines Tranensiũ regressus, urbẽ obsidet, agrumq́; Andriensem assiduis excursionibus uexat. Quo tempore cũ Georgio Castrioto, q Barolũ tutabatur, sæpius certatũ est, diuerso pugnæ genere, cũ Italici eqtes statariæ magis pugnæ sint assueti, propter armorũ grauitatem, contra Macedones è Turcarũ disciplina uagi, procursantesq́; raro congrediantur stantes. Itaq; plerisq; in congressio-

nibus Georgius hſtem ludificatus eſt. Cæterum Tranenſis obſidio diu-
turnior fuit, ꝗ urbs erat egregie munita, nobilitasq; Tarentini ferre
imperiũ nolebat, muris tandẽ, qua parte infirmiores erãt, ſolo æqua-
tis, cũ à Rege nullũ etiam ſperaretur ſubſidium, famesq; urgeret, Ta-
rentino ſe ciues longiorẽ poſt obſidionẽ dedidere. Arx incolumis Regi
manſit. Nã Georgius cũ intellegeret Foſcianũ arcis præfectum cũ Ta-
rentino conſenſiſſe, ſub ſpeciẽ colloquij extra arcẽ acitum, cepit illum.
Captus igitur arcẽ Georgio tradi iuſſit, pactione libertatis. Itaq; Pici-
ninus ad arcis oppugnationẽ conuerſus, qua mari non abluitur, uallo
illam, ac foſſa cinxit, ne'ue inferri cõmeatus in eã poſſet, diſpoſitis per
oram maritimã biremibus, ſingulari diligentia cauẽdũ curabat. Quo
effectum eſt, ob ſummã cibariorũ inopiã, ut qui arcẽ defenſitabant,
ad famẽ redacti ſint. Forte accidit, uti Venetæ claſſis præfectus ſecun
dũ Tranenſem orã uela faceret, quo tempore nauigia quædã frumen
to grauida à Ferdinando miſſa, uento ad arcẽ ferrentur, quæ Picinini
biremes adoriri iam parabant. Itaq; quod ipſe duceret de dignitate
id rei publicæ Venetorũ eſſe, ſpeciem exhibuit, ſe haudquaquam paſ-
ſurum ſuos ante oculos uim nauigijs Venetico in ſinu inferri. Quod
ueriti qui biremes moderabantur, abſtinuere à ui inferenda. Itaq; de
lata ad arcem, magnã frumenti uim expoſuere in litore. Qua è re
ablata eſt Picinino ſpes eius potiundæ. Nec uero hac præſertim in par
te aut alienũ à me fuerit, aut ingratum lectori, explicare, qbus nunc
nominibus regiones eæ dicantur, in quibus hæc à Picinino geſta ſunt,
ne qui uetera tantum noſcitant, noua ignorent nomina, qui uero re-
centia tenent, ijs priſca ne ſint omnino incognita. Apuliæ igitur pars
ea quæ eſt ab Frentone flumine, quod hodie Fortorium eſt, ad Aufi-
di ripas, ſua nũc appellatione eſt Capitinata, quæ Normãnorũ prius,
ac Græcorum temporibus fuerat Catapaniata, quod qui eius modera-
tioni eſſet Imperatore ab Cõſtãtinopolitano præpoſitus diceretur Græ
co nomine Catapanus, quæ uox contractis atq; immutatis literis à
recentioribus uerſa eſt in Capitinatam. quiq; Catapanus fuerat in Ca
pitanũ. Quæ uero Calabriæ pars olim fuit, in qua Tarentũ, Brũdu
ſiũ, ac Salentinorũ maritima eſt ora, ea ab Hydrunto oppido ad quod
eſt ab Macedonia, Epiroq; ꝗ̃ breuiſſima adnauigatio, Hydrũtina hodie
terra dicitur. At qui eſt ab Aufido tractus ad Calabriæ, hoc ẽ Hy-
drũtinæ fines terræ, quo in tractu ſunt ad mare poſita Barolũ, Tra-
nũ, Vigiliæ, Melficta, Iuuenatium, Barum, Polygnanum, Monopo-
lis, ab urbe Baro, quæ caput olim regiõis fuit, Barenſis uocitata eſt ter-
ra, regiorum quæſtorum conſtitutione ac iuſſu. Poſt eam montana

locа, quæq; olim fuere illinc Lucaniæ, hinc Apuliæ, ijsdem illis tem=
poribus uocari cœpta Basilicata, cuius regionis complura castella fue
re à Picinino direpta, agerq; ferè omnis fruge, pecoreq; spoliatus. Cœ
terum hæc ipsa appellatio unde potissimum ducta sit, iure anceps est,
ac dubium. Sunt enim qui existiment, haud satis tamen certis authori
bus, Cõstantinopolitano olim ab Imperatore regionem eam filiæ, ac
genero traditam dotis nomine. Veri autem alijs uidetur esse similius,
à Basilio quodam, fortissimo uiro dictam, qui per illa tempora loca
ea tenuerit, deq; regione ipsa, tractuq; omni Salentino Græcos indu
stria sua pepulerit, atq; Pœnos. Verum nos quæstionem hanc posteris
melius inqrendã relinquimus. Hæc dũ in Apulia, Cãpania, Sãnioq;
gerũtur, Baptista Grimaldus in Brutios à Ioãne missus, q̃ regioni præ
esset, cognito Robertorũ aduentu, dũ copias colligit, paucis post captã Cos
sentiam horis cum præsidio affuit, cognitaq; eius direptione, retro sta-
tim mouit. Post Robertorum autem discessum (pleraq; enim oppida
ab illis capta statim ad Andegauiẽsem rediere) Silani hyemauit. An
tonius uero Centilia cum Errichecta uxore apud Hypsicron dum de
sidet, seq; parem Robertis desperat, arcessitus ab Loisio Arenate qui
mortuo patre, ipse è concubina genitus, nouerca capta, Arenas, agrũq;
eius occupare omnem parabat, præstò illi affuit. Ineunte igitur uere,
comparatis atq; instructis exercitibus, de communi sententia in plani-
tiem quam Cratis amnis mediam secat, simul uterq; conueniunt. Bap=
tista prior per Agelli, ac Petræ malæ fines, montemq; qui interiacet
Caruleios profectus, inde in planitiẽ peruenit. nec multos post dies An
tonius cum Alphonso fratre eodem proficiscitur, biduoq; post Loisius
Caraciolus Neocastrensis Comes eodem quoq; cum accessisset, placuit,
iunctis simul copijs, castra ad syluam transferre Tabulariam, quæ se=
cundum amnis ripas diffunditur. Hoc cognito Lucâs Sanseuerinius,
qui cum præsidio partim Cossentiæ, finitimis partim in oppidis hiema
uerat, equitatum undiq; suum ex hybernis euocatum, Lucios ad se ue
nire Silam per montem iubet. Quod hostes ubi sensere, ingenti agre=
stium manu Cossentinis è uicis coacta, qua Silæ egressus esset, syluam
longo spatio cædunt, stratisq;, atq; obsæptis ingentis proceritatis arbo=
ribus, transitum impediunt, comparataq; finitimis è locis magna ar-
matorum manu, nec minore pastorum omnis generis superiora occu=
pant, ibiq; insidias struunt. Equitatus igitur syluam ĩgressus, nullo se=
cum peditatu ducto, ipse securus, atq; insidiarum ignarus, ubi lõgius
progressus, egressum impeditũ, atq; obsæptum conspicatur, consilij in-
certus, atq; consternatus animo, tum uero in insidias delatum se intelle

gi, dumq́; aliud alij consilium sequendum censent, repente maximis
sublatis clamoribus agrestes immixti pastoribus, superioribus è locis
magno impetu illati, equites confusos, nullo certo ordines, parum certo
duce, cõsternatosq́; adorti, locorũ ipsi periti, alios fugã parantes inter=
cipiũt, resistentes alios uulnerãt, partẽ ex equis lõgurijs, perticisq́; de=
turbatam sparis, ac fustibus magis quàm telis percutiunt, partẽ ense,
aut hasta prostratos cædunt, captosq́; ad unum penè omnes, armis, ac
uestibus exuunt. secumq́; ad uicos, atq; oppida captiuos ducunt. Lu-
dum hunc fuisse magis quàm certamen, illud planè docet, quod pasto
res, equorum, telorum, armorumq́; uendendorum gratia, dum ad op
pida uicinasq́; ad urbes proficiscũtur, quo se strenuos, uictoresq́; osten=
tarent, assumptis perticis, equisq́; impositi, ingressi urbem, dũ concur=
runt, dum pugnas meditantur, animaduersum est pastorũ alios, quæ
arma protegendis erant cruribus, ea aptasse brachijs, alios quæ cubi
tis, ea genibus inseruisse. Itaq; in risum cum uerterentur qui ad spe-
ctandum plurimi conuenerant, iudicatum est à rudibus quoq;, atq;
bellorum ignaris hominibus, ingenium, quàm uires corporis, admi-
strando bello plus posse, fortunamq́; tum demum omnia sibi uendica-
re, cum prudentiæ locus nullus fuerit etiam inter maximas opes, po-
tentiamq́; relictus. Ex eo Antonius, ducesq́; Andegauiensiũ, per agros
urbium, quæ Ferdinando parebant, liberius discursantes, uicos plu-
rimos diripiunt, prædamq́; omnis generis in castra referunt, lõgiusq́;
uagati, terrore, atq; formidine populos implent. spoliatisq́; impune
agris aliorum, ac uillis, dum Cassanensium fines audentius populã=
tur, strenue insecutis Cassanensibus, Nicolaũ Antoniũ Rufum, adacto
per galeam telo, prostratum humi, ac confestim cæsum amittunt, uirũ
& corporis, & animi uiribus pariter insignem. Hinc Rogianũ quoq;
strenue magis quàm feliciter adorti, aliquot militibus amissis, à fossa,
mœnibusq́; repelluntur. Hinc Sanctum Marcum tentare aggressi,
exulibus deditionem pollicentibus, fugati inde colubrinarum, bom-
bardarumq́; multitudine, frequentibusq́; explosionibus uetera in ca=
stra ad Tabulariam se recipiunt. Ex eo igitur duces ijs in castris dese
dere. Nanq; Antonius per idoneos, ac fideles homines, qua erat ani-
mi infirmitate, atq; ambitione, agitare cum Luca cœpit de sua cum
Ferdinando conciliatione. Erat enim Lucas necessitudine Antonio con
iunctus, quod utriusq; uxores ijsdem è parẽtibus sorores erãt, ex eaq;
conciliatione uterq; existimabat rebus suis optime consultum iri. Itaq;
primo petere Antonius, dein postulare etiam à Baptista cœpit, Aman
team sibi urbẽ restitui, ꝗ ea materno iure uxori deberetur, quo per

hanc causam (si negaretur) castris discederet, sin concederetur, ut haberet oppidum inferum ad mare situm, cuius opportunitate ad eas, quas animo agitabat res percommode uteretur. Baptista bonam primo spẽ Antonio polliceri. ille eo uehementius agere, ac nunc precibus, nunc muneribus cõtendere, dumq́; alter cauet, alterius ne capiatur artibus, eò uentũ est, ut uterq;, ille causando, hic importune agendo tempus tereret, seq́; alternatim frustrarentur. Tandẽ Antonius, ubi dari sibi omnino uerba sensit, è castris cum Neocastrense abijt, ab uxore se arcessitum simulans, quod agri eius, atq; oppida illinc ab Iacobo Carrafa, Antonioq́; Caibano assiduis uexarẽtur discursionibus, expugnato penè Bellicastro, repentino aggressu, militumq́;, ac ducum uirtute, hinc à Galeocto Baldasino impune populante, cum etiã compertum se habere diceret Masiũ Barresam ualidis cum copijs aduẽtare. Hũc Rex initio belli Venusiæ cũ præsidio præfecerat. isq́; (ut erat acri ingenio, & magno atq; elato animo) multa fortiter, ac feliciter gessit. Nã non urbẽ modo eam ab hoste tutatus est, uerũ cum Ioãne Melfiæ Duce collatis sæpius signis confluxit, quibus in certaminibus non minus sæpe uictor euasit q̃ uictus. Duo hi præstantes animis, ac bellicis laudibus duces nunq̃ manus conseruere, quin utrinq; summis conatibus, ingentibus animis, haud minore sua q̃ militum uirtute, imperatorijsq́; artibus, ac muneribus decertauerint. Ioannes tamen suam ubiq;, maiorumq́; suorũ nobilitatem prætulit. Ille, ut erat natura ferus, ac parũ urbanis moribus, uix ab ingenio unq̃ discessit. Quo igitur Brutiorũ rebus Ferdinandus prospiceret, Masium eò cum equitum ac peditum ualida manu mittere decreuit. Itaq; Antonius his usus causis in regionis ulteriora concessit, atq; haud multo post Sinopolim proficiscitur, eo consilio, ꝙ Gulielmus Rufus, capto ab se Carolo Rufo Comite, patruo suo, & oppidũ & agrum illius omnem occupauerat, ut eorũ ipse res opera sua componeret. Nam Ruforum familiæ Errichecta eius uxor princeps erat, & ipse ambitioni seruiẽs, sibi non minus q̃ uxori satisfacere cupiebat. Horum post discessum Baptista se se Bisinianum contulit, nec multo post, ꝙ uici Cossentini, quæq́; hodie Casalia dicuntur, alij Ioannis, alij Ferdinandi partium erant, proq́; tempore ac rerum euentu modo huic, modo illi apertius fauebant, decreuit Baptista munitionem apud Domnicos erectam occupare, eaq; occupata finitimos uicos diripere, Missis Rogerio Laino, Loisio Fogia, et Nicolao Stabia, cũ ea peditũ atq; eqtũ, quã tunc habebat copia. Illi strenue nauata opera munitionẽ capiũt, moxq́; in prædã uersi, ut quẽ prædandi libido rapiebat, eò raptabundus ferri. Qui in uicis erãt, partim fugere, par

tim arma capere, seq; resq; suas ferro tueri, alius alij auxilio eē. modo hi, modo illi aut pellere, aut pelli, sauciare, aut sauciari. uulnera, cædesq; promiscuæ, uictoria incerta esse. è Cossentia subsidia subide mitti. eqtes, pedites misceri. cōfodi eq. substerni pedites. è tectorū culminibus iaci tela, tigna, trūci, saxa, tegulæ. plurimi ab alto uulnerari. superātiū cōclamatiōe, ac cadētiū gemitu cœlū cōsonabat. Iā uero balistarum fragore, dūq; arma frāgūtur, ac clypei, sclopetorū displosiōe, et tonitru repercussa nemora uallesq; mugiebāt, ac circūfuso fumo lux è pugnātiū oculis auferebatur. Ter eo die pro Aragonēsiū Andegauiēsiū ue uictoria, aut fuga uicorū populares īstructi, atq; ī acie stātes, mutatis studijs, in hostē, seq; ipsos cominus uerterunt arma. Itaq; centuriōes, præfectiq; dū nihil geri segniter, nihil remisse administrari patiūtur, uix è balistis sagitta, aut è sclopetis pila, iacula ue è dextris in cassū emissa. Et adhuc tamen mars ipse anceps erat, cū tandē post arma undiq; cruore sparsa, fœdatasq; tot cædibus uias, nox pugnātes diremit. Satis autē cōpertū est, qui ī initio pugnā cōmisere, eorū haud sanè multam fuisse manū, Andegauiensem tn̄ lectū militē. post uero ad quinq; millia armatorū, qui ad certamē diuersis è locis raptim cōcurrissent, manus contulerunt, è quibus cecidere quingenti, plurimi uulnerati, ex Andegauiēsibus q fuere capti, à factiōis fautoribus, aut ab amicis, cognatis ue noctu ad suos remissi. In ea pugnæ atrocitate, præfectorū ne, an militū, ciuiū, an q stipēdia facerēt, uirtus maior fuerit, æque ab utraq; parte dubitatū, tanta ira, incēsisq; adeo militū ac populariū est oium animis dimicatū. Hac pugna nūtiata Masius maturato itinere, īstructis ad oppugnādū copijs, Bisinianū petit. Quod Baptista ueritus, Acrim se cōtulit, ratus posse illic cautius Masij se conatus frustrari. Ille præmissis q deditionē minitabūdi tentarēt, cōfestim ubi in cōspectū uenit oppidi, ciuibus dedētibus Bisinianū recipit, diebusq; aliquot militi de itinere fesso cōcessis, iteri oppugnationi necessaria cōparat, qbus cōparatis ex improuiso Acrim adoritur. cōmittitur pugna uaria, atrox, cruēta, oppidanis pro sua, coniugū, liberorūq; salute, ac libertate pugnātibus, hoste pro præda, pro uictoria, q eo expugnato oppido, nihil sibi reliquū futurū ad uictoriā arbitraretur. ducibus ēt ipsis utriq; suos hortātibus, ac nūc ante illorū ora manū cōserētibus, nūc alios pectore apprehēsos, alios tergo impulsos in aduersariū imittētibus, marte intra uallū modo, modo extra munitiōes sæuiēte. Itaq; multis utriq; cæsis, aut uulneratis, nō paucis uallo deiectis aut è rupibus deturbatis, ædificijs quoq; uallo proximis imisso igni, ab ortu solis ad noctē uario certamine, dubioq; euentu pugnatū est. Dirempta à nocte pugna

Masius, quod fessis omnibus, uulneratis compluribus, nocturnis iter in tenebris peragendum esset, per loca saltuosa, equitibusq; parum commoda, hæc ueritus noctem sine tabernaculis, absq; uictu ullo, sub dio, breui in campo, qui duos intra tumulos, non adeo ab oppido procul iacet, summa sua solicitudine, ac militum consternatione egit, subinde trepidantium, ne finitimis à populis, qui Martiano parebant, auxilijs arcessitis, tumultuario ab illis adortu intercepti trucidarentur. Sub auroram igitur equis, qui de uulnere inutiles erant, quiq; animam iã agebant militibus in campo relictis, Bisinianum, quod quatuor aberat passuum millibus, citato gradu redijt. Iisdẽ quoq; diebus Octauianus Montiflorius, Masij præfectus, circiter millibus passuum tribus ab Rẽda, cum in uico consedisset quanquam à se pro tempore munito à Cosentinis exulibus, qui iter eius obseruabant, nocturno aggressu superatus, uix ipse solus euasit, cæteri ad unum omnes capti, turma integra uirorum atq; equorum amissa. Repulso ab Acri Masio quod diffideret, ui se post id oppido potiturum, multa diu animo cum agitasset, uisum est tandem, quod per Milanum egit exulem, ut is explorato undiq; oppidi situ, cognitisq; oppidanorum, ac Baptistæ nocturnis institutis, ac moribus, cum Blancino acri, ac ueterano milite, oppidum minime muris cinctum nocturnis usus tenebris ingrederetur, singulaq; exploraret. Quod ubi ab utroq; factum est, Masiusq; de oppidanorũ institutis omnibus ab ijs edoctus est, consilium inijt, ut ij lectis cum militibus, ijsq; partim clypeatis, partim sclopetarijs, balistarijsq; sub primam noctem deceptis uigilibus flumen peruaderent, ac monte superato, ubi collocata prima custodia oppidanorum erat, cæsis uigilibus illic operirentur, quoad ipse in plano cum copijs instructus, paratusq; adesset. Est autem Acris summo in monte posita, paucissimis locis muro, cæterum uallo, ac rupibus undiq; ferme cincta. Circiterq; duobus millibus ab oppido passibus decurrit Cotilis fluuius, à cuius uado ad ipsum usq; oppidum sensim assurgit arduo ascensu, montis dorsum, quẽ Serronem incolæ uocant. Ad uadum Baptista consueuerat singulis noctibus uigiles disponere, qui per tenebras aucuparentur, si qui flumen transirent, statim id renuntiaturi. Igitur tranato amne, cum ob præfecti negligentiam, uigiles nulli ea nocte flumen obseruarent, militesq; cum Milano, ac Blancino præmissi, taciti, absq; ullo omnino strepitu ad custodiam peruenissent, summo silentio custodes iugulant, deq; suorũ numero lectos substituunt, qui oppidanis signa de more custodũ antea quidem explorata & cognita, redderent. Cum uero, accepto signo, ubi aliquãtulum quieuissent, Masiũ adesse cum copijs sensere, magno

impetu oppidanis quiescentibus uallum transcendunt, Gattumq; cen
turionem qui uallum custodiebat inermem, ac semisomnem capiunt,
inde clypeati primi, post eos sclopetarij balistarijq; occupatis uijs in fo
rum irrumpunt. Quo à ciuibus, ac militibus concursum cum esset,
magnis utrinq; sublatis clamoribus acre committitur prælium. Inter
hæc Masius portam conatus diffringere, ab illis qui eò concurrerant,
magno nisu repellitur, alijs tandem atq; alijs succedentibus, facta est
ferro ꝑ portam uia. Milites turmatim ingressi, qua conferti irrũpunt,
gladio sibi iter pandunt. Multa omnis generis hominum cædes passim
facta. Baptista reptiẽna re perculsus, alio atq; alio dimissis militibus,
ipse cum paucis, ueteris ad arcis tumulum confugit, illicq; contra ir-
rumpentes aliquantum cum stetisset, tandem superatus, ac penè cir-
cumuentus ab hostibus, fuga sibi per rupes asperas, confragosaq; mon
tis loca uix consuluit, ac beneficio noctis usus, cum exiguo familiariũ
numero Longobucũ (sunt autem qui Themesen olim hanc fuisse, pro
pter metallorum uenas arbitrentur) se recipit. Capto igitur oppido, cõ
uersi ad prædam milites nihil sibi reliqui, non ad prædam, non ad
crudelitatem fecere. Sacra, profanaq; in promiscuo cuncta habita.
Ducis ipsius iussu Nicolaus Clanceoffus serra per dorsum lumbosq;
adacta, medius secatur, rarum profectò, ac penè inexcogitatum sæui
tiæ genus, ac supplicij exemplum. Inde haud multos post dies Catan=
tiariũ profectus, repẽtino mox adortu Simarim cum tentasset, re infe
cta alia atq; alia uia aggreditur. Id oppidũ quod esset in edito situm,
quadamq; è parte rupibus immineret, ea minus diligenter à uigili-
bus noctu custodiebatur. Itaq; nocturno tempore admotis scalis, ma
gno silentio Masius illam non exiguo armatorũ numero occupat, qua
occupata cum exercitus ab aduersa ei parte muros aggressus esset, illi
superiore è loco magno impetu, maioribus clamoribus illati intentos
prælio oppidanos à tergo inuadũt, alios cædunt, alios uulnerant. hos
è propugnaculis deijciunt, illos proiectis armis capiunt, breuiq; poti
ti oppido illud diripiunt. Quod peruetustæ, ac maxime celebris quon
dam urbis Sibaris reliquias esse, sunt ꝗ existiment, quippe cum haud
multum inde loca dirutæ urbis uestigia ostendãtur. Interea Alphonsus
Centilia tribus cum equitum turmis, non satis numeroso peditatu,
eoq; maiore è parte tumultuario, Rocellã obsidebat. Id castellũ abest
Catantiario, circiter sex passuũ millibus. Castra eius hic stagno munie
bãtur, illinc amne Coragio, ꝗ circiter quingentos passus ab castris præ=
terlabebatur. Id Masio cũ esset cognitũ, quatuor cũ eꝗtum turmis, ac
mille ferè peditibus, septingentis itẽ armatis partim eꝗtibus, partim

peditibus, qui eum lecti è ciuibus secuti sunt, Catantiario mouit, se-
cundum'q; torrentem Masentium profectus, collem occupat Pergellũ
nomine, qui ab Coragio quingentos fermè passus distat, eo consilio, ut
cum Alphonso confligeret, à quo paucis ante diebus prouocatus ad cer
tamen fuerat. Alphonsus cõsidentem eum in tumulo conspicatus, instru
cta acie confestim aduersus illum mouit, amnem'q; præter gressus, sub
collem in uia constitit, haud procul ab hora maritima, illic cum hoste
manum conserturus. Contra Masius ubi transeuntem Coragium, atq;
aduersum se uenientem hostem instructa uidit acie, suos è colle turma
tim instructos descendere in planum iubet. Quod si Alphonsus quo
impetu uenerat, in primos confestim irruisset, nimirum profligatis ad
uersarijs, captis'q;, ut quisq; è monte descendebat, suis incolumibus, uo
ti compos in castra redijsset, cuius rei suis cum esset à præfectis am-
monitus, iuuenili animo magis q̃ ex ipsa re sumpto consilio, auersatus
„ præfectorũ sententiam, Atqui inquit descendere omnis patiar ad unũ
„ cunctos captiuos ducturus, ne cladis eorum nũtius ad urbem redeat.
Stabat in acie Alphonsus tribus cum turmis, præerat alteri ipse, al
teri Antonius Caraciolus. tertiæ Ioannes Cola, & ipse Caracio-
lus. Peditatum moderabatur Galassus Ascarus. Masij copiarum
præfecti erant Losius Sangrius, alter Loisius Longobucus, tertius
item Loisius Gentilis, Octauianus Montiflorius, & Colecta Castel-
lius. Initum est prœlium ingentibus utrinq; animis, stetit'q; utrinq; im
mota acies diutius, cum interim multi uulnerarentur eq, uiri'q;, du=
cũ præsentia ad singulas cohortationes pugnam instaurabat, & ipsi
pugnam edebãt duces ante suorũ oculos. cõflictus maior q̃ pro equitũ
numero. ipsa'q; paucitas uirtutẽ excitabat, q singuli à duce suo cõspicie
bãtur, et ducẽ qsq; suũ cõspiciebat, nec pedes superari se ab eq̃te uirtute
patiebatur. Itaq; offirmatis ab utraq; parte animis uulnera infligebã
tur. pediti pedes, equiti eques, singulis penè singulis, aut gladio, aut ha
sta sibi aduersi dimicabant. hinc atq; illinc balistarij, sclopetarij'q; uix
in cassum aut pilas fundebant, aut sagittas. erat'q; euentus pugnæ du
bius, ac mars ipse anceps. cũ repẽte Galassus balistaria transfixus sa
gitta, ex equo moribundus corruit, codem'q; simul momento aliquot
cum eo, qui iuxta pugnabant. Casu quorũ consternati pedites, parũ
militiæ assueti, cessere primum loco, mox terga simul cuncti uertere.
Quorum fuga circundatus à Masij milite Alphonsus, uiribus, auxi
lio'q; destitutus capitur. uix pauci ex eo numero euasere. castra statim
direpta. Victor Masius cum præda, captiuis'q; Catantiariũ redijt, ma=
gna ciuiũ lætitia, ac gratulátiũ acclamationibus urbẽ ingressus. Per

idem tempus Ioannes Trauersus, Antonius Turrius Stephanus Malenus, et Ioannectus Moranus, qui Martiani copijs Scillacensi in agro præerant, fines Sanctæ Seuerinæ populati, ingentem pecorum omnis generis prædam, multosq; mortales secum captiuos perduxere. Post eam prædã è præfectis quisq; cum suis loca ad sua redijt. Trauersus, ac Turrius Netensem in agrũ se contulere. Quæ res cum à Iacobo Balestra, impigro, maximeq; exercitato equite, Antonello Caibano significaretur, consiliũ Antonellus inijt sub prædãdi speciẽ, utriusq; interapiẽdi. Itaq; dispositis secundũ Netũ fluuiũ insidijs circiter quingẽtos passus ab oppido Roca, cui est de flumine agnomẽ inditũ, Balestrã præmisit cũ paucis, q Rocæ portis insultans, hostẽ extra oppidũ, repentinum ad tumultum extraheret. Trauersus, ac Turrius gregarijs timentes, qui pabulatum ierant, ex oppido egressi nullo ordine, ipsi eorumq; equites parũ instructi Balestrã consulto fugientem trans flumen insequuntur. Quod Antonellus ubi animaduertit, ex insidijs repente prodiens illos circumuenit. Circumuenti dum elabi ex insidijs, summis conantur uiribus, transfixi uterq; alter per tempora, alter per ilia adactis sagittis, collapsi ex equis cæduntur. Cæteri capti. Antonellus uictor magna præda, eximijs cæsorũ spolijs è pugna redit. Huius uiri fidẽ, consiliũ, fortitudinẽ, sunt qui tollentem in cœlum Ferdinandũ sæpius audierint, cum illius ingenio acceptum referret, quod ea regio tot passim rebellantibus, breui pacata, imperiũ acceperit, idq; eo apparebat admirabilius, quod Antonellus omnẽ adolescentiã, primã etiã iuuentutẽ in literarũ egerat studijs, otioq;, ac libris deditus, post uero bellicis cũ se negocijs tradidisset, eò laudis, atq; authoritatis processit, ut et consilio præcipue bonus haberetur, et cõferendis manibus maxime audax, nec minus dux prudẽs, q̃ miles strenuus, incipiẽdis, atq; administrãdis rebus ubiq; par. Hæc dũ in Brutijs administrãtur, Ioannes Vigintimilius à Ferdinãdo missus, propter ætatis authoritatẽ, ac rerũ gestarũ gloriam, mari ad Brutiorũ litus prouectus, Antonũ adijt, quodq; de cõciliatione prius agitatum esset, cũ illo transegit, quibus trãsigendis illud etiã effectũ est, uti Ioanna Antonij filia Masio desponderetur, conditionibus ex amborum sententia scriptis, uti sua Antonij, liberorũq; eius essent oppida, agri, et bona quæcũq; uxori hæreditario iure deberẽtur, quæq; ipse olim tenuisset, Masius Castriuillari Dux declararetur, cũ ijs agris, oppidisq;, quæ ipse belli iure tum teneret. His cõuentis, hacq; rerũ gestarũ gloria elatus Masius, in fines Terræ Nouæ uniuersis cum copijs digressus, oppidũ ipsum statim recapit, itemq; Sanctum Georgium, è cuius arce Rogerium Oriliam, equitem Neapolitanũ, duosq; item alios nobiles uiros è summis

arcis pinnaculis in rupes maxime præruptas deijci iussit, spectaculum sanè horrēdum, immane, nouum, atq; ob crudelitatem, ea tempestate, per Italiam ab amicis, aduersarijs'q; iusta nobilitatum. Sunt qui factum excusent, quod cum Ioannes Barresa Masij frater in foro Cossentino, nulla honesta causa à popularibus in frustra concisus esset, hoc genere uindictæ ulcisci fratris ipse interitum uoluerit. Inde aduersus Galeoctum Baldasinum profectus, qui, ut erat fluxa fide, ad Andegauiensem iam desciuerat, scalis noctu summo silentio admotis, urbem nomine Oppidum capit, ac captam diripit, Largaq; cum præda ad Terram Nouam reuersus illic hyemauit, ac per speciē colloquij, ueteris'q; consuetudinis Marinum Curialem, qui Giracium tenebat, capere dum intendit, ille re per amicos cognita, dolum, atq; insidias fuga maxime improuisa uitauit, tanta celeritate usus, ut equus, quo ferebatu, de nimio cursu in itinere exanimaretur. Inerant autē ingentes Masio uirtutes tum corporis, tum animi, maxime firma laborum tolerantia, frigoris, caloris'q; patientia æque magna. uictus eius plerunq; militaris. Vestitus pro tempore, qui'q; inter alios uix excelleret. perferendæ inediæ militibus ipse suis exemplum erat. honoris, gloriæq; appetitio insatiabilis. habendi cupiditas infinita, nec minus ut multa largiretur alijs, quàm ut ipse possideret quàm plurima, periculorum incredibilis despicientia, difficilium'q; inceptorum summa audacia. Ita tamen, superbia'q; uastum eius, uix'q; sui capacem animum deformabant. Itaq; pace parta, compositis'q; regni rebus, Neapoli agens, obuium cum haberet Ioannem Spathaforum, hominem sibi aduersum, ac maxime infensum, qui salutandi Regis gratia in arcem accedebat, ira atq; impotentia præceps, gladio illum obtruncat. qua è re in carcerem coniectus, aliquot post annos illuuie, atq; pedore obsitus, squalens'q; diē illic obijt, uir utiq; dignus mitiore animo qui esset præditus, qui'q; si nō magis grato, minus saltem seuero principe usus esset. Anni huius exitu, in campis qui beneuentum inter Apicium'q; interiacent fœdum certamen inter coruos, miluios'q; exortum est, siue ostentum illud fuerit, prognosticum'q; futuræ ad Troiam pugnæ, seu naturalis contentio, quod multitudine locustarū ijs in campis eo autumno prognatarū, quibus alites ipsi uescantur, pugnatum sit, ob pastus cupiditatem. Primo igitur è certamine (nam bis pugnatum est) qđ miluij acrioribus, magis'q; falcatis armati essent unguibus, alis'q; uterētur patentioribus, maiores'q; captarēt auras, corui cū discessissent inferiores, paucis post diebus, ac si imploratis aliūde auxilijs, rediere, dēsiore agmine generis sui uolucrū. Quod idē factitatū à miluijs. Cœ

pta igitur acri in aëre pugna, corui sensim quasi inito consilio, arteq; hac usi, itra uineta subsidere, stantesq; aut sup uitibus iã defrondibus, aut super editioribus ramis, trũco'ue eminẽtioribus rostra subrigebãt, ingruẽtesq; alis atq; unguibus miluios suffodiebant rostris, quasi pugionibus. Itaq; cernere erat cadentes passim atq; exenteratos miluios, singulorumq; ad casum conclamare coruos, crocitatuq; significare uictoriam, & tanquam cohortari aciem cantu, atq; excire pugnantes. Quo pugnæ genere cum certatum esset diutius, plenis tandem cadentium miluiorum campis, ipsi tanquam in insidias delatos se intellegentes, pugnam deseruere, confessi uolatu fugam, atque alitis hostis super stragem uolitantis uictoriam. Hic uero elatus uictoria coruus, atq; in cædem uersus, in stratos humi miluios sæuire, iramq;, ac rabiem exercere, conficere rostro semineces, atq; è mortuorũ aut capitibus cerebrũ eruere, aut hausta è uisceribus itestina trahere unguibus, carpere præcordia, ac discindere armos rostris. demum nihil iræ reliquum facere, nihil non permittere rabiei. Atq; ex hoc certamine, uictor plures dies, perinde ac direptis hostium castris liber, lætusq; passim ferebatur. Hanc pugnam, uolucrumq; conatus tantos plurimi mortales spectatum cũ uenissent, quo stragem ipsi cernerent, per uineta, camposq; uagabantur. Itaq; alij pugnæ genus acre, cruentumq;, stragem alij tãtam mirabantur. Erant qui uulnerum uastitatem, & congestos quasi cæsorum aceruos suspicerent, nemo tamen, qui non futurum breui cõtendentium exercituum auguraretur certamen, partisq; alterius calamitatem. Eodem anno in Arenate Brutiorum agro mula equum peperit, pilo flauo, crinibus rutilis, oculis rufis, quem post Loisius Arenas ad Ferdinandum misit.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER TERTIVS.

i NEunte æstate Masius animo agitans quibus maxime consilijs, quáq; arte aduersariorum res prosterneret, educto ex hibernis milite, eoq; instructo, paratoq;, in expeditionem proficiscitur, positisq; Medimam ad amnem castris, in monte, qui est agri Plaisanatis, quanquam natura munito, manu tamen ipse artéq; erectis munitionibus, munitiorem multo illum efficit, ferreisq;, atq; æneis tormentis circùm dispositis firmat, eo consilio, ut relicto paucorum militum præsidio, uagari cætero cum exercitu libere, atq; impune posset. Parte ex alia hostium duces arcessito Baptista Grimaldo Ioannis legato, qui per id tempus ad Sanctam Agatham agebat, eoq; duabus cum biremibus mari Arenatem in oram delato, conuenere Monasteracij, diéq; constituta ad Antonij fanum, secundum litus maris, de rerum summa consultabant. Fuere autem qui conuenerunt ad fanum cum Baptista simul Galeoctus Baldasinus, Loisius Arenas, Franciscus Gerunda, copiarum Martiani præfectus, Franciscus Caraciolus, et Ioannes Cola eius filius, qui aliquot oppidis regionis eius præerant. Horum fuit omnium una sententia, uti data Loisio cura rei frumentariæ, cæteriq; commeatus, ipsi omnes coniunctis simul copijs, Masij inceptis obuiam irent. Itaq; paucis post diebus, positis inter Philogathos, ac Panagiam castris, pedite, equitéq; illic recensito, utroq; cum apparerent hostibus superiores, decreuerunt castra castris conferre, atq; hac ratione, commeatu intercluso, illum aut ad deditionem cogere, aut gladio rem experiri. Quam ad rem interceptæ Antonij ad Masium literæ, illorum animos mirum in modum confirmauerant. Monebat enim ante aduentum Iaimi Centiliæ fratris, qui propé diem affuturus esset trecentis cum equitibus, lectáq; peditum manu, nequo pacto manum consereret. Quo cognito hostes ante Iaimi aduentum decreuere cum illo congredi, rati (quod post successit) superiores se futuros, motisq; confestim castris, haud procul Plaisano metantur, quingentis non amplius passibus ab Masij castris. quo die leuia quædam certamina inita. Postridie uero ex eo loco digressi ad flumen proficiscuntur, eo consilio, uti munitis ad Sanctum Philum castris, & prohiberent ne comportari ab Seminaria commeatus posset, & tentarent trahere illum in certamen. Masius igitur (qua erat animi im-

potentia) uenientem in acie conspicatus hostem, expediri arma in ca-
stris confestim iubet, ac relicto Alphonso cum præsidio, qui castris præ
esset, ubi suos conuenisse instructos uidet, huiusmodi est eos oratione ad
» hortatus. Ad prædam potius quàm ad pugnam quo uos horter mili
» tes, monet me tot prælijs spectata uirtus uestra, cui non mœnia obstite-
» re, non rupes, quin ipsi quocunq; tentastis, ui, ferróq; irruperitis. Fer
» ro uos intra munitissimas urbes uiam uobis mihiq; aperuistis, ferro
» æquis in campis deprehensum hostem non semel profligastis, ubiq; ui
» ctores, ubiq; hostium potiti. Aduentanteis ipsi cernitis, ignauissimo cũ
» exercitu, imperitissimos duces, eosdemq́; inter se maxime discordeis.
» Et hæc quoq; ignauissimorum militum messis secanda uobis ferro est.
» Agite igitur fortissimi socij, irruite in eos quo soliti estis robore, qui-
» busq́; uincere consuestis animis. Hac una acie, hoc uno certamine (mi
» hi credite) deletis his copijs, regio omnis nostra est. Hac igitur acie, hac
» una pugna parate uos ad colligendos quos par est, quos fortitudo ma
» net uestra, quàm maxime uberes laborum uestrorum fructus. Ego
» dux, ego miles ubiq; periculorum socius, atq; hortator adero. Hæc ubi
dixit, in hostem instructa acie è monte descendit. Parte alia hostium
duces instructis ordinibus procedentem Masium conspicati, impedi-
mentis ad sinistram accliui in loco constitutis, prægrediente peditatu
aduersus illum feruntur magnis clamoribus, summa alacritate. Du
» ces ipsi suos quisq; hortantur. Agite milites, nocturnos hos latrones
» luce in media quos indepti estis, cædite gladio, figite hastis, sternite ia
» culis. liberate regionem hac peste. uindicate à sicarijs patriam. lux
» uobis auxilio est. Noctu per fraudem, per insidias in tenebris pu
» gnare soliti, quod uidetis, aduerso oculis eorum sole procedunt, ui
» delicet assueti in latebris, dum conspectum hostiũ reformidant, im
» prouisos adoriri. Hæc dies, hæc lux, uestra dextera, animorũ uestro
» rum robur libertatem populis, uobis diuitias, gloriã, decus, otiumq́;
» comparabit. His utrinque duces militem quisque suum adhortantur.
Et iam signa canere incipiebant. Erat medio utriusq; exercitus con
uallis nullo accessu, aut calle, nisi qua publicum iter, ac peregre in-
cedentium uia. Itaq; aduersarum partium duces, quod intellegerẽt
Masiũ, quo impetu rapiebatur, conuallem transiturũ, alam à sinistra
lectissimorũ equitum collocarunt. Ille ad conuallẽ ut peruenit, turmas
eqtum quatuor, aliam post aliã trans conuallem immisit. Hæ conser
tis acriter manibus, peditatu hinc, illinc hastis equos transfigente, ali-
quanto iã superiores aduersarios propellebant. Aderat ipse inter pri
mos dux, ac nũc ante suorũ ora ferri, nũc gladio hostem petere, peditẽ

immittere, hortari uoce, ſignificare manibus, adeſſe ſe periculorum ſo=
cium, atq; adiutorem. Nec uero duces aduerſarum partium non &
ipſi ferire, cædere, in hoſtem incurrere, uulneratos ex acie ſubduce-
re, integros ſummittere, uirtutem, ac fortiter facta ſuorũ extollere, ele
uare aduerſariorum, Cum iam in hoc ſtatu rerum quinta à Maſio
immittitur turma, è cuius pugnæ euentu in alterutrã planè erat par
tem uictoria inclinatura. Itaq; nihil à militibus, nihil ipſis ab ducibus
omitti, exanimari equites, exanimari pedites, æſtu, labore, puluere,
uulneribus, equi plurimi traſſigi, pedites equorum impulſibus paſſim
ſterni, ungulis atteri, ſauciari, cædi. Tum Maſius eo acrius inſtare.
Nam ſi ut aliâs, hanc quoq; mouiſſet loco turmam, hoſtes ibi in fugam
uerſurus erat. Itaq; ſummis uiribus anniti, nunc ſolus in hoſtem ferri,
nunc alios ſecum rapere, hos dextra, illo clamore impellere. Hic uero
hoſtium duces (quod rem in ſummum adductam diſcrimen intellege=
rent, aduerſariumq́; feſſum iam, uiroſq́; atq; equos defectos uiribus)
alam illam, recentibus equis, uiriſq́;, à ſiniſtra immittunt tanto impe
tu, ut ea impulſu ſuo diſiectum hoſtem diſſipatumq́;, nullis ultra ſub=
ſtentatum ſubſidijs in fugam uerterit. Dux ipſe decem cum equitibus è
manibus hoſtium elapſus Seminariam quàm maxime citato curſu con
tendit, Fugientem pauci ex hoſtibus inſecuti. in queis Capacius Capa
nus, qui dum ab alijs deſeritur, ab alijs qui cum Maſio fugiebant ca-
ptiuus Seminariam ducitur. Strages fuit equorum maxima. peditum
equitumq́; plurimi ſauciati. Maſiani penè omnes capti. cæſi eqtes ali=
quot ſtrenui ac fortes uiri. in ijs Gulielmus Rufus ſclopetaria pila tra
iectus, & quidem dignus ob animi, generiſq́; nobilitatem longiore
uita uir. Dumq; uictores ipſi ad ſpoliãdos qui cæſi iacebant, pha
leratoſq́; conuertuntur equos, Loiſius Gentilis e Maſij præfectis ſtratus
humi, grauatuſq́; uulneribus repertus eſt, quodq́; eo in congreſſu in
galeæ ſuæ cono inſigne ferebat, quod ferre Maſius alijs eſſet in pugnis
ſolitus, dum fama fertur eſſe Maſius, è finitimis oppidis manus quæ in
caſtris tum erat, in illũ uerſa, corporis eius uix partem aliquam, quæ
non aut telo, aut enſe, aut pugione petita fuerit, intactã reliquere, tan
ta propinquorum oppidorum populi in Maſium ira rabieq́; incenſi fe
rebantur. Victor inde exercitus ad expugnanda caſtra profectus, acri
ter ea aggreſſus capit. Alphonſus inter dimicandũ, uallo furtim egreſ
ſus, Burrellum fuga petijt. Hoſtes caſtris potiti, quatriduum in ijs q̃e
uere, dum uulneratos curant, recenſitiſq́; captiuis prædam partiun-
tur. Inde Seminariam profecti, duobus circiter paſſuum millibus ab
oppido Petracem ad flumen metantur, rati oppidanos deditionem fa=
cturos, dum

ctūros, dum agrorum uastationem minime toleraturi uidentur, Cum interim exercitus rei frumentariæ extrema penè inopia laboraret, ut qui armentariæ tantum prædæ rapto, animaliumq; aleretur uiscœribus, triticoq; subuiridi è messibus uix dū maturis excusso, eoq; aut pruna, aut caldarijs excocto. In hac itaq; deditionis expectatione cū essent, Baldasinus, cuius ut corporis, sic animi quoq; incomposítæ admodum, ac uastæ uires erant, leuissimas ob causas, ira atq; indignatione præceps, equestris militiæ quosdam, alios hasta, alios fuste cum percussisset, tumultuantem penè omnem in se exercitum traxit, dum equites alij, dum equitum præfecti indigne, impotenterq; ab illo factum, ægerrime ferunt, criminantiumq; in castris audiuntur clamores. Is igitur, ut erat animi impotens, atq; intractabilis, conclamatis uasis, repente è castris se proripit, profectusq; in agrum Giraciēsem, maritima in ora consedit. Quo facto duces alij quod impotentiam hominis, furiasq;, nec precibus, nec ratione ulla lenire potuissent, & ipsi dissoluto exercitu ad oppida quiq; sua, agrosq; reuersi sunt, cognitumq; præcipue tunc est, Baldasinū, cuius in Europa clarum admodum nomē erat, quod sæpius in singulare certamen cum prodijsset, uictor semper euaserat, uires illas corporis admirabileis, tantumq; membrorum dexteritatem, animi morbis, moribusq; fœdasse intolerādis, naturamq; ipsam, qua gignimur, quibus hominibus, corporis attribuendis uiribus maxime consuluerit, eisdem animorum conferendis uiribus, æque uix unquam prospexisse. Quippe quæ huic uiro parū pensi, nihil omnino moderati indiderit, cuius animus esset trux, uiolentus, inexorabilis, uastus in cupiditatibus, fœdus, crudelis, immanitate etiam fera. Huc accedebat, quod in tanta elatione, hominumq; despicientia, bellicis in rebus parum se pro hominum opinione, ueteriq; dignitate gesserat. Is igitur Brutianum in agrum è Giraciensi profectus, Turrim quæ Brutiana dicitur, die noctuq; cū acriter oppugnasset, irrito inde incœpto abijt, cumq; castellis ab alijs esset repulsus, quod Alphonsus Centilia magnum in singulis peditum præsidium imposuerat, quodq; intellexerat Alphonsum Ferdinandi filium mari ad orā Cossentinā appulisse, ualidisq; comparatis copijs cum Antonio, et Luca simul aduersum se parare expeditionem, Rocellam se contulit, distributisq; per oppida quæ ei parebant militibus, decreuit illic Alphōsum expectare. Inter hæc post Baptistæ legati discessum Loisius Arenās sibi, rebusq; suis iuxta metuens, per Alexādrū Tosum ueterē familiarem egit cum Alphonso de conciliatione. Eo igitur dedito, receptisq; oppidis omnibus, quæ sub eius ditione erant, Alphonsus aduer-

ſus Baldaſinum proficiſcitur. Ferdinandus enim pater cũ intellege-
ret Brutiorum res laborare præfectorũ ambitione, ducumq́; ſuorum
ſeditionibus, decreuit eò Alphonſum, qui eſſet liberorũ ſuorum omni
um natu maximus, mittere, fore ratus, uti duces, præfecti, proceres, re-
gionis uniuerſæ populi, Alphonſi dictis iuxta omnes parituri eſſent,
imperataq́; obtemperanter facturi. Is itaq; è portu Neapolitano ſol-
uens duabus cũ triremibus, felici nauigatione uſus, acceptusq́; à Luca
quàm familiariſſime, per eius agros Coſſentiam profectus, ibiq; con-
uentu habito ducũ ac procerũ, qui patris imperio parentes tunc erãt,
coniunctis ſimul copijs ab obſidendam Rocellam progreditur. Id eſt op
pidum Ionium ad mare ſitum, naturaq́; ac manu ſatis munitũ, quod
Baldaſinus præualido tuebatur cum præſidio peditum, atq; equitum.
Itaq; oppugnatio perdifficilis erat, multiq́; quotidie baliſtarum, æneo
rumq́; tormentorũ crebris excuſſibus ſauciabantur, & quanquam ob
ſidio ipſa apparebat futura diuturnior, diffiſus tamen Baldaſinus re-
bus ſuis, quodq́; acerbiſſime imperitaſſet, ſibi prætimens, ſub ſpeciem
aduehendorũ è Sicilia auxiliorum, triremẽ aſcendit, quæ ad ancorã
ſtabat, noctuq́; cum liberis in Siciliã nauigauit, cohortatus prius mi-
lites, uti fidei, amicitiæ, priſtinæq́; fortitudinis memores eſſent, breuì
ſe affuturũ pollicitus, magnis cum auxilijs, bellicisq́; omnis generis in
ſtrumentis, diemq́; expectandi ſui cũ illis ſtatuit. Alphõſus ubi intelle
xit Baldaſinum relicto oppido in Siciliam nauigaſſe, eo acrius oppu-
gnationi intẽtus erat. Itaq; nihil remiſſe ab ſuis agi ſinere, nihil apud
obſeſſos quieti eſſe, ſumma omnia diligentia adminiſtrare, tentare ob-
ſeſſorum animos, ac maxime militum, pellicere eos ad deditionem pe-
cunijs, præmijs, pollicitationibus. At milites quanquam obſtinatis ani-
mis obſidionẽ, diurnosq́;, ac nocturnos labores nõ minus pertinaciter
ſuſtinebant, quàm fortiter, tamen cum ille nec ſtatutã rediſſet ad diẽ,
nec aut reditus eius, aut auxilij reliqua eẽt ſpes ulla, atq; in dies omnia
apparerent difficiliora, Cũ ſe deniq; fruſtra à Baldaſino habitos intel
legerent, ſcriptis conditionibus ſeq́;, atq; oppidũ Alphõſo dedidere, po-
pularibus publice priuatimq́; data uenia. milites pleriq; acceptis ſtipẽ
dijs ĩ Ferdinãdi uerba iurauere. Quod exẽplũ alia itẽ oppida quæ
Baldaſino parebant, ſecuta ſtatim ſunt, quiq́; itẽ eqtes in illis erant.
His peractis Alphõſus cõpoſitis pro tẽpore populariũ rebus Penteda-
ctylos cum exercitu proficiſcitur quod caſtellũ millibus paſſuũ quatuor
abeſt à litore. Caſtellani haud procul à caſtelli porta munitionẽ lõge
prius erexerãt, q̃ Alphõſus tanto eſt aggreſſus impetu, ut caſtellani me
tu pterreti, ea deſtituta intra Caſtellũ ſe reciperẽt, qbus trepidãtibus
immixti hoſtes caſtello potiti, illud diripiũt. Maritimã inde porã in-

ſtructo exercitu procedit ad Mottã Anomeriã. Tẽtatisq; animis Motta
norũ, cũ deditio negaretur, iuſſit tormẽta ab Rhegio feſtinari, interim
munitionẽ ſummo ſtudio erigi, q́q; ſolũ eſſet glareoſum, materia ex
arborũ ramis cæſa, parũ poterat, aggeſta, quæ male inhæreret, terra
cõtegi, cũ aggeres lignea, q̃ terrena materia magis cõſtarẽt, q́q; æſtiui
torrerẽt calores, breui materia oĩs aruerat. Hoc aĩaduertẽs Mottæ præ
fectus, q hoſtibus in cõſtituẽdis munimẽtis quaſi timẽtis ſpeciẽ præ-
buerat, nactus occaſionẽ flãtibus auris, die medio ignẽ ſulphurea ad-
miſtũ materia imiſit, raptimq́; oĩs ea aggeſtio cõflagrauit. Quod æger
rime cũ ferret Alphõſus, iuſſit denuo aggeres reſtitui, ꝙ eſſet futurum
bõbardis, atq; earũ excubijs munimẽtũ. Quibus reficiendis magnis
laboribus ꝑmulti dies cõſumpti cum eſſent, bõbardæq; ex præſcripto
collocatæ, ualido ẽt præſidio illis ĩpoſito, rurſus præfectus nocturno
tẽpore, cõparatis prius ſulphurei pulueris ſacculis, uaſculiſq; itẽ olei,
magnoq́; ſilentio, cõſperſis oleo exterioribus tabulis, ſacculiſq; paſſim
iactatis, ac ſopitis de multa laſſitudine uigilijs (nã et ipſe ad multã eos
noctẽ defatigauerat) ex ĩprouiſo ĩferri ignẽ iuſſit, quo ſtatim cõprehẽ
ſis undiq; munitionibus, uno oĩa tẽpore ignibus ambuſta ſunt, tela, cly
pei, thoraces, armorũq; oĩs generis nõ exigua copia. Vigiles tãdẽ exciti
flãmarũ ſtrepitu, materiæq; crepitãtis fragore, adhæc illorũ uocibus q
è muris inclamabãt, uix incẽdio elabũtur, hĩc fumo cõſpectũ eripiẽte,
illinc flãmis fugã impediẽtibus. Igitur ubi ſol illuxit, caſtellani irride
re uanos militũ labores, cõtẽnere tot operas, tot irritos conatus, ludere,
cachinnari, exprobrare. Illi dolere tot dies in caſſũ abſumptos, pude-
re ignauiæ, accuſare præfectos. Hi uigilũ ſecordiã, cœnas, atq; intem-
peſtiua cõuiuia. Alphõſus ira, ĩdignatiõeq; angi, turbari, penè furere.
In hac itaq; eius ꝑturbatiõe, ludificatiſq; cõſilijs, hoſtes qui extrema la
borarẽt aquæ penuria, ꝑ hominẽ Antonio Cẽtiliæ cognitũ, cuius cõſi-
lio, atq; opa Alphõſus in primis utebatur, egerunt cũ illo deditione.
Antonius in re præſertim deſꝑata, hoc cognito ad Alphõſum proꝑat,
rẽ explicat, hortatur, monet, oblatã deditionis occaſionẽ elabi è mani-
bus ne patiatur. Cuius authoritate ꝑſuaſus Alphõſus, cõditiõibus ſtati
ſubſcribit, caſtellũq; ĩgreſſus, ubi cõperit aquæ reliquũ quãtũ eo die
ſatis eẽt, neq; amplius caſtellãis eſſe, admiratus hoſtiũ ſolertiã, ac fidẽ,
maximis extulit eos laudibus. Anomeria recepta ad Mottã Ruſſã co-
pias admouit, ꝑfectiſq; ſumma celeritate, nõ minori ſtudio munimẽtis,
collocatiſq; tormẽtis æneis, ijsq; de cœlo aſperrima tẽpeſtate tactis, ma
ximo exercitus terrore, cũcta cœlitus exarſerũt, fulminiſq; afflatu qua
tuordecim ĩtra munitiões ex præſidiaribus exanimati. Sãcius Agerba

munitionũ præfectus eadẽ procella attonitus uix poſt dies plurimos ad
ſe rediјt. Reſtitutis uero munitionibus, multis laboribus, magnis operis,
cũ nihilominus caſtellani pertinaciter ſe defenderẽt, Antonius quidã, q
è monacho per ſummũ ſcelus factus eẽt, miles, atq; ob morũ improbita
tẽ agnominatus Gabadeus, cũ eẽt ipſe unus è turris cuſtodibus, obtulit
popularibus clàm ſe trãſiturũ in hoſtiũ caſtra, tormẽtaq; clauis ferreis
cõfixurũ, ne diſplodere poſt id poſſent. cuius cum eſſet conſiliũ ab illis
laudatum, ipſe furtim caſtra ingreſſus Centiliam adit, offertq; prodi-
turum ſe Alphonſo turrim, ſoluto pretio, ſignaq;, ac diem conſtituit.
Re ab Alphonſo comprobata redit intra caſtellum, hoc prius cum Cẽ
tilia compoſito, ut perinde, atq; tormenta confixa clauis eſſent, nequo
modo aliquandiu diſploderent. Reditus eius maxime acceptus popula-
ribus, præſertim nõ diſplodentibus bõbardis, confirmata fide promiſ-
ſorũ. Igitur Gabadeus diem ad dictã turrim aſcẽdit, aliquantũq; ca-
ſtra munitiões q; conſpicatus, ac ſi magnũ etiã aliqd animo aduerſus ho
ſtiũ munitiones agitaret, ꝙ ſol eſſet ardentior, rogauit ſociũ, q unus cũ
ipſo aſcenderat, pileũ ad ſe uti deferret feruentiſſimũ ſub æſtum inte-
gendo capiti. Itaq; ob eam ille cauſam ubi è culmine deſcendit in imũ
turris, confeſtim Gabadeus ſubductis ſurſum repente ſcalis, palliũ ha-
ſta infixũ, quod ſignũ proponendũ conuenerat, è propugnaculis præ
tulit. Milites q ad munimenta instructi paratiq; aderant, ſignũ conſpi
cati, turris ad uallũ magno impetu concurrunt, atq; inde intra tur-
rim excepti in caſtellũ irrũpunt, captumq; cõfeſtim, ac direptum, atq;
Alphonſi iuſſu inceſſũ eſt. Turris ad ſolũ diruta. populares magnis pro
poſitis ſupplicijs ni parerent coacti Rhegiũ commigrare. Tentata inde
in caſſum Sãcta Agatha, cum oppidũ eſſet maxime omnium munitũ,
ac ciues ipſi ſupra omnes mortales Andegauienſis factionis ſtudioſi,
Baptiſtaq; haud inualidum ſecum haberet præſidium, decreuit Al-
phonſus Coſſentiam regredi, apud Flumariam oppidum aliquantum
temporis Centilia cum copijs relicto. Biennium inde Baptiſta, pacata
iam uniuerſa regione uexauit finitimos, magnis prædis ſæpius aba-
ctis, nec prius oppidum ſe ſe dedidit, quàm Ioannes è Maſſilia Bapti
ſtæ ſcripſit, ſuadere populo deditionẽ, quàm ijs populus conditionibus
fecit, uti ſub Bartholomæi Cardinalis moderatione eſſet oppidũ, fra-
terq; eius Florius ius eis nomine Cardinalis diceret. His peractis Ba
ptiſta, fide publica ab Alphonſo accepta, cũ ijs omnibus, qui remanere
in patria recuſarunt, Meſſanã primo in Siciliam traiecto freto, Nar
bonenſem inde in Galliam ad Ioannem mari delatus eſt. Hæc per id
tempus in Brutijs geſta.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER QVARTVS.

Adem æstate Tarentinus adulta iam in campis segete, cum omnis in unum coegisset copias, infestissimo exercitu Andriã petit, castrisq; propius admotis, obsidionem quam destinauerat, pertinacissime aggressus, mœnia pluribus simul locis quatit, nihilq; remissum, aut quietum esse apud circunsessos, et laboranteis sinit. Quoq; à Francisco Duce magis magisq; ciuium alienet animos, atq; atrocius terreat, non solum agros uastat, diruitq; ædificia, sed domos, atq; frequentia urbis loca æneis tormentis die ac noctu quassat, non sacris, nõ profanis abstinens. Apparebat illum ita necessitudinis & humanitatis oblitum, ut nihil præter urbis eius ruinas, præter Francisci, ac Pyrrhi sanguinem, Bauciæq; excidium gentis cuperet, odio atq; immanitate præceps. At Franciscus, quod unum, ac maximum obsessis urbibus remedium ac præsidium esse solet, ciues humanissime alloqui, appellare singulos, sua maiorumq; suorum publice, priuatimq; benefacta memorare, de Rege liberalissime polliceri, auxilia propediem affutura dicere, nec passurum fortem, atq; amicum Regem, deditissimum sibi populum, benemeritum Ducem, cum gente Baucia, cum uxoris suæ sorore, indefensos, desertosq;, hostis prædam, ac Tarentini spectaculũ fore. Hæc aliaq; ingentem præ se spem ferẽs commemorat. Nec uero Sanxia uxor, uirilis animi matrona popularibus suis deerat, discursare per urbẽ, sua præsentia, sua oratione plurimum spei, plurimũ illis firmitatis addere, uulneratos solari, egentibus subuenire, in summis difficultatibus summum robur ostendere, omnia ab utroq; dici, agiq;, quæ confirmandis animus, leuandis laboribus, solandisq; præsentibus malis conferre intellegebantur. Regem uero literis, ac nuntijs quo in statu res essent, certiorem facere, rogare uti quàm primũ auxilia mitteret, Se in dies magis ac magis premi, populum Andriẽsem imbellem, uerendam hominum inconstantiam, præsertim in magna annonæ difficultate, arcem in urbe nullam esse, in quam confugiat, itaq; urbe amissa, ne spem quidem reliquam aut tutandi sui, aut illius aliquando recuperãdæ. His rebus permotus Rex, quod unũ tunc afferre auxilium poterat, non dum enim à Pontifice, atq; à Francisco Sfortia stipendium militibus missum fuerat, & ipse magna la-

borabat ærarij difficultate, Alphonsum Daualũ, qui Ariani in Sãnitibus hyemauerat, quanto celerius possit, subsidio ire iubet, pecuniam'q;, quantam pro tempore poterat, at eum mittit. Magnis interim Andria in periculis uersabatur. mœnia pluribus locis corruerant. deiectæ è turribus plures. corruentium murorum ruinis fossæ impletæ. plurimi intus dum aggerem extruunt, dum propugnacula erigunt, uulnerantur. non pauci etiam cadunt. Iulius Antonius Tarentini gener, quod Picininus Frãcisci res perditum iri nolle, propter ueterẽ amicitiam putaretur, author atq; hortator nihil reliq facere, nullam obsessis intermissionẽ, nullã quietem diurnã, aut nocturnã esse pati. Cæterum non exiguum ad salutem popularium remedium erat, quod Andria non modica è parte antris habitatur, unde sunt, qui nomẽ duxisse illã credant, his se pleræq; mulieres, atq; imbellis ætas continebat. Franciscus Dux dum ijs qui ad aggerem laborabãt, socius, atq; adiutor adest, dũ suos confirmat, cognitus ab hoste parum abfuit, quo minus tormentario ictus lapide sub corruentis muri ruina decumberet. Quotidiana prælia conserebantur, ne quietæ quidẽ à certamine noctes erant. Hinc atq; illinc multi uulnerati, aut occisi. Quo tempore Franciscus dũ laborantibus suis equo uectus noctu accurrit, atq; ante eum facula incensa præfertur, atroci colubrina Tarentini iussu petitus est, quæ posteriorẽ equestris sellæ partem secum auulsam trahens, illæsum illum tamen, solo deturbauit. Ad hæc hostis ipse, quo præsidiarius Pyrrhi miles defatigatione, uulneribus'q; cõfectus, rem Andriensem imbecilliorẽ redderet, de industria, repentina certamina excitari iubebat, ac subinde ad arma concursari. Mittitur etiam à Francisco Barolum ad Barnabam, qui tum rei Barolitanæ præerat, uti peditem quo ipse maxime egeret, quoq; illum paucis ante diebus iuuisset, confestim remitteret. Nam quia corona cingi urbem passus non esset, facilis adhuc intra muros illi exceptus foret, Quod ab illo, dum sibi, rebus'q; Barolitanis uehementius timet, per negatum est. Dũ hæc ad Andriã gerũtur, Mineruinũ à Pyrrho ad Tarentinũ, missis ab illo qui oppidũ acciperent, deficit. Qui Pyrrhi partes fouebant, corũ pars in arcem confugiunt, in qua Maria Donata, Pyrrhi coniux cum paruis liberis, ipsa grauida, et maturo propè partu erat. quorum bona statim direpta sunt. Arx ne qua ijs q in eã confugerant fuga pateret, ne'ue intra accipi præsidiũ posset, ab ijs q Mineruinũ curabãt, præsidio ĩposito cingitur. At res Andriẽses quotidie magis ac magis ad excidiũ spectabãt. frustra subsidiũ expectabatur, et quãquã in hac obsidiõe maxime cognitũ est, nullũ firmius ciuiũ be

neuolentia munimentũ eſſe, tamẽ cum animi omniũ feſſi uiderẽtur, ſpeſq; in dies minor eſſet, ab hoſte uero quæ ad oppugnationẽ perti nerent, ſumma cura adminiſtrarẽtur omnia, annona propè nulla eſ= ſet, præter hordeaceum panẽ, eumq; pauciſſimorum dierum, reſq; in anguſto uerſaretur, & iam Alphonſus aduerſus Regis præſcriptum in Samnites, Pelignoſq; iter diuertiſſet, nec à Barolo ſubſidiũ ueniret, tum uero primum Franciſcus Dux neceſſitate uictus cogitare de con ciliatione cum Tarentino cœpit. At nihilo imbecillius, aut minus ſtre nue in tanta militum paucitate, mœnia, turreiſq; tutatus eſt, centum quinquaginta bombardis opportuna per loca diſpoſitis, ut ne ipſas foſ ſarum ripas attentare hoſtis unquam ſit auſus. Quócirca facundo cuniculo, quo intra urbẽ noctu irrumperetur, magna cura dari ope ram Tarentinus iuſſit. Re autem à Franciſco cognita, nihil ab eo o- mittitur, quo fruſtrari hoſtiũ conatus poſſet. Itaq; dũ irrumpere hoſtis intra muros parat, Franciſcus patefacto cuniculo ſuo, ſublatis clamo= ribus in hoſtẽ fertur, et quãquã ignis, incendijq; fomenta parata erãt, quo urere illos ad unũ intra cuniculũ deſtinarat, religione tamen ui= ctus, ac rerum humanarũ memor, abſtineri incendio iubet, captoſq;, atq; armis exutos illos, ac per domos diſtributos, familiariter accipi à ciuibus imperat, atq; ubi illuxit, benigne appellatos in caſtra cum ue ſtimentis remittit. Qua è re illorum ita ſibi deuinxit animos, uti re= perti ex eis fuerint, qui per famulos, aut amicos ſuos clàm frumen- tum, cuius inopia premi urbem ſciebãt, aut intra urbẽ immitterẽt, aut in ipſas foſſas excipiendum noctu ab oppidanis, deijcerent. Qui bus artibus aliquot diebus fames in urbe tolerata eſt. Cui rei Ta- rentinus quod proſpicere nullo modo poſſet, dolore, rabieq; conficieba= tur adeo, uti ſagittis baliſtarijs ueneno delibutis tollere Franciſcum è medio, pretio corruptis baliſtarijs tentauerit. Igitur cum ab illo tentan di gratia noti qdã homines miſſi intra urbẽ ad colloquiũ eſſent, atq; in ijs Laurẽtius Miniatus uir utriq; propter ſyderũ cognitionẽ notus, et ob animi integritatẽ, ac fidẽ gratus admodũ, atq; acceptus, agere cũ eo Frãciſcus ſtatuit de conciliatione. Sed cũ aĩo deſtinaſſet ſe ſe nunq̃ in Ioãnis, Renatiq; nomẽ, uerbaq; iuraturũ, quod Tarẽtino nequaq̃ di= ſpliciturũ ĩtellegebat, ita qdẽ cõuenit, uti Frãciſcus ſeq;, urbẽq; in fidẽ Tarẽtini pmitteret, ſcriptiſq; in hanc formã conditionibus, diebus no uẽ et quadraginta, ex quo obſideri cœperat, deditur. Quæ res in Ioã nis aĩum altius deſcendiſſe dicitur. Pyrrhus filius noctu cũ paucis eq tibus, ut q Tarẽtini conſpectũ adire, ac ferre nollet, fugã arripuit. Fa cta deditiõe, rebuſq; è formula cõpoſitis, Tarẽtinus ad arcẽ expugnã=

dá, Mineruinũ partẽ exercitus mittit, ob Pyrrhi fugam longe infensior factus. Qui postquam nec precibus, nec minis tentatam impellere ad deditionem Mariam nequit, arcem non minus crudeliter, quàm pertinaciter oppugnari iubet. Concutitur itaq; assiduis tormentorum ictibus. Labefactantur pluribus etiam locis muri. Ipsum quoq; gynæceũ, ubi mulier pleno utero, languẽti corpore, ingentibus uicta malis se se continebat, patrui iussu plus etiam quàm hostiliter pulsatur, oppugnationem tamen uerius quàm obsidionẽ supra muliebrem animum fortiter substinet. Addit igitur eius constantia, obstinatioq́; propugnatoribus animum, paranturq́; ab ijs ad propugnandum opportuna, quantum ars, quantum pertinacia ualet. Quæ res Tarentini animum eò acrius irritabant. Itaq; eius iussu expugnationi necessaria, mira celeritate, summo studio, diurnis, nocturnisq́; expediuntur laboribus, Quoq́; Mariæ prospectum fœdet, ac lucem ipsam qua nil est mortalibus gratius, ante os illius, oculosq́;, suspendio confectum hominem in iugo statui iubet. Circunsonabant omnia minarum, ac terrorum plena, palamq́; audiebantur uoces, quibus significabatur, fœda exempla, atroceis cruciatus, crudelia supplicia parari. At uero significatum ubi est ei, Mariam morbo simul, partitudineq́; aggrauari, uictus pietate, senis, ac patrui animus, memorq́;, ex fratre, quem unice amasset, genitam (adeo in acerbissimis etiam odijs naturalis persæpe recursat affectus) quotidianum ad eam uictum deferendum curauit, qualis languentibus dari solet. Hæc ad Regem perlata cum essent, eius animum uehementius perculsere. mouebant amissa oppida, in primis uero nequid in Franciscum Ducem crudelius admitteretur. Inexorabilis enim Tarentini animus iure plurimum suspectus erat. At Maria quod nulla ulterius tuendæ arcis spes esset, muri solo æquati, munimenta euersa, ac disiecta ab imo essent omnia, nullum deniq; auxilium paratum intellegeret, nec sustineri iam oppugnatio posset diutius, capta uerius, quàm dedita, exuta penè bonis omnibus, ac maledictis oppleta, cum liberis Spinaciolam à patruo mittitur. In eos, qui in arcem confugerant, sæuitum est. Arce capta, Mineruino mouens Tarentinus, Canusium proficiscitur, arcis præcipue potiundæ cupidus. Intellegebat enim canusio capto, Barolum, & quicquid trans Aufidum esset amnem, breui suam sub ditionem iturum. In hac obsidione illud auare nimis, impotenterq́; admissum est. quod dum thesauris inhiatur absconditis, ne à sepulcro quidem maximi principis, Boamundi temperatum est, quod aliquot etiam seculis, atrocissimorum quoq; bellorum turbinibus intactum, inuiolatumq́; extra urbem in

Sabini templo magna quadam religione permanserat. Quod facinus palàm docuit maxime fœdũ, ac detestabile animorũ malũ auaritiã esse, sacra, profanaq; in æquo eam ponere, rapiendi licentiam, summum ius ducere, nullũ deũm metũ, nullũ honesti respectum habere, id demum decere, fasq; esse, existimare, parto quauis ratione plurimũ abundare. Sunt qui Tarentini hoc iussu, alij Picinini factũ criminentur, illud satis constat, Tarentini iussu euulsas fuisse templi fores, ex ære conflatas, quas post ipse templum ingressus religione ductus restitui iusserit. Cæterũ Canusiũ urbem fuisse ciuibus, aduenisq; maxime frequentem, secundumq; Aufidũ flumẽ positam, emporiumq; regionis eius, ambitus ipse ac situs argumento est. Nã & Cannensis cladis tempore, multa Romanorũ millia, quæ illuc confugerant, amice liberaliterq; accepta pauit, & ad Viscardi usq; tempora caput regionis fuit. Quam, ob defectionẽ, expugnatã, incensamq;, ac solo æquatam memoriæ proditũ est à rerũ scriptoribus, ijsdem fere quibus à Roberto temporibus Roma quoq; magna è parte incensa est, dum Gregoriũ septimum Pontificẽ Maximũ illic circunsessum, ab ira Errici Tertij ereptum liberat, ac Salernũ secũ ducit. Aedificatũ autẽ ab Diomede unà cum Harpis, ac Siponto, non desunt è Græcis qui tradant, dũ Europã, atq; Africã fere omnem colonias esse suas uolũt. Tempestate uero hac nostra præter tumulũ, in quo arx tunc erat, præterq; Sabini templũ quod extra tumuli muros situ est, solo iacent æquata omnia, uixq; aliquod tantæ urbis uestigiũ extat, cuius profecto excidiũ non parũ uidetur contulisse Baroli affinis oppidi frequentiæ, ac celebritati, dũ propter agri uicinitatẽ, rerumq; opportunitatẽ maritimarũ, ciues patria amissa eò commigrant. Siquidem Heraclius Imperator, dũ transportandis à mercatoribus ex Apulia in Macedoniã Epirumq; præcipue mari, prospicit mercibus, dũ nauigantium saluti, onerãdarumq; frugũ commoditati, publicisq; portorijs ratione hac consulit, molem eo in litore iecit, quæ nunc quanquam partim oppleta est ciuiũ ob negligentiam, partim nullo reparante maris quassata fluctibus, magno tamen usui est onerandis, atq; exonerandis nauibus. Extat etiam ænea Heraclij statua, quæ ad molis initiũ ob eius iactæ memoriam, tunc erecta fuit, id quod statua ipsa etiã dextra protenta significat. Hæc dũ à Ioãne Antonio geruntur, Ferdinandus signis ad Suessulã in Campania de more lustratis, dieq; ad conueniẽdũ dicta, ipse modicis itineribus in Samniũ profectus secũdũ Lauellã (id riuo nomẽ est) castra posuit. Ibi uiginti dierũ, dũ eques cõuenit, statiua sunt habita. Quo tẽpore exploratis hostiũ cõsilijs, ꝙd aut se quẽ

dũ, aut cauendũ eſſet, animo continenter agitabat, pluribus ſimul rebus intentus, populos enim qui in fide, officioq; perſtabant, nullis non rationibus, atq; artibus confirmat. dubijs ſpem, fidutiamq; adiungit. qui ad hoſtem defecerant, eos partim minis territatos, partim impunitate propoſita, ut ad officium redire mallent, præmijs quoq;, pollicitationibusq; ſolicitatos inuitat. quid in Pelignis, Marſis, Brutijs fieri placeat, ducibus præſcribit. nihil à quoquam remiſſe agi, nihil ſegniter geri paſſus. Igitur undiq; coactis copijs, cum ex communi ducũ ſententia bellum in Apulia gerẽdũ decerneretur, nequid hoſtile à tergo relinqueret, aliquot caſtella, quæ in Apuliã deſcẽdẽti ad Apẽnini radices poſita iter reddebãt infeſtius, prius expugnare decreuit, ac die profectionis edicto, ſecundis caſtris cum ſeptem ac quadraginta equitum turmis ad Aquã Diã profectus eſt. Id caſtellũ loco edito ſitũ, qua ſolis occaſum proſpicit, ſanè anguſtũ habet aditũ, tractuq; ſatis breui. cætera fermè omnia rupes occupant. Caſtris pro loci natura poſitis, cum oppidani deditionẽ facere recuſarẽt, Rex obſidendi caſtelli conſiliũ cepit. Etiã obſidio ipſa futura diuturnior apparebat, quod hoſtis aduentare nuntiabatur. Igitur eo intẽtiore animo eſſe. oppugnationi opportuna cõparare. materiã undiq; comportari iubere. tormenta ænea è Cãpania magno conatu deuehenda curare. nihil ſegne, nihil remiſſũ pati. Interim hoſtis, quo Regẽ ab incœpto deterreret, relicta Canuſij obſidione, quinq; millibus paſſuũ ab regijs caſtris, ad Foccaciã conſederat. Equitatu quam regius erat aliquanto minore, peditũ uero circiter ſeptem millibus, in quibus ad tria millia baliſtariorũ erant. Qua fidutia caſtellani confirmatis animis, cũ ſe neq; corona cingi poſſe intellegerẽt, & noua quotidie à Ioanne Antonio ſubſidia per agros quàm latiſſimos nocturno tempore mitterẽtur, obſidionẽ in dies magis magiſq; contemnebãt. Nam & munitiones, quæ à regijs excitabãtur, ſecuri deſpiciebant, & quotidianas penè eruptiones ex oppido cum facerẽt, prælijs ita laceſſebãt, uti multos è regijs uulnerarent. Cæterũ in caſtris laborabatur uehementer inopia commeatus, quod neceſſe erat ab longinquo ſummis laboribus, maioribus etiã periculis importari, cum hoſtis interi aſſidue laceſſeret, ac nunc in pabulatores, modo in frumentatores illatus, nihil tutũ, nihil quietũ, nõ die, nõ noctu apud regios eſſe ſineret, Adhæc & Iacobus Vrſinus, qui Sanctam Agathã proximũ tenebat oppidũ, belli ſe mediũ gereret. Magnã forte Rex poſt aliquot obſidionis dies equitũ manũ è caſtris emiſerat, quæ præſidio tum ijs eſſent, qui tormenta deuehebãt, tũ gregario militi, atq; calonibus, quos in loca diuerſa, pabulãdi, ac frumentãdi

gratia multos dimiserat. Hanc occasionẽ nactus aduersarius, hora
diei fermè quarta, instructo agmine, tanta celeritate mouit à Foccia,
uti eodem tempore & nuntius in castra quanq̃ citatissimo equo per=
uenerit, & hostis stare iam in acie conspiceretur. Ferdinandus repẽ-
tina re permotus, & quid hosti consilij esset, incertus, quod ancipiti in
re fieri solet, omnia oculis, animóq; lustrabat, & quanquã hostium
incursus, temporis'q; exiguitas nihil quieto consilio geri sinat, confesti
tamen pedites, quos paucis ante diebus scripserat, quorum etiã maior
pars ab hoste transfugerat, ne eruptionem castellani facerent, pro fos
sis arcte collocat, ignem'q; à munitionibus arceri iubet. Strenuũ quẽq;,
ac maxime fidum, quẽ aut casus obtulerat, aut ipse nominatim euo=
cauerat ad repentinos coercendos impetus, ubi magis opportunum ui
debatur, curare, atq; adesse imperat. Tribunos, præfectos, duces, aliũ
alij muneri destinat, et quid facere quenq; uelit, demonstrat. His actis
pro præsenti re, atq; copia, satis castris prospectum ratus, Robertum
Calatinum cum equitibus quadringentis, quanta maxima posset cele=
ritate, ijs qui in pabulatione occupati erant, subsidio ire iubet. Ipse eq̃=
tibus, qui pro statione armati, atq; instructi aderant, hosti iam è col
le in planitiem quæ sub ipsis castris non admodum lata suberat, de=
scendenti in aciem, iussis occurrere, reliquum exercitum cogit. ordi-
nes disponit. ne quid ab latere, aut à tergo incommodi accipiatur, pro=
spicit. nunc singulos, nunc uniuersos cohortatur, bono animo essent, im
petum hostium tantisper ferrent, dum gregarius rediret, dum arma
totis expedirentur castris. Hæc agendo, ac nunc hos, nunc illos pristi-
næ uirtutis admonendo, trepidationem sedare, militum animos con-
firmare, erigere spe, præmijs, gloria. Et iam in planitie concurri acri
bus utrinq; animis coeptum erat, res'q; in uniuersi exercitus certamen
expectare uidebatur, hoste copias promouente, regio non solum non
detrectante pugnam, sed ultro etiam ad conserendas manus prouo-
cante. Hæc inter cum aliquantum temporis extractum esset, accur-
runt nuntij, exploratores'q;, qui omnia apud pabulatores, tormen-
ta'q; tuta esse dicerent, nec multo post gregarius cum subsidiario
equite haud procul conspici coeptus est. Quod ubi hostis intellexit,
confestim suos in collem se subducere, atque ad signa redire iubet.
Gregarius cum equite lætis animis in castris exceptus, ubi paulum
modo uires cibo refecisset, & iam omnia in sequendo hosti ab Re-
ge parata essent, ad signa atque in ordines statim ire est iussus. Cer
nere erat, mutata belli fortuna, regium militem spei, atq; fiduciæ ple
num, pugnæ signum expectare, se'q; uix in ordine, conserẽdæ manus

cupiditate, continere. Contra apud hoſtem omnia plena pauoris, atq; formidinis, ſoláq; in fuga ſpem eſſe. Quod ubi hoſtiũ duces intellexere. ueriti ne ſi pugna cœpta eſſet, collatis ſignis, procul à caſtris ſuis, ſole iam in occaſum inclinante, dimicandũ eſſet, citato gradu, ac fugæ maxime ſimili, per ſummum collem redire ſuos in caſtra iubent. Hoc cognito Rex celeriter procedere agmen, qua intercipi poſſe hoſtis iter uidebatur, imperauit, ultimos à tergo qui adorirẽtur, immiſſis, ac iam iam Regis eqtatus poſtremos aſſecutus, pugnam ciebat. Hic ſiue fortuito, ſiue Picinini conſilio, quod à pleriſq; creditum eſt, tantus repente ignis extitit inter utrunq; exercitum, ut non equorũ modo trãſitus flammis interceptus, ſed equitum quoq; aſpectus eſſet fumo, caliginéq; ſublatus, quæ ſubuiridi è ſtramine, fœniliq; materia excitata, cœlum repente omne circunfuderat. Reditum eſt igitur à regijs in caſtra ſub primam noctem, hoſtis ipſius confeſſione, quo minus uictus ipſe, profligatusq; eſſet, fumo, flammisq; prohibitum, Qui ſi quo impetu uenerat, irrumpere in caſtra conatus eſſet, næ dies ille calamitoſum bello finem impoſuiſſet. Satis tamen conſtat Picinini audaciam, Tarentini cunctatione repreſſam eſſe. Die quæ inſecuta eſt, magno militum concurſu, maiore ſpe, tormenta in caſtra perlata ſunt, noctuq; ad iactum muris admota. Vbi illuxit, regij ad munitiones, caſtellani ad muros, qua cuiq; in ſortem ceſſerat, laborare. hi tormentarios lapides ſubuectare. illi aggerẽ intus ſubſtruere. omnia ſumma ui hinc, atq; illinc adminiſtrabãtur. In medio fermè, quẽ diximus tractu, quadrata ſurgebat turris, ad cuius leuã oppidi porta erat aliquãto humilior, à qua ubi paulũ modo proceſſeris, demitti cliuus, atq; in horreſcere rupes incipit. Eã primo turrim demoliri placuit, cuius ruina oppleta porta, muróq; qui portæ imminebat, æquato, aditus intra caſtellum liber militi permittebatur. multis itaq; ictibus die noctuq; labefacta turri, pars eius anterior, opinione citius corruit. Qua è re defenſorũ animi fracti conciderant. At nihilo ſegnius præſidiarius miles propugnacula munire, ne turris poſterior pars exterius procũberet. machinis prohibere. non opera, nõ arte ſibi deeſſe. Rex ubi quæ oppugnãdis mœnibus opportuna eſſent, cõparata intellexit, exercitũ uniuerſum eẽ in armis iperat, ac nequa repẽtinus hoſtiũ icurſus incõmodo eẽ, ne'ue quẽ in caſtris, atq; inter oppugnandũ excitare tumultũ poſſet, itẽto in oppugnationẽ exercitu, militẽ pluribus in locis diſponit, ſimul quid cuiq; agendum eſſet, præfectis, ducibusq; præſcribit. Tum ſigno dato magnis ſublatis clamoribus in foſſas procurſum tanto eſt impetu, ut uallo ſuperato admotis ſcalis acriter pro muris pugnaretur. Caſtellanus

retur. Caſtellanus

retur. Caſtellanus ſaxa conijcere. ſcalas cōminuere. multos ſauciare.
Regius integras alias referre. murum rurſus aſcendere. non uiribus.
non animo defici. Inter hæc Rex caſtra ſubinde circumiens, ac nunc
his, nunc illis ſe locis oſtendens, integros ſaucijs ſummittebat, alios uo-
ce, alios præſentia cohortatus, multa quoq; per præfectos, ac tribunos
adminiſtrabat. Dum hæc à dextra turris parte geruntur, & pugna
aliquantulum extracta, res in expectatione eſſet eorum qui ab leua
dimicabant, tum repente diſploſa bombarda, imminens portæ murus
concuſſus magnis fragoribus corruit. Quo collapſo, qui in propugna
culis conſiſtebant, partim ruina protritis, partim maxime ſimili ful
minis procella deturbatis, regius quanquam fumo, puluereq; offuſus
undiq;, magno tamen adortu intra caſtellum irruit. In ipſo ſtatim in
greſſu aliquot è propugnatoribus cæſi, cæteri ſuperante multitudine
abiectis armis uiui capti. Hinc milites ad prædam uerſi, caſtellum di
ripiunt. Cæterū cum direptio ſpectare in ſeditionem cerneretur (nam
& præda exigua, & diuerſi generis miles erat, adhæc quod hoſtem
eſſe in armis, & aduentare illum fama erat, cum tamen caſtris ſe cō
tinuerit) Rex immitti ignem tectis, pluribus ſimul locis imperauit.
Captum igitur, atq; incenſum eſt caſtellum, undeuigeſimo ex quo obſi
deri cœperat die. Cum interim finitimis è locis partim metu, partim
ſtudio partium, miſſis oratoribus, Regi ſe ſe aliquot etiā caſtella dedi
dere. Biduo deinde quieti militum dato, cum interea de belli eſſet ra
tionibus agitatum, Vrſaria omniū ſententijs, ac totis uiribus petitur,
omniſq; in eam uerſus eſt apparatus, Fore enim ſatis apparebat, ea
capta, uti penè omnia poſt tergum, citraq; Apenninum pacata redde
rentur. Ab qua in uniuerſam quoq; Apuliam, quæ Apennino, Gar-
ganoq; includeretur, liberæ diſcurſiones paterent, Troiæq; quæ regio
nis eius arx eſſet, à qua paſſuū millibus quatuor non amplius abeſ
ſet, nihil tutum, aut quietum relinqueretur. Quo peruentum cum eſ
ſet, Rexq; de more per præconem, uti deditionem facerent, poſtulaſſet,
oppidani quod ſcirent Tarentini copias integras eſſe, nec ſe propter lo
ci opportunitatem deſpiciendos arbitrarentur, Rurſum quod intellege-
rent Aquam Diam ante ducum ſuorū ora per uim captam, igniq;
abſumptam eſſe, ſpe, metuq;, quid potiſſimum ſequerētur, incerti erāt.
Verum quod tormenta propius admoueri ſcirent, quibus admotis, de
dendi ſui arbitrium non facile integrum relinquebatur, ſpem metu
ſuperante, deditionem in quatriduum, ni liberati interea obſidione
ab ſuis eſſent, cum Rege paciſcuntur. Ferdinādus quod per hanc maxi
me occaſionem futurum rebatur, uti collatis cum hoſte ſignis, quod

maxime auebat, decerneretur, quod'q; è campania nuntiabatur Marinum Martianum multis undiq; coactis militibus, ad uiginti equitum turmas, ad duo peditum millia secum habere, quibus aut agrum Cãpanum infestaturus uidebatur, aut in Beneuentanum transiturus, quo Regem ipsum à tergo aut omnino includeret, aut arctius premeret, oblatam ab oppidanis accepit deditionis conditionẽ. Igitur locis circum occupatis,, ne qua nocturno præsertim tempore irrumpere hostis posset, quẽ è Foccia mouisse per exploratores compertum erat, ad eum propellendum summa omnia diligentia ab Rege parabantur.
Interea Ioannes, Picininus'q; (nam Tarentinus quartanæ morbo correptus è castris Spinaciolam concesserat) sub Asculum consederãt. Ibi communicatis sententijs placuit, uti admotis ad Troiã castris, subiectos Apuliæ agros non solum à populationibus tuerentur, uerum etiam fortunam tentarent, siquam liberandæ ab obsidione Vrsariæ inuenire uiam possent. Troia edito in tumulo sita ab occasu, qua arx est, clementi tractu in ortum excurrit æquinoctialem. ipsa oblongior, & maxima è parte positu plano, utrisq; ab lateribus muros cliuo impositus habet, æquato pene ubiq; aggestitia terra fastigio. À qua parte in orientem, ut dictum est, uergit solem, paulatim se campi demittunt, donec in uastam illam planitiem diffunduntur. Ager ipse ficu, uitibus, atq; oleis consitus. Sub ipsum tumulum à septentrione Chilon amnis delabitur, ab Apennino decurrens. Vrbs ipsa, ut annales quidam docent, quandringentos & quadraginta duos ante annos cõdita, Basilij, & Constantini Imperatorum iussu, præsidium, uti authores arbitrãtur, aduersus Normannos, qui finitimis in locis sedes sibi constituerant, bellum'q; aduersus Græcos gerebant. Sunt qui Ecanam eam fuisse tradant, ueterem maxime urbem, atq; à Constante Augusto multo ante dirutam, quo tempore is ab Epiro cum exercitu in Apuliam cum traiecisset, multa ibi fœde, crudeliter, immanem in modum patrauerit, non Ecana modo ac Luceria nobilissimis urbibus solo æquatis, uerum etiam à Remoaldo Beneuentanorum Duce Grimoaldi Langobardorum Regis filio fusis fugatis'q; eius copijs Romam cum concessisset, atq; à Pontifice, ciuibus'q; Romanis liberaliter acceptus esset, publica priuata'q; ædificia, ædes item sacras antiquissimis quibus'q; ornamentis, ac præsertim æneis spoliauerit, in ijs'q; Diuæ Mariæ templum, quod à Marco quondam Agrippa in honorem deorum omnium fuerat conditum, ac sumptuosissime ornatum, detractis inde tum monumentis alijs, tum æneis etiam tegulis. Quibus patratis sceleribus in Siciliam mox traijciens, ea quoq; cum Africa pariter

ac Sardinia per ſummam auaritiã direpta, ante quàm inde decederet
ob ſeuitiam, atq; impotentiam in balneo à militibus cæſus, dignum
ſceleribus ſuis exitum uitæ habuerit. Quin etiam quibuſdam in an-
nalibus comperio Robertum Viſcardum capto Rhegio in Brutijs, cir
ca initia rerum eius, ſtatim in Apuliam profectum, cum à Troianis
urbem ipſam dedentibus uocaretur, adeo inter annalium ſcriptores, et
res geſtæ, & tempora ſimul diſſentiunt. Quippe cũ euocatio hæc ipſa
è Brutijs indicio ſit ante Normannorum aduentum in Apuliam, Tro
iam fuiſſe ſiue conditam, ſiue inſtauratam. Poſitis igitur ad Troiam ca
ſtris, Andegauienſium partium duces cum diuerſa ſentirent, altercan
doq́; aliquantum extraxiſſent temporis, illorum tandem uicit ſen-
tentia, qui cenſerent, uti occupato colle, qui ante regia caſtra non ma-
gno tamen interiecto ſpatio, aliquanto ſurgebat editior, unde et aqua
tionem facile hoſtium prohibere poſſent, & ſubiectos tueri campos, eò
copias traducerent. Occupandi uero collis ratio hæc eſt inita, uti de
quarta uigilia præmiſſo paucis cum equitibus, quo plurimo abun-
darent, peditatu, locoq́; caſtris delecto, reliquus exercitus inſtructo ag
mine, cum impedimentis ſequeretur. At Rex, quod unum cupiebat,
cum in dimicandi neceſſitatem rẽ adductam cerneret, præfectis duci
busq́; i prætoriũ ad ſe uocatis, huiuſmodi ad eos orationẽ habuit. Si q̃
» occaſionẽ aut dij imortales oſtẽdunt, aut hoſtes ipſi nobis offerũt fortiſ
» ſime uiri, eam ſeq ducem uolumus. Nó de recipiẽda Vrſaria, ſed de pro
» fligando aduerſario, belloq́; conficiendo nobis potius cogitandum uide
» tur. Quam ob cauſam non tam mihi aut confirmandi eſtis, aut inſtru
» endi ad dimicandum, quàm ſtudijs ipſis ueſtris, ueſtræq́; fortitudini
» gratulandum. Quem enim hoſtem indipiſci in campis auebatis, en
» ante oculos iam habetis, atque in apertis locis poſitum ſpectata uirtus
» ueſtra uel contemptui habere eũ poteſt. Quod obeſſe unũ uidebatur,
» Tarentini illius cunctatoris præſentia, id omnino ſublatum uidetis.
» Ipſi uero inter ſe hoſtium duces non conſilijs modo, ſed animis quoque
» diſſentiunt. Quibus diſſentientibus, quid in militibus eſſe firmitatis
» cenſeatis aut roboris? Contra ſummum in nobis ſtudium, certa conſi=
» lia, firma concordia, miles ipſe noſter præliãdi cupidus, ſigna ſequi,
» atq; ordines ſaruare conſuetus, omniaq́; ad præſcriptum geſturus, ple=
» nus & ipſe ſpei, tantum animi pollicetur, ac fiduciæ, ut iam iam uer=
» ſo in fugam hoſte, cogitandum magis ſit, quónam illum modo ca-
» ſtris exuamus, quàm quibus artibus, aut quo pugnæ genere ſit
» cum eo congrediendum. À me parata ſunt cuncta, quæ conſilium,

" ratio, reiq; militaris disciplina paranda docuere. Vos modo suum
" quisq; militem, seq; & equos curare, armaq; in promptu habere iu-
" beatis, atq; uti de tertia uigilia instructi, paratiq; ad signa conueniāt.
" Quod si quos uultus, quæq; ora nunc uideo, cras ijs similes animos
" habueritis, dicam uobis duces, bellum iam confecimus, nec tam ad cra
" stinam parare uos uictoriam, ac prædam oportet, quàm ad belli præ
" mia accipienda, quanta & à gratissimo expectari Rege debeant, et
" regni Neapolitani amplitudo, atq; opulentia fortitudini promittat ue
stræ. Concione dimissa, præfecti, ducesq; læti, atq; animorum pleni mi
litem quisq; suum curare equos, expedire arma, seq; in crastinam pa
rare pugnam hortantur. præmia cuiq; sua proponunt. regias uires,
sua consilia, atq; opes in maius efferunt. hostem eleuant. in primis ne
quis extra ordinem in aciem prodeat, edicunt. Hisq; rationibus
suorum animis confirmatis, corpora curare illos iubent. Albescen-
te igitur cœlo, hostis collem occupat. Quod ubi Regi cognitum est,
eductis copijs, quas de tertia uigilia esse instructas iusserat, Robertos,
Vrsinum, atq; Calatinum cum ea equitum manu, quæ satis uisa est,
occurrere hosti imperat, post hos Alexandrum cum parte copiarum
mittit. Ipse relicto in castris præsidio, reliquo cum exercitu ad pugnā
instructus progreditur. Descensum in certamen est ab Rege, cum no-
uem & quadraginta equitum turmis. Roberti hostium equitem non
magno conatu è colle deturbatum in fugam conijciunt, inde in con-
fertissimum illati peditem, alter à dextro, alter à sinistro cornu præ
lium committunt. Pedes primo, quod equitatum suum auxilio uen-
turum sperat, impressionem acriter sustinet. multa utrinq; uulnera
eduntur. ex hoste plures cadunt. è regijs equi non pauci confodiūtur,
imparq; erat omnino pugna, quod hostis nullo equestri præsidio, nu
do arboribus loco, irruentem equitē, nec euitare poterat, nec ex æquo
cum illo confligere. Fit igitur magna peditum strages, sustinent tamen.
At ubi fulgentia signa conspecta sunt, & agmen procedere, regiumq;
equitē qui impressionem fecerat, noua subsidia, recentis subinde equos
accipere uisum est, repentinam in fugam uersus, prostratusq; ingruen
tium impetu equorum, pedibus illorum proteritur. Pars decliuiorem
per locum, qua equiti non patebat excursus, præceps ab insequentium
manibus elabitur, seq; trans torrentis ripam, ubi suos in acie stare cō
spexerat, recipit. Alij cæsi, uulnerati alij, aut capti armis exuuntur.
At ubi regio à milite ad ripas uentum est, hic noua rursus pugna
conseritur. Vtrinq; duces acies instruunt. præsidia locant. suos hortan
tur. apparet

tur. apparet totis uiribus, atq; uniuerſo marte decernendum. Procede-
bat Ferdinandi agmen ſuis ſub ducibus, ſuo loco, ſuo quiſq; ordine gra
diens. Quod Picininus conſpicatus, qui trans ripam ſuos colligebat, con
» uerſuſq; ad Ioannem, qui iuxta aderat, næ dies hic inquit, plurimos
» haſtarum truncos, plurimaq; uidebit fragmenta, Cui ab Ioanne ob-
lique reſponſum cum eſſet, quippe qui pugnæ cupidus detrectatum iri
pugnam à Picinino uerebatur, quem producere intellegebat arte bel
lum, ægerrime id ille ferens, indignabunduſq;, qua parte redintegra
ri pugna cœperat, milites ſummittit. Erant omnino aditus duo, & hi
quidẽ anguſti, atq; accliues, quibus regius irrumpere conabatur eques,
quem ſuperiore è loco hoſtis facile propellebat. Magna enim illic haſta
torum manus, non minor ſclopetariorum coacta pugnabat. Quocir-
ca facile equites ab aſcenſu deijciebantur, & qui acrius inſtitiſſent.
uulnerati pedem referebant. Itaq; magni utrinq; clamores tolleban-
tur, ut quis aut ferocius illatus aſcẽderat, aut præceps datus corruerat,
uario euentu, uaria ſpe, ſumma tamẽ alacritate pugnabatur. pedes hic
atq; illinc obteritur. eques eqte ſubſternitur. utrinq; centuriones, utrinq;
tribuni recentes ſummittunt milites. Cadit ibi è regijs tribunus uir
acer, & ſtrenuus. qua è re additus hoſti animus. At regius facto tan-
dem cuneo uictor irrumpit, ripiſq; ſuperatis inde aduerſarios depel-
lit, fugẽteiſq; ad ordines regredi, atq; ad ſigna cogit. Et iam parte-
alia qua ſe campi latus aperiebant, canere ſigna, et concurrere acies
cœperant. primaq; è regio equitatu turma non ſatis proſpere manum
conſeruerat, Cui laboranti, & penè ab hoſte circumuentæ, duas quas «
Alexander ſecum habebat, auxilio mittit. harum aduentu pugna re- «
ſtituitur. Nec minus à Picinino, ac Picinini ducibus ſubſidia mittuntur. «
pluribus ſimul locis certamen initur, pugnaq; pro eqtũ uirtute, proq;
recentium equorũ robore, uel aduerſa erat, uel proſpera. Quod ubi
Rex animaduertit, Vrſum cum globo lectiſſimorum equitum, quem
ad pugnæ difficillima parauerat, aliaſq; atq; alias poſt eũ turmas pro-
cedere paulatim iubet. Quod hoſtis conſpicatus, ſubducere ſe, ac cedere
ſenſim cœpit. Regius eo acrius equos promouet, hoſtemq; iam cogitan-
tem, qua ſe ratione aut in caſtra reciperet, aut intra Troiæ mœnia
magno impetu adoritur. Excepit hic Gallus eques procurrentem re-
gium, ingentibus animis, adituſq; eſt Gallo Hercules Eſtenſis magno
cum equitum robore, lectaq; uirorum manu. Itaq; nec uiribus, nec ani
mis primo cedunt. Stimulabat Gallum animus inſolens, ac natura fe
rox, manum uero Eſtenſem ducis ſui præſentia, & quod ille nihil præ
termitteret, quod ſtrenui militis, aut fortiſſimi ducis eſſet, quippe qui

PP

nunc uoce, nunc præsentia, sæpe gladio suis, modo pluribus, interdum singulis adesset, uir & corporis uiribus, & animo magnus, atq; excellens. Tandem relicti ab reliquo exercitu suffossis, aut iugulatis equis, circũuentiq; ab regijs, partim capiuntur, partim qui equo erant incolumi, cum Hercule duce fugientes, ad suos se recipiunt, qui iam sub Troiæ muris in cliuo constiterant, eos regius insecutus eques cum esset, superiore è loco facile deijcitur. Quo tempore Picininus accliui loco, sub ipsam Troiæ portam, quæ ad Apenninum spectat, ordines de integro restituit, tumulumq́; , qui est ante arcem, præsidijs firmat. Adhæc equitibus turmatim pluribus locis dispositis milites cohortatur, uti pristinæ uirtutis memores locum teneant, regios tam iniquum in locum sine summa suorum clade minime successuros. Si uiri esse uelint, acceptam ignominiam eo loco, eodem die, ipso illo penè momento abolituros. Cuncta esse post tergum tuta, recẽtes equos, recenteis milites, urbẽ, castraq́; subministratura, Contra regias copias eò loci perductas esse, ut neq; explicare se à pugna, neq; recipere ĩ castra siti, laboreq́; equis, uirisq́; confectis, sine multa internitione queant. Redintegratur igitur pugna regio urgente , dum pertinacius iniquum in locum succedit, moxq́; aduersario rursum propellente detruditur, multi tñ utrinq;, cadũt eq, uiriq́;. Quod conspicatus Rex uocatis ad se principibus, cum in maximũ adductã discrimen rẽ cerneret, qd potissimũ sequẽdũ censeant sciscitatus, cum alij sensim recedendum censerent, quod satis eo die, eo certamine actũ iudicarent, alij insidias ueriti, artesq́; Picinini,
" Regi se uti è pugna subduceret, persuadere conarentur. Ad ea ipse,
" quando inquit, dies hic noster est, & nos fortunam hodiernam sequa
" mur. macti uirtute estote, quam e uadentem uideritis, sequimini ducem.
Tum præmissis qui explorarent, ne quæ post tumulos insidiæ essent positæ, concitato statim equo, cum lecta manu equitum , per summum euadit tumulum. Procurrentem Ferdinandum suæ acies, signaq́; sequuntur, atq; omnium primæ, turmæ aliquot recentes, quæ à pugna continuerant, integrisq́; erant uiribus. Ea è re nouus repente ardor equites inuasit. ferro sibi uiam quisq; faciunt. nec turmatim iam , sed confusis ordinibus res geritur. nec tam gladijs mars sæuit, quàm propellentium equorum pectoribus. hos incitabat, quod partam iam uictoriam eripi sibi è manibus indignabantur. illos ducis sui gloria, et multis bellis partum decus. Igitur dũ acerrime haud procul à porta, ac sub ipsis muris ab ijs, qui cliuum tenebãt, dimicatur, interim ab illis, qui in uia paulo à porta longius collocati erant, fuga fieri repente cœpta. Inde premente Rege, multisq́; ex hostibus, & in ijs aliquot

præfectis partim captis, partim equo deturbatis, qui tumulum tutaban tur, ipsi quoq; deserto loco terga uertunt. Ibi undiq; à regijs tanta fa= cta impressio, eóq; incursum est impetu, ut uersis equis hostes, alij in castra secundum urbis raperentur fossas, alij ex equis in fossam de- iecti, ab ijs, qui è muris pugnabant, manibus, scalis, funibus excepti subleuarentur. Ioannes, Piciniusq; magno tumultu intra portam ad missi. quiq; cum ijs erant uix acceptis, porta ipsa repente clauditur, re gio ita urgente, ut quidam hostibus immixti urbem sint ingressi. Si- gna ab ijs qui in propugnaculis constiterant excepta, intra muros cum trepidatione iaciuntur. Rex in fossam quæ ad septentrionem est, equo inuectus, ac fugientibus immixtus in castra hostium contendit, quem Alexander, cæteriq; quanquam diuerso itinere subsequuntur. Vbi in castra peruentum est, confestim nullo defendente capta, dire- ptaq;. Qui è regijs à prælio atq; ab labore recentes erant, atq; inte- gris uiribus, fugientem Luceriam uersus hostem insecuti, in ipsa fuga multos uulnerant, plures etiam capiunt. Rex ubi castra diripi, & iam nihil ultra ex præscripto geri sensit, haud procul à porta, quæ ad orientem spectat, signa in uia constituit, eaq; præsidio firmet, edi- citq; nequo casu locum deserant. Interea uictor miles totis campis ua gatur, longiusq; fugienteis ad multam etiam diem insecutus, atq; in prædam uersus, non ad signa redire, non ad ordines curat. Videres itaq; alios proiectis armis, Honustos sarcinis uix progredi, alios colla tam unum in locum prædam inter se partiri, plurimos equestris de= coris oblitos phaleratum præda equum onerare, séq; ante agere, ipsos pedibus ire, et reste alia atq; alia iumenta, equosq; sarcinis impeditos trahere. Quin ẽt ex ijs, q in præsidio collocati fuerant, cõplures et ipsi in prædam intenti signa, locumq; reliquerant. Quæ res hosteis quã- quam fessos, & muris clausos ad erumpendum inuitauit. Egressi igi tur portis, nullo tamen clamore edito, regios præda occupatos, ac sub sarcinis impeditos de improuiso adoriuntur, multosq; ante quàm ho- stes esse intellegantur, mentito etiam nomine capiunt, et iam liberius uagari incipiunt. Quod ubi Regi cognitum est, undiq; ad signa cõcur ri imperat, multaq; per IOVIANVM PONTANVM, quẽ secum ducebat, ab ducibus pagenda curat. Ipse ut quéq; nactus erat, primo singulos, deinde plures, qua pugnã consertã uidebat, imittit, do nec aliquot ordinibus restitutis, iustæ pugnæ more dimicatri cœpit. Itaq; dũ sustinere impetũ hostis nequit, citatis equis in urbẽ regreditur. Ste= tere dein regij in acie, atq; sub signis, donec præda omnis coacta, & Vrsariam uersus, tutum in locum delata. Inde sub uesperum in ca

ſtra eſt reditum. Dies quæ inſecuta eſt, quieti militũ atq; equorũ data.
Captiuorum numerus recenſitus, fuit aliquanto minor, quia captiuo-
rum alij, quod capitalium rerum conuicti eſſent, clàm dimiſſi ab ami
cis, aut cognatis fuerant, alij iureiurando parum ſeruato, fideiq; &
datæ, atq; acceptæ, ut nunc in conflictu moris eſt, dexteræ immemo
res, Troiam profugerant. Ioannes, Picininusq; maximo ſilentio Troia
egreſſi, Luceriam noctu profugiunt. Deliberantem de obſidenda urbe
Ferdinandum Troiani inuitant, miſſo qui ſeq;, urbemq; dedituros
polliceretur, ubi caſtra propius admouiſſet. Imperitabat urbi Ioannes
Coxa, qui quod Nicolaum Epiſcopum indignius habuerat, Lombar-
dorum familiæ inuiſior erat, cuius opes in ciuitate magnæ, atq; pol-
lentes tunc erant. Caſtris igitur ad uineta poſitis, tumultu, ſicuti con=
uenerat, ab Lombardis excitato, deditur Regi oppidum. Coxa cum
in arcem cum paucis confugiſſet, diffiſus rebus ſuis, Alexandro ſe, cui
propter ueterem conſuetudinem plurimũ fidebat, dedidit. Rex uno ſi
mul tempore & oppido potitus, & arce, oppidanos collaudat. Lom-
bardos etiam muneribus donat. Coxam ad ſe ductum, multiſq; orna
tum laudibus, atq; inuitatum, ut manere in patria uellet, dimittit. ca=
ptiuos, qui in caſtris erant, et in ijs quoſdã, qui Ioannis è cognatione
eſſent, liberos abire permittit. tum qui dedentem ſe ſe Fogiam accipiãt,
mittit. arma, equoſq; apud Troiam repertos, qui ab hoſte capti fue-
rant, militibus ſuis reſtituendos curat. Rebuſq; ſic ad Troiam compo
ſitis, duobus caſtris ad Sãctum Seueriũ profectus, cingit oppidũ, quod
quo minus ſtatim oppugnaretur, hymber prohibuit. poſtero tñ die de=
ditionẽ fecit mulctatis ciuibus. Inde Rex ad Aſculũ retro mouẽs, ur
bẽ ſtatim recipit, Candelãq; ex itinere oppugnatã diripit. Mox Aſcu
lo recepto ad Aufidum proficiſcitur, eo conſilio uti Ioannem Caracio
lum, qui Melfiæ Dux præerat, debellaret. Is quod Andegauienſis fa
ctionis fractas res cerneret, nullumq; supereſſe Tarentino exercitum,
quo tutari oppida, remq; ſuam poſſet, ſe cum arcibus, atq; oppidis in
Regis fidem permiſit, quem ad ſe uenientem Rex, benigneq; appella
tum monuit, uti fidei memor quieta, honeſtaq; conſilia peruerſis, ac pa
rum quietis anteponeret, poſtq; aliquantum temporis mutuis, ac gra
tis extractum ſermonibus iuratum illum in uerba, eodem die Melfiã
remiſit. Id oppidum montoſis in Apuliæ locis poſitum, gerendis bellis
maxime opportunum eſt, quod à Gulielmo Ferribrachio Normanno
rum duce conditum, annales quidam tradunt. alij ab eo per uim ca=
ptum. Quodq; ueri eſt ſimilius, cognita opportunitate, illud ut arcem

ſuturam aduerſus Græcos, qui Apuliam, Meſapiæq; tenebant oram, primum à Gulielmo, inde à Drogo, atq; Humfredo, qui Gulielmo fratri ſucceſſerant, poſtq; à Roberto Viſcardo & arce munitum, & mœnibus, quæ nuper ab hoc ipſo Ioanne etiam promopta ſunt. Per eoſdem dies aliquot in Hirpinis caſtella recepta. Fama ingentis prælij breui regnum peruagata, hominum mentes terrore ſimul, admiratione'q; compleuerat. Quocirca illuſtre Regis nomen eſſe, maior'q; in dies expectatio haberi, & quo uictoria, eodem quoq; popularium fauor inclinabat. Accedebat quod per idẽ tempus à Federico Vrbinate aduerſum Sigiſmundum Ariminẽſem feliciter dimicatum fuerat, ex qua dimicatione Sigiſmundus afflictis, proſtratis'q; rebus ſuis, mari ad Tarentinum confugerat, opem ab illo imploraturus. At Rex quanquam his Tarentinum neceſſitatibus circunuentum intellegit, tamen cum illius theſauros ſciret eſſe ĩtegros, ſe uero tot bellis, tot calamitatibus exhauſtum, ac militem ſuum mercenarium, maxima etiam è parte peregrinum reputat, timere militum transfugia, nec tam irritandum illum quàm leniendum ducere, aut paucorum expugnatione oppidorum ita territandum, uti uetere exercitu reſtituto, nouum quoq; è longinquo arceſſeret, Senem, & quartana febri, deterrima parte anni laborantem, minime diu uicturum. Adhæc Ioannem, Picininum'q; cũ ſingulari perſequeretur odio, uidendum etiam atq; etiam eſſe, ne adductus neceſſitate Ioãnes Antonius utriq; conciliaretur. Hæc alia'q; huiuſmodi ſecum reputantem Regem, habentem'q; ad Aufidum æſtiua, miſſi à Tarentino legati adeunt de pace cum eo acturi. Quibus Rex auditis Bartholomæum Rouarellam Cardinalem, qui Beneuento Põtificis legatus præerat, ad ſe accitum rogat, uti ducto ſecum Antonello Petrutio, epiſtolarum magiſtro, Cerennolam proficiſcatur, illic cum Tarentini oratoribus de pace, pacis'q; conditionibus deliberaturus. Ipſe interim quibus poſſet artibus, illum ſibi conciliare ſtudet. Iiſdem diebus Ennecus Geuara Comes Arianenſis, uir multis artibus, & in primis fide clarus, morbo correptus diem obit. Igitur ubi de pacis conditionibus ſatis conuenit, legati ad Tarentinum redeunt, una'q; Bartholomæus, & Antonellus cum ijs profecti, item'q; Antonius Tricius, qui Franciſci Mediolanenſis Ducis apud Ferdinandum oratorem agebat. Summa tamen conditionum Petrutio permiſſa. Agebat tunc Ioãnes Antonius Vigilijs, quod oppidum ad mare ſitum eſt. Ad eum Ioannes, Picininus'q; quotidie ab Trano uentitabant, ea enim urbs præter arcem Tarentino parebat. Quorum ſuaſu penè commiſſum eſt, uti contra ius gentium legati uiolarentur. Quibus tamen à Ioanne An-

tonio comiter acceptis, benigneq; auditis, fœdus his conditionibus
ictum est. Quod Deus Optimus Maximus bene uortat, Ferdinando
Regi, & Ioanni Antonio Vrsino (sic uti conuenit) sine fraude, sine
dolo malo pax inter eos perpes esto. Quæ in duello antehac ui, dolo'ue,
fraude'ue acta, abacta, direptaq; sunt, eorum nullæ utiq; expostula=
tiones, nullæ iudiciorum actiones sunto. Quas urbeis, quæq; oppida,
quos'q; fines Ioannes Antonius Vrsinus sub Alphonso Rege tenuit,
quoq; etiam imperio tenuit, sub Ferdinando etiã teneto, populis'q; ita
moderator. Queis legibus, queis olim códitionibus Ioãnes Antonius
Vrsinus sub Alphonso Rege uixit, ollis legibus, ollis conditionibus sub
Ferdinando Rege uiuito. Eadem item in populis sub Ferdinando Re=
ge, quæ fuere sub Alphóso, iura ei sunto, libera'q; potestas esto. Qua'q;
potestate, quoq; iure, militiæ magister Ioannes Antonius sub Alphóso
Rege fuit, eodẽ iure, potestate'q; sub Ferdinãdo, magnus militiæ ma-
gister utitor, perfungitor'q;, Aureũq; centũ millia magistratus huius er
gô quotannis regio ex ærario, regijs'ue è uectigalibus dinumerata ca-
pito. Idẽ hicce Ioannes Antonius Vrsinus Tranũ urbẽ Ferdinando
Regi, cum agro, finibus'q; statim restituito, arcem'q; Salernitanam ad
dictam diem resignato. Ioannem Andegauiensem, Iacobum'q; Picini
num intra dies quadraginta Apulia, finibus'q; eius uti facessant, Io-
annes Antonius cogito, ollis'q; ne'ue clàm, ne'ue palàm, auro, argento,
ære, ne'ue alio auxilij genere subuenito, ne'ue utiq; præsidiator. Rex
fidem eis publicam, qua tuto abire finibus hisce liceat, dato. Terra, ma
riq; abeundi ius'q; fas'q; pro arbitrio ollis esto. Siquas urbeis, quos'ue
regulos Ferdinandus duello petet, nullis copijs, nulla pecunia, nullo
auxilij genere, clam'ue plam'ue Ioannes Antonius eis suppetias af-
ferto, ne'ue cósilio, ne'ue opera adiutato. Debellandi quos uolet, quãdoq;
uolet, libera potestas Regi esto. Hæce ollis fœdera perpetuo manento,
quæ inter eos sic cóuenere, uti uolens, libens'q; uterq; egerit, fecerit'q;,
promiserit'q; sine dolo, sine fraude, bona fide, cóceptis uerbis. Deum'q;
uterq; testẽ supremũ laudant. Pace facta, rebus'q; cũ Tarentino cópo
sitis, Ferdinandus ab Aufido mouens, atq; in fines Daunorum profe
ctus Ferentanos uersus, ad amnem Frentonem castra posuit. Adue=
nienti Lesinates, Serrani, Precinenses'q; capto etiam præsidio, portas
aperuere. Quorum exemplum finitima etiam castella secuta sunt.
Inde Montorium profectus Rex, confestim illud recipit. arx etiam
paucis post diebus dedita. Hinc castris ad Sanctum Iulianum admo
tis, qui in præsidio erant, cum munitiones erigi, tormenta'q; diruen
dis muris, admoueri cernerent, paucis postquam obsideri cœperant

diebus, deditionem fecere. Iisdem diebus inclinante autumno, tanti
cælo hymbres fusi, uti corruptis quæ in agris erant, non esset unde
pabulum equis subministraretur, nec gregarius, castrenseis pati la-
bores amplius uellet, recusare iam militiam. incusare Regem, pa-
lamq́; detrectare imperia. ipsi etiam eqtes grauari, rariq́; ad signa,
atq; ordines conuenire. increpare duces. queri tabernacula iam ab
sumpta tempestatibus. frigoribus, faméq; confectos equos. diurnis no
cturnisq; labtiribus non corpora, non animos ultra satis esse. quid
demum hostes aliud optare, aut quærere, quàm fame eos, quàm tem-
pestatibus absumi? Quibus Rex clamoribus permotus decreuit in
Samnium regredi, ubi mitius cælum esset, ac regio stramentis, pa
buloq́; abundaret. Quo cum peruenisset, aliquot dierum quietem
militi concessit. dum interim tormenta ex Apulia ueherentur, qui-
bus subuectandis uix boues iumentaq́; solo ob pluuias subsidente suf
fecerant. Hæc inter in castris tumultuatum est, leuem ob causam,
inter regium, Sfortianumq́; peditem exorta contentione, breui
tamen tumultus sedatus, quanquam non sine graui Regis, atq; Ale-
xandri discrimine. dum inter tela, balistasq́; uterq; uersatur. Tor
mentis comportatis Ferdinādus animo agitans qua potissimum ratiōe
antequam in Campaniam in hyberna concederet, Nicolaum Cam-
pibassanum Comitem aut ad deditionem compelleret, aut eo redige-
ret, uti uere adueniente, omni eum exuere dominatu posset, Pon-
tem oppidum, cui, uti ego arbitror, à conditore Landulfo nomen
est, oppugnare decreuit. Quod ueritus Nicolaus magno ante præ
sidio firmauerat. Quo tamen Regis conatus frustraretur, indutias
petere ab eo cœpit, quasi agere interim de deditione uellet. At Rex
cognito Nicolai consilio, eo acrius expugnando oppido intentus erat,
quod ab iis qui in præsidio erant, summis contra uiribus defende-
batur. Deiectis igitur opportuno loco muris, cum oppugnatio para-
retur, præsidij præfectus diffidens tolerari posse impetum, agere de
deditione cœpit. Cæterum noctu ab Vigiliis, iisq́; qui in statione
erant, ad arma concursum cum esset, ratis nocturnam à præfe-
cto parari fugam, conserta pro muris pugna, oppidū tumultuario præ
lio capitur. quod statim direptum, atq; incensum est. Inde Rex mouēs
in Cerretano primū, deinde in Telesino, atq; Calatino castris positis,
aliquot ex itinere castellis receptis, ante q̄ in hyberna concederet, Pō-
tem Lateronem (id castellum trans Vulturnum amnem, circiter sex
millibus passuum ab Capua abest, sub montem positum) oppugnare cō

stituit. Igitur admotis tormentis, quantum loci patiebatur iniquitas, binis illud castris circunsidet, quod penè undiq; altissimis rupibus circuncisum, naturaliq; fossa munitum, unum tantum, qua porta est, aditum, eumq; haudquaquam latum habet. Portæ quadrata imminebat turris, qua diruta, cum spes esset per eius ruinam potiundi castelli, Rex eam quassari æneis tormentis iubet. Quod animaduertentes qui in præsidio erant, ne procumberet exterius, funibus, machinisq; prohibere conabantur. Interim quotidianæ ab eis eruptiones fieri, neq; se muris continere. idq; eo audacius facere, qđ propter rupes, conuallesq; quæ fossarum in modum è monte producebantur, neq; claudi undiq; à regijs poterant, nec omnino prohiberi, quo minus noctu præsertim per syluas, & confragosa loca, recentes milites, nouaq; quæ ab Martiano mittebantur præsidia, acciperent. Cui rei magno etiam adiumento erat, quod propter brumam quàm longissimæ noctes erant. Frustra igitur aliquot diebus consumptis, potiundiq; castelli pluribus artibus in cassum tentatis, cum etiam equi, uiriq; diutius ferre cæli inclementiam haud possent, Sfortianusq; præcipue miles militiam sic detrectaret, uti neq; precibus, neq; minis retineri in castris ultra posset, satius uisum est Regi obsidionem relinquere, quàm tumultuante suo, hostem ad erumpendum inuitare. Cum satis etiam exploratum esset Martianum magnam peditum manum cogere, qua coacta, uerendũ erat, ne occupato ab hoste monte, qui non satis commode teneri ab præsidijs posset, in minora castra, quæ trans conuallem sub montem posita erant, irrumperetur. Huc accedebat, qđ Ioannes, Picininusq;, qui post ictum cum Tarentino fœdus, in Ferentanos, Marrucinosq; longa naui ad Caldoras confugerant, ubi pugnæ reliquias colligebant, arcessiti à Martiano fuerant. Qui ne aut illum frustrarentur, aut bellum quod in Marsis, Pelignisq; Rogerione authore renouare parabant, prætermitterent, huiusmodi consilium inijsse (quanquam falsò) dicebantur, uti Picininus diurnis, nocturnisq; itineribus ad Martianum contenderet, Ioannes in Pelignis remaneret ad bellum, quod animo agitabat, instaurandum. His difficultatibus circumuentus Rex, obsidionem dimisit. Verum cum fama esset hostem aduentare, machinis Capuam perlatis, ipse sub Montem Gallianum metatus castra, expectare hostem decreuit. Tandem cum satis exploratum haberet hostem se Theano, castellisq; finitimis continere, circiter idibus Decembris Capuam concessit, distributisq; per hyberna militibus, paulo post Neapolim proficiscitur. At in ea parte Samni, quod hodie Molisium dici-

tur, et in Pelignis, Ferētanisq; ab Alphonso, et Inico Daualis multa ca stella aut per deditionem recuperata, aut per uim expugnata sunt, quædam etiam incensa. Caldoras (dum multis artibus ad certamen inuitant) nunquam apertis in campis indipisci potuere. Extremo anni recepto Sangri castello, arcem circunsessam tandem capiunt, suosq; in hybernis collocant. Per idem tempus Andegauiensium partium studiosi, cum Ferdinandi res superiores cernerent, uiribus diffisi suis, quod Pium Pontificem nullis ab Rege artibus alienare poterant, Romæ indutias postulabant. Duos principes inter se de regno contendere, utrunq; pontificiæ maiestatis obseruantissimum. decere Pontificem Romanum, rectorem orbis, patrē omnium, mediam personam induere. indignum se, indignum collegio, quod sacrosanctum habeatur, facere, quod priuatam Ferdinādi causam aduersus Ioannē armis defendendam susceperit, quod Gallorum Regem, Galliæq; totius regulos de Romana ecclesia benemeritos prouocauerit in iram, odium, inobediētiam. exhaustum ecclesiæ ærarium, dum bellum minime necessarium suscipitur. Flaminiam, atq; Sabinam bellis inuolutam. tot oppida direpta. in ipsa etiam urbe trepidatum. & penè auditos equorum hinnitus, dum Latium diripitur, dū agros urbi proximos Picinini eques populabūdus uexat, uastatq;. Hæc aliaq; differentes Pontificis animū uti de faciundis indutiis cogitaret, impulerant. Conuenerant Romæ undiq; ad Pontificem legati, resq; tum in senatu agitata, tum apud Cardinales, quibus demandatum hoc erat, tractaq; diutius in contentionem uenerat, dum Pontificis animus huc, atq; illuc incertus rapitur. Tandem literis Regis confirmatus, quod dum de indutiis agit, dum à suscepto bello retrahendi sui speciem exhibet, partam iam uictoriam è manibus eripiat. Populos, regulosq; qui prostratis Ioannis rebus redire ad officium cogitassent, qui de se dedendis oratores misissent, cunctari iam, & deditionem non modo differre, uerum etiam recusare. Nec tantum sibi Pontificis nomen, copias, opes, in eum usque diem contulisse ad uictoriam, quantum nunc detrimenti afferat induciarum mentio, & tot iam dies, ipso audiente, agitata Romæ causa. Quid autem rationis esse, cur feruente bello, rebus aduersis, uictoria ad hostem inclinante, tantum animi, tantum roboris præ se tulerit, et in propulsandis bellis, & inferendis, nunc hoste castris exuto, regno maiore è parte in potestatem redacto, recuperata iam Flaminia, Sigismundi rebus attritis, Latio, Sabinaq; pulsis hostibus, ubique uictor, fortuna ubiq; aspirante, non animum modo demiserit, sed hostem

iam desperatis rebus suis, cogitantem regno cedere, ad bellum instaurandum inuitet, hortetur, trahat? Veterem igitur animi firmitatem retineat, nec belli exitum id est uictoriam, qui finis est belli, elabi è manibus patiatur. His Pius literis permotus, cum etiam intellegeret Franciscum Sfortiam in proposito persistere, confirmato tandem animo indutias exclusit, ante tamen in hanc oratione sententiam habi-
» ta. Si memores esse homines beneficiorum uelint, & præsentem ec-
» clesiæ Romanæ statum consyderare, haud uereor Cardinales, quin
» & cæteri mortales, & uos ipsi me cum primis a belli crimine, quod
» non tam uolentes suscepimus, quàm inuiti propulsauimus, liberetis.
» Nam & ea in hanc sedem Alphonsi Regis extant beneficia, ut neq;
» Pontifex Romanus, neque sanctus hic senatus filij eius obliuisci,
» sine maximæ infamiæ nota queat, & Apostolicæ sedis ea magni-
» tudo est, atque authoritas, ut insultantem in regno nobis tributario
» Gallum pati minime debeat, seq; otiosam regni cladum spectatri-
» cem præbere. An quæso cuius patris munus est, ac beneficium, uti Pi
» cenum omne, fertilissimumq;, ac frequentissimum Italiæ agrum in
» pace possideremus, regnum eius ad alias quàm filij manus transire
» ingrati permittemus? Quasi non siquid honestum, siquid ius, gra-
» titudoq; apud uos ualet, me & nolentem impellere, & cunctantem
» excitare ad defedendum Regem bene meritum, ad propulsandã ab
» eo iniuriam deberetis, à qua inferenda in nimirum quorum tam stu
» diosi estis, continuissent, siqua reuerentia in Pontificem Maximum, si-
» quis erga sedem Apostolicam cultus, aut erga Deum metus, eorum ani
» mis insedisset. An non cum Mantuæ ageremus, abunde & Ioanni,
» & Renato, & ipsi Gallorum Regi, quorum oratores apud nos age-
» bant, declarauimus, nec passuros nos regnum nobis tributarium in
» uadi, pacemq; Italiæ ab Gallis turbari, nec fœdus cũ Alphonso ictũ,
» in quo Ferdinandus filius secundum tenuisset locum, uiolaturos, aut
» periclitantem deserturos filium eius, qui labantem iam non modo
» non deseruisset ecclesiam, sed ferro armatus, in acie, pro tuenda eius di
» gnitate stetisset, seq;, copiasq; suas, & facultates uniuersas pro illius sa
» lute, bellorum periculis obtulisset. Hic mihi quisquam Gallorum reli
» gionẽ, aut modestum Ioannis animum nominabit? Audiuimus, audi
» uimus Cardinales, populantiũ agros nostros militum clamores. His
» oculis, his inq̃ oculis hausimus uibratos in perniciem nostrã, et Roma
» næ excidiũ sedis gladios. Quod ni è Senensi agro, è patrio solo, ubi
» agebamus, abire maturassemus, & Romam diurnis, nocturnisq; iti-
» neribus contendissemus, nec Roma nũc nostra esset, nec senatum hũc

» ipsi haberemus. Sederet Pontificio in solio Picininus, discursaret per
» urbem uiolentus & rapax miles, ueterum ornatus Pontificum, &
» qbus Deo Optimo Maximo sacræ res fieri consuerunt, eos inquam or
» natus, & Petri, Pauliq; insignia raptaret per urbem Andegauiensis
» gregarius. argentea uascula, loculosq; illos aureos, qbus Deo ministra
» tur, quibus sanctorum reliquiæ uirorum tanta cum hominum uene
» ratione seruantur, eques in balteos conuersos ac phaleras portasset in
» aciem, cæde, ac sanguine fœdaturus. Dicam iterum ecquisquam aut
» Ioannis moderationem, aut religiosos Gallorum animos nominabit?
» Timuit Pontifex Romanus per agros suos iter faciens Andegauiensium
» grassatorum uim, atque occultas insidias, timuit ne fario Picinini sica=
» rio ne præbiturus esset iugulum in Diuorum & Petri, & Pauli tem
» plo, in augusta hac sede, atq; in ijs ædibus, è quibus tot sanctissi-
» morum Pontificum animæ ad cœlum migrauere, non securus,
» non tutus, non uitæ suæ satis fidens. hæc est Lotoringij Du-
» cis summa moderantia, hæc Galliæ hominum religio, & apud gen-
» tes tam diu probata pietas? Non igitur uolentes, aut bellorum cupidi
» arma sumpsimus, quippe qui priuati dum essemus, pacem semper co-
» luimus, ac dum Augustorum tractaremus negotia, ad hanc in pri-
» mis illorum inuitabamus animos, Sed ut qui Romanæ tum ecclesiæ
» dignitati consuleremus, tum prouocati, & in ipsis propè penetralibus
» parum tuti, coacti, inuitiq;, dum alia ratione rebus nostris nequimus
» consulere, expediri arma iusserimus. Videlicet nunc primum Iacobus
» hic Picininus ecclesiam Romanam uexauit, aut uos memoria parum
» tenetis, dum quieta Italia, fœdere publico, è communi Italiæ consen=
» su omnium animus, sententijsq; percusso, Cisalpina mouens Gallia, tu
» multuosissimo exercitu, Callistum Pontificem, agentem in otio, ac pacis
» perfruentem bonis, nihil etiam minus quàm bellum timentem inua-
» sit, perculit, ex improuiso adortus est. Petat nunc igitur Lotoringus
» Dux indutias, qui tot annorum pacem ambitione præceps turbaue=
» rit sua. Detur Picinino tempus ad arma colligenda, qbus tertio in Pon
» tificem Romanũ maioribus copijs, infestioribus militũ animis isurgat.
» Induat Pius Pontifex mediã personã, q penè spoliatus Pontificatu, in=
» ops, errãsq; aliorũ opẽ quærere est coactus. Nõ priuatam igitur Ferdi
» nãdi causam defendẽdã suscepimus, q̃q̃ ut suscipere deberemus, ius, ho
» nestasq;, et Apostolicæ sedis dignitas postulabant, sed nostrã, sed ue=
» strã, q in hoc cõsessu adestis, sed Romanæ ecclesiæ causam & suscepi-
» mus, et suscepisse lætamur. Nec prouocemus Gallos in odiũ, nec ad bel
» lũ nõ necessariũ exhauriamus ecclesiæ ærariũ. Scilicet nõ suscipit ne=

ceſſario bellum, qui domo ſua, ſuis è laribus propè pulſus eſt? Iactat
pecuniã, theſauros diſſipat, qui direptiones, cædes, incendia prohibere
ab ſuis parat? prouocat Gallos, qui in Italia in ſedibus ſuis, ſuóq; con
tentus quieſcere ſecurus nequit? O' conſilia, o' artes. Per ego Deum Opti
mũ Maximum, perq; urbis ac templi huius uenerabiles tumulos, atq;
aras oro, obteſtorq;, ne partiũ ſtudijs uicti, perperam conſulatis, ne'ue
dum alteri factionum fauetis, obliti loci huius, ac iuſti, honeſtiq; imme
mores facti, parum honeſta conſilia, præter ueſtram, ſenatusq; Roma
ni dignitatem ſequamini. Me ſat ſcio, dignitatem Pontificis, & huius
auguſtæ ſedis maieſtatem retenturum, & quod ſemel cœpi pium,
honeſtumq; conſiliũ ſecuturum. Atq; uti Deo authore bellũ ſuſcœpi, eo-
dem quoq; adiutore, & adminiſtraturum ſpero, & confecturum è
ſententia confido. Dum Romæ fruſtra de indutijs agitur, interea Pi-
cininus, reliquijs exercitus collectis, aduerſus Ioannam Celanam, no-
uum bellum aggreditur. Hæc mortuo Leonello marito, duobus ex eo
ſuſceptis liberis, quod Celanenſis Comitatus dotalis eſſet, ipſa ſubiectos
populos pro arbitrio moderabatur. Nam & popularibus propter ge-
neris antiquitatem erat acceptior, et Rogerio natu maior, eius aut in-
genij, aut ætatis non erat, cui tuto rerum moderatio permitti poſſet.
Quod ille ægerrime ferens, parteisq; Andegauienſeis ſecutus Picini-
no adæſerat. Quo authore Picininus Gallianum, ubi Ioanna cum
antiquis ſe theſauris tuebatur, circunſedit, caſtelloq; potitus, appara-
tum omnem ad arcem oppugnandã conuertit, æneisq; tormentis die,
ac noctu quatit. Ioanna quo erat animo, quos in arce ſecum habe-
bat, hortabatur, uti fidei, ac uirtutis memores, obſidionem quàm for-
tiſſime ferrẽt, eſſe in Pelignis, Marrucinisq; regios exercitus, regios præ
fectos. Sat ſe certum habere, breui eos ſubſidio uenturos. Igitur dum of
firmatis animis hoſti acriter oppugnanti reſiſtitur, dum regij præfe-
cti tardius ſe ex hybernis mouent, & Picininus plurimo peditatu lo
corum anguſtias occupat, quaſſatis, ac partim ſolo æquatis muris arx
capitur. Splendidiſſima Leonelli ſupellex, ac tot proauorum ueteres
theſauri direpti. nullum in egregiam fœminam miſericordis animi
officium à Picinino tributum, nullum à filio pietatis meritum. Ma-
trona paulo ante plurimis ornata bonis, rerum humanarũ exemplũ,
captiua trahitur fortunæ matris filio inſultante. Ea tempeſtate fuere
qui crederent Matthæum præfectum, qđ egregium ducem, uete-
rem amicũ pati nollet ſordeſcere, dũ anni tẽpus cauſatur, dũ ſegnius
cõſulto agit, Picinini incœptis locũ dediſſe. Hac præda uiribus auctis
Picininus, exercituq; ex parte refecto, q̃q̃ hyems premebat, tñ ꝑ occaſio

ne utendũ duceret, Sulmonẽ circunsidere decreuit, ratus antequã sub-
ueniri à Rege, propter anni tempus, posset, agro se, atq; urbe potiturũ,
quam sciret extrema rei frumentariæ inopia laborare. Eius autem
obsidendæ ratio hæc placuit, uti dispositis per finitima castella militi-
bus, quæ cuncta Andegauiensiũ erant partium, ne frumentum impor
tari in urbem posset, prohiberetur. Idq; quo facilius fieret, in uia mi
litari, qua Populũ, atq; ad Aterni pontem itur, munitionem ex ag-
geribus, ducta etiam fossa ab æde Terentiani ad ripas fluminis ædi
ficari summa celeritate iussit, præsidiumq; quantum satis uisum est im
posuit, Ipse Pentimæ, Ioannes Pratulæ, Pacentri Restainus, & Ioan
nes Antonius Caldore agebant. Atq; hac potissimum ratione urbem
quanquam in plano sitam, undiq; tamen montibus clausam, circun-
sidebant. Cum igitur in dies arctius à Picinino premeretur, Matthæ
usq;, ac Robertus cum & ipsi tentassent sæpius irruptis munitionibus,
commeatum eo immittere, frustrati incepto, ad hoc tandem consilium
conuersi sunt, ut nunc Populi, nunc Caramanici in hybernis agentes,
per montem, qui longo admodum, ac perpetuo tractu interiacet, qua
maxime inuius ipse, ac confragosus esset, noctu per homines opportu
nos, ac locorum peritos humeris illigatos sacculos frumenti plenos præ
ruptissimos per aditus, qua minime hostes suspicari possent, Sulmonem
clàm importandos maximo silentio curarent. Quod dies complures
diligentissime curatum cum esset, nixq; interdum esset tanta, ut supe
rari mons pluribus minime diebus posset, plebesq; fame acrius preme
retur, ducenti numero ciues grauius fame pressi, in ijsq; quidam etiã
mercede conducti, per loca illa hostibus hactenus incognita perrupe-
re Caramanicum. Hic igitur numerus hosti cum esset de uestigijs com
pertus, dispositis insidijs ad unum redeuntes omnes capti, ductiq; ante
urbis muros Picinini iussũ, q exteri essent, atq; conducti pretio, iugis su
spensi sunt, qui ciues Pacentri in custodijs habiti. Tum uero ciuitas ui
ctam omnino se, atq; expugnatam fateri nihil ultra sperandum esse,
nihil è Campania, nihil ab Rege propter occupatos à niuibus, atq; ho
stium custodijs aditus, nihil ab Matthæo, Robertoq; propter obserua-
tos montis anfractus uniuersos, expectãdum præsidij, ducere. Ira, me
tus, fames uiros mulieres, senes, adolescentes, æque omnes deniq; uexa-
tos male habebat, eoq; perducta res erat, uti in prælium persæpe pro
dirent, quo confossis hostium equis, cadaueribus eorum potirentur.
Quin etiam exenteratis il-
lis subducebant eorum ex intestinis quod inesset aut hordei, aut triti
ci, aut ijs commixti pabuli. Itaq; plurimos iam dies, nunc sola carne

fœdissimorum etiam animalium, nunc nuce, glande, cannabe, parce distributimq; dispartitis, fame tolerata, plebeijs etiam aliquot teterrima fame absumptis, septimo tandem mense urbs Picinino deditur. Ea dedita sæuitum est in aliquot ciues propter factionem, intestinaq; odia Quadrariorum familiæ inter se, ac Merlinorum. Potitus igitur urbe Picininus (nam Ioannes communi è consilio in Campaniam, atq; ad Martianum uenerat, ueritus ne is Regi conciliaretur) reficiendis copijs omni studio intentus, ubi aliquot restituisset turmas, quod iam mature scerent in agris segetes, militibus egredi ex hybernis iussis, in Ferentanorum fines castra contulit.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER QVINTVS.

a

T Rex persoluto equiti stipendio, iussóq; eo ad constitutam diem sub signis conuenire, cum paucis Leborios profectus in campos, collocatisq; tabernaculis ad Annechini Pontem, quæ campani nunc agri pars, Gallica appellatione Mansio Rosarum dicitur, dum eques instructus conuenit, peditem scribit. Interim etiam dum segetes maturescunt, explorat undique Martiani consilia, qui se Albanum intra agrum, Massicosq; munierat montes, Quibusq; maxime artibus Suessana intra culta, uicosq; irrumperet, animo solicitus agitat. Erant duo omnino aditus, alter confragoso itinere, ac maxime angusto, præruptis rupibus, cui Cascano est nomen, qui locus & multitudine lectissimorum peditum, quorum erat Martiano copia, & aggere, turribusq; ad portam substructis præmunitus spem eripiebat inter tot munimenta, acerrimosq; defensores ferro uiã aperiendi. Alter erat aditus Sinuessanas ad balneas, secundum mare, & ipse fossa propugnatoribusq; egregie instructus. Nam ad mare quadrata è lapide turris in altum protendebatur, & in medio tractu Massicos uersus montis, loco paulo editiore in arcis formam, etiam structitio è lapide erectæ turres erant, quas inter, ac declinanteis radices montis modicus procurrebat tractus à sinistra. Maritimam uero inter turrim à dextra, aggeres ducti horrebant, munitionesq; turritæ, cum fossis, frequentibus etiam sclopetis, colubrinisq; instructæ, multisq; & strenuis munitæ defensoribus. Summo autem in mõte turris item è lapide, ueteriq; surgebat structura, quæ et aditus quosdam per se etiam difficiles, atq; arduos tuebatur, & ex altissima despectabat specula subiectos campos, ac maria. Qua capta, superiore è loco pediti dabatur ingressus intra munitiones, opportunitasq; inuadendi à tergo propugnatores. Cæterum res difficilior apparebat, quod specula ipsa neque carebat custodibus, aut præsidio, & eqtatus opportunis in locis à Martiano dispositus, discursans patentis agros tutabatur, occurrebat'que repentinis casibus. Hic igitur delectus est locus in planitiẽ irrũpendi. Rex uero quo hoc ipsum consiliũ hostẽ lateret, motis è Rosarũ Mãsione castris, ad Sauonẽ profectus, metatur secundũ amnis ripas, circiter duobus passuũ millibus à Turri Frãcoli-

sia, ubi diebus aliquot castra habuit sub speciem uastandi agri, atq; colligendarum segetum, præ se etiam ferens Cascani sibi esse saltus consilium inuadendi, diruendæq; munitionis. Quà è re Martianus quanquam timebat etiam Sinuessanæ munitioni, uim tamen omnem peditum illuc conuertit, equitatumq; propius admouit. Ipse uero Suessæ agere, ac nunc his, nunc illis se se locis ostendere. prospicere munitionibus. multa per præfectos administrare. exploratores plurimos huc illuc dimittere, nequid à tergo, latere'ue per Lyrim amnem, oráq; maritimam repentini ab hoste accidat, ne'ue per Theanenses, aut Gallutianos saltus, Taurum'ue montem uis aliqua ex occulto inferatur, cauere, procurare, auertere. summo studio die, noctuq; intendere. agrestes, coloni, uillici uti faciendis messibus, comportandoq; in urbem frumento dent operam, imperare, ac festinari iubere, nullumq; discrimen festi, profesti'ue diei haberi pmittere, nihil deniq; uacui à labore, officijsq;, colonis, militibusq; labi sinere. Cum Ioanne simul, qui eò se è Marsis contulerat, multa etiam agitare. Illud uero cum primis uereri, ne Federicus Vrbinâs, ne'ue Vrsinus Neapolion, qui iussu Põtificis in Soranum, Arpinatemq; è Sabino bellum transtulerant, p Casinatem à tergo agrum inuaderent. Quod tamen sæpius per literas, nuntiosq; rogati à Rege, facere recusarunt, Pontificis imperium causati, dum Pius sibi statuit, Romanæq; ecclesiæ, nõ Ferdinando regi Celanensem, Soranum, Arpinatemq; simul agrum ab hoste uẽdicare. Quo factum est, uti Pons Curuus, opportunum Casinatis agri oppidum, atq; ad Lyris amnis ripã positum, ab Ecclesia hodie quoq; teneatur. Nam Ferdinandus quo Celanensem reuendicaret, Mariam è concubina filiam Antonio, Pij sororis filio uxorem dedit ijs conditionibus, uti Celanensis Comitatus Antonio, Mariæq; dotis traderetur noie, uiueretq; Antonius, liberiq; eius quo ante iure Celanenses Comites Neapolitanis sub Regibus uixerant. Atq; inde mortuo Pio cum successisset Sixtus, collocata Catarina Martiani filia Antonio Ruerio, Sixti sororis filio (nam capto Martiano, filiarum eius uiris collocandarum curam Rex susceperat) Soranum, Arpinatemq; agrum ab Federico, Neapolioneq; recuperatum, sibi regnoq; Neapolitano restituendũ cauit, dotis nomine Catarinæ, atq; Antonio, Pontifice uolente, traditum. Rex igitur communicatis cum Roberto Calatino consilijs, cuius forti, fideliq; opera multum utebatur, iubet illum intempesta nocte, magno silentio, egressum castris, quatuor cum turmis equitum, aliquotq; peditum cohortibus superare Massicum saltũ, turrimq; occupare speculatoriã. Ille impigre pulso præsidio, quod saltum tuebatur, perculsisq;

batur, perculsisq; multitudine displodentium sclopetariorum turris custodibus, eaq; statim dedita, summum occupat montem, quo è loco facilis erat pediti in planum ac post munitiones descensus, Rex accepto ab Roberto nuntio, instructo agmine cum uniuersis copijs ad munitiones contendit. quò cum peruenisset, dum interim ducum exquirit sententias, sciscitaturq; quid quisq; agendum censeat, Annechinus Morimulis, strenuus, ac multis uir exercitatus bellis, relictum iter munitiones, medias ad turres, callem ad usum emittendorum peditum conspicatus, adacto summo cum discrimine per callem equo, subsequẽteq;, cui ipse præerat, equitum turma, fugato præsidio, quod post munitiones excubabat, aliquanto longius, planitiem uersus progreditur, ibiq; tantisper prospectãs stetit, dum Regem de ijs quæ acta erant, certiorem facit, expectatq; suppetias mitti. Cæterum non expectato Regis iussu, magnus tum peditum, tum equitum numerus eundem insistentium callem, qui attritu ungularum factus erat aliquanto habilior, trans munitiones irrumpit, iungiturq; Annechino. Ille se uiribus ubi ijs auctũ sensit, aliosq; atq; alios subsequi intellegit, ulterius progressus, conspicatur Martianum pluribus cum turmis uenientem subsidio suis, magnoq; ferri impetu. Itaq; cohortatus suos, factusq; illi obuiam, impressionem eius primo fortissime excipit, dein uiribus usus, facile eũ, atq; confestim repulit & uirtute equitum, & militum multitudine subinde ingruentium, uersumq; in fugam parum abfuit, quo minus regius eques inter frutices illum, uiarumq; anfractus interciperet. Missæ igitur à Ferdinando complures auxilio turmæ, ad Suessanos usq; cliuos insectatæ fugientes sunt. Interea ad munitiones acerrime pugnabatur, quibus magno impetu captis, totus ferè immissus est exercitus. Dum autem maritima oppugnatur turris, fitq; inter pugnantes de deditione mentio, explosa colubrina ab illis, qui turres defensitabãt medias, præfectus maritimæ qui de dedẽda turre agebat, colubrinaria pila traijcitur, cuius casu turbati reliqui q in propugnaculis erãt, ac perculsi metu se se dedidere. Tum uero magnæ excursiones Albanos per agros factæ. multi mortales occupati messibus, passim in campis capti, cum bubus, iumentis, equis. pecorisq; ingens uis abacta. Quod Regi ubi nuntiatum est, missis confestim qui equites reuocent, iubet uniuersos in castra regredi. Multa enim cum supra opinionem successissent, & dolos uerebatur, & consilij incertus erat. Die quæ insecuta est, dirutis munitionibus exercitus immissus est, cum impedimentis, castraq; secundum Lyrim in pratis posita, eoq; tormenta mature conuectari iussa, pòsq; è scaphis, atq; interiectis tabulis super Lyrim

ſtratus. Interim mediarum turrium præfectus, deſperatis auxilijs ſuæq; , ac ſuorum ſaluti parum fidens ſi tormenta propius admota eſſent, deditur, his conditionibus, uti liberum cum ueſtimentis, ijsq; qui cum eo eſſent abire Sueſſam liceat. Rex igitur, quo hoſtem ad inopiam ac famem redigeret, diebus ſingulis, producta maxima copiarũ parte, conuocatis frumentariam ad prædam finitimus, agros uaſtabat, atq; excectas ſegetes, frumentumq; comportari in caſtra, tutosq; ad locos iniungebat, ſumma cura per ſolertes atq; idoneos uiros huic rei adhibita. Perlatis itaq; in caſtra tormentis, decreuit Rex arcem quæ trans Lyrim à Martiano tenebatur, expugnare. Itaq; concuſſis aliquot ictibus eius muris, non multos poſt dies, facta à præfecto deditione, arx recepta eſt. Per eoſdem dies Neapolion ad Regem in caſtra uenit, communicatisq; ſimul conſilijs confeſtim ad exercitum in Arpinatem redijt. Tumultuatum eſt etiam in caſtris ad Falciculam. Id ſignum eſt gregariorum militum, dum ad arma aduerſus ducem concurrũt. Nam in unum omnes locum armati ad id nomen conueniunt, ducesq; ſibi ſuo ex ordine ac numero ſtatuunt. Neq; etiam raro aut duces ipſos exercitus in medio belli ardore deſerunt, aut forum rerum uenalium diripiunt, non nunquam etiam ducum ipſorum tabernacula. Tumultus huius ea fuit cauſa, quod gregarius propter rem furto ſubreptam, à prætore, qui nunc magiſter caſtrorum dicitur, Gallico autem uerbo Mareſcallus, ad ſuſpendium trahebatur, quod ægre multitudo cum ferret, repente gregarij rei amicus cœpit conclamare Falciculam. Ibi è ueſtigio gregariorum undiq; nimbus conuolat, parumq; abeſt tumultuatio à direptione tabernaculorum. Rex tamen facile poſt primum impetum, inſtructo ſtatim equitatu repreſſit tumultuantes, ac bonis uerbis delinitos, ut ad tabernacula ſedatis redirent animis ſuaſit, condonata reo uenia. Spoliatis igitur campis, omnibusq; fortunis exutis agris, decreuit Rex expugnare Montis Draconis roccam. Id oppidum ad Maſſicorum exitum montium, qua in mare, atq; ad meridiem ſpectat, editiſſimo in uertice ſitum, Falernos, Stellatisq; deſpectat agros. Ad eius autem montis latus, qua in mare uergit, ueſtigia extant ueteris oppidi Petrini, cuius è ruinis, quod nunc eſt in uertice conſtitutum oppidum, traxiſſe originem, ſunt qui arbitrentur, Ad alterum uero latus, quod ſolis proſpectat ortum, facellum exiſtit Marci Euangeliſtæ, poſt cuius aram hiatum eſſe ſubterraneum indigenæ affirmant, in quem ubi paulũ modo deſcenderis, ad intimum ipſum montem ſpecus panditur, ingens ipſa, ac nunc latis, modo anguſtis anfractibus uaſta, & horrens, quos qui ingreſſi

quandoq; fuerant, nunquam post id reuersos, quod à dracone antrĩ
custode, tetro primum exanimati afflatu, mox etiam deuorẽtur. Atq;
ob hãc ipsam causam de dracone nomẽ mõti est íditũ. Referebat Phi-
lippus notarius, loci eius incola, uir summa fide, ac multo rerũ usu,
mihiq; perfamiliaris, hiatum illum superiniecto saxo occlusum olim
iussu Iacobi Sannazarij Neapolitani, uiri patritij, qui oppido, finiti-
misq; imperitauit agris, sub Ladislao Rege, cui ob uirtutem, reiq;
militaris peritiam cum primis ille fuisset acceptus. Dum Iacobus ipse
& superstitioni ratione hac it obuiam, & nequis è popularibus, aut
accolis, ut sunt humana ingenia, dum explorandi studio capitur, an-
trum ingressus aut ruina deiectus, aut aspiratione tetra afflatus diẽ
illic obiret. Quam ipse causam esse duceret nullius ingredientium re
ditus. Locus is igitur & aditu difficilis est, & natura, manuq; permu
nitus, quiq; pacis tẽpore propter asperitatem ab habitatoribus destitua
tur, qui sub ipsum montẽ, uicum maxime frequentem inhabitant, cui
nomen est ad Marcos. In eo uico collocatis Rex equestribus copijs, pe-
ditatum ferè omnem distribuit in colle, qui uertici ex aduerso obijci-
tur, interiecta cõualle, nuda arboribus, horrida saxis, accessu aspera,
ac difficili. Disposito hic peditatu, delegit Rex locũ statuendis bõbar-
dis, magnoq; fabrorũ labore structis, cõgestisq; absq; calce lapidibus,
castellũ ædificat. Quo perfecto, uiam subuectandis ad castellũ bom-
bardis per obliqua, confragosaq; montis latera cõplurium dierum,
plurimorũq; hominũ opera strauit, produxitq; in summũ. Rex horta
ri uidetur, uti pro meo ĩstituto, et regionũ, et locorũ tũ nouas, tũ ueteres
appellatiões referã, quo quæ dicuntur à nobis apertiora fiãt legẽti
bus. Vetus Cãpania per Augusti tẽpora ab meridie mari Tyrrheno,
ab occasu Tiberi, Sarno flumine ab ortu, Hernicorũ, ac Sãnitiũ mõ-
tibus à septẽtrione claudebatur, multos populos, ac gẽtes, præclarissi
masq; intra se urbis cõtinens. Post clades igitur Italicas ab exteris il-
latas nationibus, postq; euersionẽ Romani imperij fines quoq; mutati
sunt, et cũ ipsis finibus regionũ nomina. Itaq; tractus is omnis qui ẽ
à Tiberi ad Tarracinẽsem saltũ, post Amarenũ Latij oppidũ per Ve
litras, Syrmonetã, Setiã, Priuernũ, Tarracinãq;, Maritima hodie ora
dicitur, corrupta aũt à uulgo appellatiõe Maremma, uidelicet quod
mari adiaceat. Qui uero tractus, Prænestinum post agrum, per Val
montoniũ, Ferentinum, Anagniam, Frusinonem, Ceparanum, Aqui-
natem ad agrum porrigitur, suo nomine hodie quoq; Campania uo
catur. Vterq; autem tractus Romanæ Ecclesiæ ditionis est. A saltu ue
ro Tarracinensi, finibusq; Ceparanensibus Neapolitanum regnũ in-

cipit. Quodq; agrorũ atq; urbiũ ab eo saltu, ijsq; finibus ad Sarnum usq; fluuiũ, cui nunc Scaphata nomen est, interiacet, Leboria terra dicitur, appellatione inde ducta, quod quæ terra à latinis olim Campania diceretur, à capiendis fructibus, atq; ab ubertate soli, quiq; nũc Capuanus est ager, quod Græcæ illum tunc gentes atq; urbes colerẽt, eadem nominis similitudine, Leborij dicti & agri, & populi. Quo circa exigendis uectigalibus regij quæstores diuisis prouincijs tractũ hunc Leboriam appellauere terram, in qua sunt Fundi, Hydris, Caieta, Mola, Casinates, Suessa, cuius ager Albanus quondam dictus est, Theanum, Venafrum, Capua, Caserta, Auersa, Puteoli, Neapolis, Nola. Cui adiungitur ab ijsdem quæstoribus, Samnij quoq; pars ea, in qua est Bouianum, & Isernia, qui ager recenti nomine est Molisius, Molisio ab oppido, à quo originem duxere qui agro quondam imperauerũt. Qua è re familia quoq; Molisia hodie agnoscitur. Subuectis igitur summum in collem bombardis, multo hominum labore, maiore iumentorum, boumq;, pluribusq; diebus frustra absumptis, quod oppidi mœnia septentrionem uersus, qua bombardis exposita erant, in summo erigebantur uertice, cum tamen uniuersum post ea oppidum in austrum uergat. Itaq; quod tormentorum longior esset iactus, muriq; humiliores, ictus ipsi frustrabantur bombardarũ, Nam aut superuehebantur propugnacula, aut montis percutiebant saxa, uerticisq; exesas cautes, quibus muri impositi. Neq; huic rei adhiberi remedium poterat, non temperandi pulueris, non ad normam minutius exigendi, atq; ad metã, & ad iactum lineas. Quæ res Ioannem, Martianumq; inuitauit, quod pollerent peditatu ad inuadenda tormenta, eosq; qui in præsidio pedites, equitesq; in colle ad castellum constiterant. Itaq; intempesta nocte per anfractus uiarum perlatus Andegauiensis miles, ubi propior factus est castello, magnis sublatis clamoribus uigiles inuadit, eosq; qui in præsidio erant, cædit, fugatq;, castellumq; adortus tandem per uim eo potitur, uulneratis primo, inde captis qui ad bombardas intra castellum excubabant, in quibus fuere strenui, ac nobiles uiri. At qui ad Marcos in castris uigilias agebãt, re per clamores cognita accurrunt. Rex & ipse, ut quisq; armatus offerebatur, alium post alium summittit, donec copiæ omnes armatæ ad signa constitere. Etiam prima rubescebat aurora, cum hostes conspicati ascendentem militem, superantemq; montis ardua, relicto castello, tormentisq;, non expectato primorum ascensu, cum captiuis per montes citato gradu, Suessam se recipiunt. Rex territabundus, quanq̃ oppidanis excidium, direptionem, cædemq; minitabatur, irrito tamen

incœpto, paucis post diebus inde abijt. Verum enim irritum obsidionẽ, utq; in cassum cederent conatus tanti, fusus repente cœlo nimbus effecit, laborantibus, ac penè enectis siti popularibus. Nã quod menses aliquot nullos aër hymbres dederat, & quod in cisternis erat collectum aquarũ, id omne exhaustũ cũ esset, languentibus maxime agrestibus, cunctis deniq; ob aquarum inopiã postrema metuentibus, nefarium ad sacrum, Magicaq; ad maleficia concursum est. Quod in summis miserijs, ultimaq; aquarum penuria perditissimis à sacerdotibus commentum esset, dum impie agendo, Dei simul iras, & aëris turbationẽ, ac tempestates exciunt. Inuenti enim ex oppidanis, atq; obsessis sunt, qui nocturnis in tenebris, deceptis castrorum uigilijs per asperrimas rupes furtim profecti ad litus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabundi immerserint, cœlo, mari, terrisq; tẽpestatem imprecati. Quo etiã tempore sacerdotes quidã mortalium omniũ scelestissimi dũ satisfacere profanis militum artibus student, ritum nefariũ secuti, quo, ut dictũ est, in huiusmodi necessitatibus elici hymbres putantur, asino pro ædis foribus cõstituto, tanquã agenti animã cecinere funestum carmen. Post diuina Eucharistia in illius os, palatumq; iniecta, conclamatũ asinum funereis cantibus, uiuum tandẽ ibidẽ pro templi foribus humauere. Hic uero uix dũ perfecto sacro obnubescere aër, ac mare agitari uentis cũ cœpisset, diesq; medius offundi tenebris, ac nunc cœlũ micaret ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlũ, terræq; horrescerent, uolitarent euulsæ uentis arbores, discissaq; fulminibus saxa cõplerent auras fragoribus, prorupit tanta è nimbis pluuia, hymbresq; tã ualidi, ut non cisternæ modo colligẽdis aquis satis nõ essent, sed arentia saxa, rupesq; exustæ solibus, torrentes undequaq; prolapsos diffunderent. Itaq; Rex qui sola in siti potiũdi oppidi spẽ collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sauonẽ uetera in castra redijt. Ceterũ existimare Deũ iratum, beneficiũ pro scelere referre, neq; pij est hominis, neq; rerũ naturæ callẽtis, atq; peruestigantis causas. Quo eni maiores inualuere siue hyeme, siue æstate æstus, cœliq;, ac terræ siccitates, eo tẽpestates cõsueuere post sequi fœdiores, nimbiq; magis procellosi. Habente hic castra Ferdinãdo, leuibus quidẽ ex initijs agitari cœptũ est de pace, Martiano populariũ iras ob famẽ, futurũ in annũ uerente, Ferdinãdo autem metuente Tarentini perfidiã, quodq; intellegeret quartana illũ magis magisq; in dies premi, ex eo cupiente in Apuliã q̃ primũ, finitimaq; Tarẽtini locis locã cũ exercitu proficisci, ad naturæ extremos casus. Itaq; æquis condi-

tionibus pax fit. paci additur alterum affinitatis uinculũ, Beatrixq; Ferdinandi filia, quæ post Matthiæ Hũgariæ Regi nupsit, Ioanni Baptistæ Martiani filio despõdetur, permittente Põtifice, ꝙ uterq; et uir & uxor alter è sorore, è fratre altera, Alphonsi Regis liberis orti essẽt. Moxq; ex cõuento Beatrix à Ferdinãdo Suessã, ad Helionorã sororem mittitur, futurũ pignus et securæ pacis, et certi matrimonij, cum esset uterq; impubes. Andegauiensi publica fides data, tuto se Isclam ad Torrellã conferendi, quibus cum etiam uellet è suis. Cæteris in quæ loca, & ad quos uellent accedẽdi potestas permissa. His igitur peractis, Rex extrema parte æstatis in Apuliam profectus, positis ad Luceriã castris, inde ob sclopetorum, colubrinarumq; diurnos, nocturnosq; displosus, repentinasq; cuiusq; modi militũ generis cædes, dimissa obsidione Manfredoniã petit, quam uersus cum è Campania discederet, ænea comportari tormẽta iussera:. Itaq; uno fermè tẽpore et Rex propter mœnia metatus est castra, et carri cum tormẽtis, alijsq; machinis eò peruenere, Quibus aduersus muros à septentrione adiactum admotis, paucis diebus, quassata mœnia, dirutæq; turres, dedẽdæ spem urbis pollicebantur. Cũ iam in castris ob summã commeatus inopiã penè tumultuatũ est, stipendiaq; cõclamari uniuerso à milite cœpta. Rex igitur quo sub spe stipendiorũ è uestigio soluendorũ exercitum prõptũ, paratumq; ad imperata haberet, Barolũ ad ea cõparãda proficiscitur. Eo uix digresso, nauigia duo onerata fabis, atq; à Tarentino sub speciẽ exercẽdæ mercaturæ ab Vigilijs, quod maritimũ è oppidum missa, cum appulissent, ad litus consistere, admonitiq; nauigiorum ac fabarum domini, non licere, qui amici essent, obsessam eos urbem ingredi, aut adiuuare annona, fabam in continenti expositam regio quæstori uendidere, quàm per equitum ac peditum cũ distribuisset capita, hac ratione tridui consuluit exercitus totius fami. Cum interim ducibus oppugnationem parantibus uentum est ad deditionis conditiones, quarum medius Barolitanus cũ esset Barnabâs, scriptis ijs quæ ad Regem mitterentur, dum inter ciues, militesq; pacata seruntur colloquia ad muros atq; ad portas, facto ex improuiso impetu, ducum fraude, ac prædæ cupiditate per ruinas mœnium irruptum est in urbẽ eaq; fœdissimo exẽplo direpta. Atq; inter sacra profanaq; discrimẽ nullũ habitum. Quæ res ingenti Ferdinandũ dolore affecit, qui ne statim regredi Manfredoniam ad exercitum posset, aliquot dierum febricula effectum est. Interim arx Sancti Angeli dedita cum thesauris, qui in ea erant, missusq; ad eam accipiendam cum præsidio Iouianus Pontanus, qui Regis iussu in castris remanserat, quo ducibus

adesset copiarum in administrandis rebus. Descendentem in Apuliã Regem Antonius Agellus, & Antonius Vidanus adierunt Tarentini legati, ijq; Romam, uti aiebant, ituri, post habitũ cum eo congressum, Rex illos ad Ioannem Antonium remisit, qui aggrauante quartana Idibus Decembris in arce Altemuræ diem obijt. Mors tamen eius suspicione non caruit. Nam uterq; Antonius in suspicionem cum uenisset initi cum Rege consilij, subminatus (in cubiculo solus cum esset, ac sine testibus) Tarentinus eis fuerat, ubi Tarentum, quo properabat, peruenisset, securi quàm primum in illos animaduersurum. Id à puero qui assiduus in cubiculo uersabatur, clanculum, & quasi non audisset exceptum, atq; ad alterum ex Antonijs perlatum, à quo blanditijs, pollicitationibusq; delinitus puer fuerat, præproperãdã ad necem perpulisse utrunq; creditum est. Itaq; ad multam noctem ingressos cubiculum, ut qui repentinum aliquid afferrent, somno, morboq; oppressum strangulasse, statimq; ad Regem misisse mortis nuntium. Multaq; comperta uiolentæ mortis signa, statim diuulgatum est. Rex accepto nũtio, missisq; qui urbem, atq; arcem acciperent, cumq; ijs simul Marino Tomacello, fideli, & cauto uiro, qui duodecim millia aureũm ex arce, magnamq; auri, atq; argenti summam inde in castra ferret, accito è Manfredonia milite, solutoq; stipendio ad Aufidum pergit, atq; inde mouens in agro Tranensi consedit, tantisper ibi moratus, dum qui post Ioannis Antonij mortem, Barensi in terra motus fierent, ab exploratoribus significaretur. Inde uero cum ad Quartanam mouisset syluam, maneq; solis sub exortum, innumerabilis ferè sturnorum numerus palustribus è locis in aëra perlatus cum esset, ingruens ex improuiso falco accipiter, eos repẽte fugat, ac disijcit, tantusq; inuasit aues metus, terrorq;, uti inter acies conuolarent, acsi armatorum ad ordines confugerent, magna exultatione incedentis agminis, feliciq; bene uaticinantium militum præsagio. Quo augurio proficiscens Rex, ad syluam ubi peruenisset, nuntios accipit, urbis ferè omnes & Barensis, & Hydruntinæ terræ, inuocare Ferdinandi nomen, ac salutare eum Regem. Quædam etiam statim oratores in castra misere, quosq; ipsæ uocant Syndicos, qui publico populorum nomine seq;, urbesq; dederent. Cum autem factus esset certior Ferdinandus, Iulium Antoniũ Aquæuiuũ Tarẽtini generũ, cũ uiginti equitũ turmis in armis esse, idq; studere, quo Baro urbe potiretur, in cuius arce ad quadraginta aureũm millia seruarẽtur, Triliciũ uersus castra mouit, ubi pluribus diebus cũ haberet castra, Barũ, atq; arcem ipsam finitimis cum oppidis recipit. Interim Iulius Antonius, q̃ uiuẽte ẽt Ioãne Antonio,

Regis fouerat partes, quod & populos in Regem inclinanteis cerneret, & spurium Ioãnis Antonij filium, nequaquam eo ingenio præditum nosceret qui succedere paterno imperio dignus atq; idoneus uideretur, cum Rege pactus, liberali ad illum animo in castra suis cum copijs uenit, uexillaq́; ueneratus est. Inde Rex dispositis opportuna per loca copijs, Tarentum profectus, omnia pacata inuenit, nullumq́; fuit alicuius nominis oppidum ad quod non accesserit, benigne, liberaliterq́; acceptus à ciuibus, quos ipse publice, priuatimq́;, ac præsertim bene meritos quosq; prosecutus est priuilegijs, muneribus, beneficijs, aliosq́; liberauit uectigalibus, alios ornauit stipendijs, equestriq; prærogatiua. Compositisq́; regionum earũ rebus, sub ipsum uer Neapolim redijt, uictor, opibusq́;, & fama insignis, diuersis etiam oratoribus qui ad eum conuenerant, alijsq́; et bello, et pace claris uiris, in ijsq́; Alexandro Sfortia, qui ad eũ è Theatibus uenerat, ac Bartholomæo Cardinale comitantibus. Duxit autem secum & Iuliũ Antoninum, cuius opa, cõsilijsq́; i maximis pacis, ac belli rebus ex eo usus est, cuius etiam ductu multa post & fortiter gesserit, & feliciter administrauerit, tametsi in toga quàm in armis non minus uir hic claruit, ad præstantissima quæq; natus munia domi, forisq́;. Ingredientem Neapolim Ferdinandum ordo, populusq́; nullo non honoris genere cumulauit. Gaudij lætitiæq́; à uiris, mulieribus, omni deniq; ætate, i tẽplis, porticibus, cõpitis, priuatorumq́; ciuiũ domibus signa promiscue præbita. Is postquam & ciuium, & oratorum rebus qui ex Italiæ urbibus gratulatum multi uenerant, satisfecit, reuersus ad belli studia, Isclæ obsidioni acrius intendit. daiq́; maritimæ rei operã. Hinc Oui arcem multis prius usus artibus, corrũpendis custodibus, concutit, admotis ingentis crassitudinis tormentis, in cassum tamen, multorũq; operũ, & dierũ iactura. Longe uero post fame coactus præfectus illam dedidit, qua undiq; perquisita, præter salis pusillũ in ollula, fasciculumq́; salitæ brasicæ, nihil omnino esui quod esset, in arce repertũ ẽ. adeo fortibus atq; obstinatis animis præfectus, defensoresq́; extitere, Inter hæc agente ad Isclã Ioanne, tum rebus alijs, præsertimq́; missa clàm annona, tũ interceptis Martiani literis cognitũ est illũ noua cũ Ioanne inisse consilia, idq́; modo expectari, dũ exectæ messes essent, frumentaq́; intra oppida relata, ne renouato bello fame præmeretur, populariũq; metuendi tumultus Martiano essent. His perceptis cõsilijs, multa cũ animo suo agitans Ferdinãdus, illud primũ curabat, ne ratione aliqua suspectã habere Martiani fidẽ putaretur, qq́; Neapolis graui laborare peste cœperat, quo urbẽ multitudine uacuã faceret, p

hāc speciē statutis Leborio in cāpo tabernaculis eo' se recepit, assiduo uenatu, aucupijsq; nunc Capuano, nūc Auersano se exercens in agro. Quod'q; Caldoræ in Ferentanis hostiliter adhuc agerent, ut qui debellaturus eos esset, soluto militibus stipendio, conuenire eos Rosarū ad Māsionem iussit, atq; ubi maturæ segetes uisæ sunt, repente ad Sauonē uniuerso cum exercitu profectus, Martianum ad se in castra omnibus cum copijs euocat, quo ni statim proficisceretur, illum se pro hoste habiturum, agrum'q; eius omnem hostiliter populaturum significat. ille primo timens pauens'q; prius etiā omnia tentaturus uidebatur, q̄ ut Regis se fidei permitteret armati, & inimicum præ se ferentis animū, tandem & suorum admonitionibus, & quod popularium fame laborantium animos uerebatur, iratos iam, & de rebellione cogitantes, ad Regem uultu, oratione'q; quàm maxime composita in castra uenit, ab eo'q; benigne acceptus est. Cum eo Rex permulta egit tum de rebus suis alijs, tum de conciliandis aut debellandis Antonio, reliquis'q; Caldoris. Ille uero aliquot post dies, ex quo in castris manserat, quiescente in tabernaculo Rege, mane sub exortum solis, equo per castra præter solitum deuectus, deambulans'q; cum paucis ac subinde, quasi multa animo agitans uultum immutabat, alio'q; atq; alio se se uertens, nūc humi fixos tenebat oculos, nunc cœlū suspirans, auras'q; suspectabat. Quod animaduersum cum esset, Regi'q; perlatum, iussit diligenter uadum obseruari fluminis. quo è loco ad Carinulas fugienti (neq; eni amplius duobus millibus passuum oppidum aberat) iter tutum erat uadum prætergresso. Incertus igitur, atq; animi dubius fluctuans'q; diutius cum fuisset, tandē ad uadū iam citato equo repentinus ferebatur. Ibi interceptus à custodibus, captiuus'q; Capuā, atq; inde Neapoli Regis iussu ducitur. Qui stati urbibus, atq; arcibus illius potitur, Helionora cū liberis, ac Beatrice Auersam deducta. Ipse confestim cū exercitu in Sāniū, Ferentanos'q; profectus, receptis in itinere castellis, atq; oppidis ferè omnibus quæ Caldorarum essent, castris ad Vastū Amonis positis, quod olim Istonium fuisse multa docent, acri illud obsidione præmit. Qua in obsidione propter multitudinem æneorum tormētorū, qđ ꝑmulti quotidie passim'q; ac promiscue in castris caderēt, atq; alij coxis, alij brachijs aut humeris mutilarentur. Fœdæ mortes, uulnera'q; fœdiora eēnt, multa præter opinionē Ferdinādo contigere. Futuram nanq; breui Istonij obsidionem præsagiens Antonius, cū ipse se Riparellæ contineret, quod id castellū natura maxime munitū esset, loco'q; summe edito positum, strenuissimum quenq;, ac sibi usu ipso cognitum ex ea quam secum habebat copia, ad urbem tuendam

præmiſerat, præfeceratq́; præſidio Ranerium Ligninum Neapolitanũ, uxoris ſuæ fratrem, acri iuuenem ingenio, conſtanti fide, manuq́; admodũ promptum, ac maximo quoq; quod offerretur periculo exultantem. Horum igitur opera, pertinacibusq́; effectum eſt ſtudijs ac laboribus, uti Rex obſidionem tandẽ omitteret, plurimis diebus magna cum ſuorum cæde fruſtra abſumptis. Itaq; diſpoſito milite finitima per caſtella, qui ne commeatus in urbem inferretur, prohiberet, fame Iſtonienſes compellere ad deditionem decreuit. Ipſe ad conſtituendas regionis eius res conuerſus, illis compoſitis, ſub autũni exitum in Cãpaniam regreditur. Antonius poſt Regis digreſſum, relicto Riparellæ præſidio, cum ea quam ſecum habebat manu hoſtem fruſtratus nocturno tempore itinere maxime occulto Iſtonium ingreſſus, populares primo cohortatus, multa ſpe, ac pollicitationibus illos honerat. Deinde cum intellegeret ciues diutius famem nullo pacto toleraturos, Reſtainum filium ad Regem in Campaniam miſit, qui cum eo de ſe dedendo, deditionisq́; conditionibus ageret. De qua Neapoli cum ab Reſtaino ageretur, interim Iacobus Carrafa quem rex militibus qui in finitimis Iſtonio caſtellis hyemabant præfecerat, clàm cum primoribus agere de deditione cœpit, quos ad ultimam propè famẽ redactos ſine ſpe maritimi, aut terreſtris ſubſidij, honeratos etiam promiſſis facile in ſententiam ſuam pellexit. Itaq; quo maxime tempore Antonius ſperabat regi ſe pacatum filij opera, resq́; è ſententia pro temporum tamen ſtatu compoſitum iri, tumultu in foro exorto, excitãtibus illum Thoma, Petro, & Franciſco fratribus, è Sanctorum familia, à tumultuantibus capitur, confeſtim regio inuocato nomine. Cuius rei certiorẽ cum feciſſent Ferdinandum, eius iuſſu Antonius Auerſam perductus arcis præfecto cuſtodiẽdus traditur. Paucos tamẽ poſt dies, Reſtaino filio procurante, quod captus is fuiſſet interea dum de deditione ageretur, reſignata prius Riparella, è carcere liberatur, conſtituto ſatis etiã liberali ſtipendio, quo Neapoli priuatus cum uxore, ac familia honeſte uiueret. Is uero haudquaquam multos poſt menſes, ſub ſpeciem curandæ ægritudinis, cum ſe Baianas contuliſſet ad balneas, Romã inde comparatis clàm nauigijs fugit, nec multo poſt Viterbiũ, inde Firmium in Picenum proficiſcitur. Ad ultimum uero Eſim petijt, ubi diem haud multos poſt annos obijt, uir ſpecie quidem, atq; alijs corporis muneribus abunde clarus, atq; excellens, quibus ſi animi quoq; dotes acceſſiſſent, in eas nunquam calamitates incidiſſet. Per idem tempus Alexander qui Piſauri hyemauerat, maturato in Marſos reditu, iunctis cum Matthæo, ac Roberto copijs, nam et ipſi ex hybernis pro

dierant, Aquilanum in agrum progreditur, tentaturus per idoneos homines ciuium animos. Illi igitur Tarentino mortuo, prostratis atq; attritis Andegauiensiũ rebus famem etiam cum timerent, agrorũq; uastationem, oblatas ab Alexandro conditiones accipiunt, ac per eum impetrata uenia Regi se se dedunt accipiente urbem eam Regis nomine Nicolao Statio, qui tum apud Alexandrum Regis ipsius iussu agebat. Quæ deditio (nam ciuium ipsorum haud exigua in Pontificem Romanum inclinabat pars) Ferdinandi rebus plurimum authoritatis addidit ac uirium. Eæ nanq; urbis eius erant opes, ciuiumq; ipsorum uires ac facultates, ut facile in quam ipsi declinarent partem, Aprutij reliqui populos fermè omnis in eam traherẽt. Hæc urbs Amiterni de excidijs paulatim creuit, q oppidum Sabinorum quondam fuerat, idq; maxime celebre Aboriginum etiam tẽporibus, qua tempestate Aternus illud annis non dum alijs auctus fontibus medium secabat. Aberat tum haud multum ab Aterno uiæ uiculus de fonte dictus Aquula, quod nomen hodie quoq; ps ea seruat nouæ urbis Aqlæ. Diruto igitur Amiterno p ea tempora, quibus extincto Romano imperio Italia ab externis est nationibus occupata, ciues diuersi alius alium in uicũ cum concessissent, aucta maxime tum ciuiũ, tum conuenarũ frequentia est Aquula pp agri opportunitatem, fontisq; ipsius usum, atq; ubertatem aquarum & pabuli. Nã pecuarijs ẽ quæstibus Aquila præcipue creuit. Sensim itaq; atq; non unis temporibus conueniẽtibus accolis, forum efficitur rerum uenalium, emporiumq; regionis totius, finitimorum deniq; uicorũ omniũ, ratione hac conuentus et caput. Cuius etiã frequentiæ accessit Forconij propinqui oppidi euersio. Nam & Aquilæ propinquum ab exortu solis agrum Forconensem uocatum comperior. Adhæc & deleti etiam oppidi alioq; de nomine etiamnum extant uestigia. Cum igitur aucti diuitijs conuenæ hostileis timerent ĩcursus, inito simul cõsilio decreuere, uti dimensi solum, quantum abunde satis esset, regionatim in tot distribuerent partes, quot uici ad inhabitandũ conuenissent, singulisq; partibus, quæ hodie quoq; nomina uicorum seruant, singulis attributis uicis, solum uniuersum mœnibus undiq; cinxerunt, quiq; breuis ab initio uictus fuerat nomine de fontis Aquula, auctus post ciuibus, atq; opibus, prolatis etiam finibus facta ẽ Aquila, urbs quidem ipsa ciuibus, authoritate, & opibus clara, regionisq; totius caput. Nam & populus ipse q̃q̃ lanitio deditus ac texturæ, maxime tamẽ bellicosus est, finitimusq; undiq; formidini, nec minus etiam Regibus qui Neapoli imperant.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE BELLO NEAPOLITANO LIBER SEXTVS ET VLTIMVS.

d

Vm hæc biennio fermè geruntur, Aenariæ inte
rim res insulæ factæ in dies asperiores erant. Ca
rolus enim Torrellæ frater comparata octo tri-
remium classe, magnoq́; biremium, aliorũq; na
uigiorum numero, ingentem omnis generis rerum
prædã in Isclam conuexerat, seq́; maritimæ Cã
paniæ oræ maxime formidolosum fecerat. Quo tempore regius mi=
les munitionibus inclusus, magisq́; ipse obsessus, quàm qui obsideret,
fame, sitiq́; laborabat, atq; ad extremum adductus deditionem medi
tabatur. Adhæc mare infestum undiq;. Campanorum litus ab incur
sionibus minime tutum. maritimæ comportationes è Brutijs, Sicilia, Hi
spanijsq́; ab ultimus diremptæ. demum nulla non nauigatio importu
na, maximeq́; periculosa esse. ac timeri iam ne Torrella prædæ pre=
tio, allectationeq́; tractis ad se diuersarum gentium prædonibus, Tyr
rhenum omne, Siculumq́; infestum mare redderent. neq; Hispanis in
quorum manu maritimæ tum res erant satis credi, neq; alia uia pro
uideri posse. Quibus malis quo prospiceret Ferdinandus, nec tamen
quibus fideret, satis sciens, plurima diuersaq́; animo agitabat.
Quonia autem locus admonet, insulæ situm ac soli naturam pau=
cis exponam. Aenariam à continente tractu motu terræ aliquando
euulsam multa docent, exesæ rupes, solum cauernosum, soli natu-
ra continenti persimilis, arida & calidis fontibus scatens. nutrit inte
stina incendia, unde alumine plurimo abundat. Quin etiam his
ipsis annis Bartholomæus Perdix Genuensis negotiator Neapolim pe=
tens cũ insulam præterueheretur animaduertit aluminosos quosdam
sparsos in ora maris scopulos. Annis enim circiter centũ ac sexaginta
tribus anteq̃ hæc geruntur, ruptis repente terræ uisceribus, exanhela
to incendio, nõ modica sui pte Aenaria cõflagrauerat. quæ eruptio et
uiculum igne absumptum post uoragine absorpsit, et qua Cumanum
spectat litus, prouolutis ingentis magnitudinis in sublime saxis, fumo,
flammis, puluereq́; immistis, postq; per agros sparsim impetu suo ia-
ctatis maxime uberem atq; amœnam insulæ regionem uastauit. Qua
tempestate quædam etiam saxa scopulorum instar in litus prouo-
luta cum essent, ea Bartholomæus fornacibus post excocta in alu-
mẽ dissoluit, fuditq́;, reuocata arte ea, è Roccho Syriæ ab se allata,

ubi ipse

ubi ipse plures annos negotiatus esset, quæ multis antea seculis in Italia iacuerat. Gignit ager nobilissimi generis triticum. fert et generosissimum uinum. estq; hortensium frugum maxime ferax. populares insulæ uicatim habitant. positus ipse plerunq; tumulosus & arduus, insurgit in ea mons apprime editus, in cuius pene uertice fons scatet eodem quo & ipse mons nomine Abocœtus, ab auium frequentia (ut arbitrantur) dictus. cum reliqua insula gelidorum laboret penuria fontium. litora incurua magis quàm recta. cœlum clemens ac salubre. iungitur monti in quo est urbs sita, mole manu olim iacta. uniuersæ ambitus complectitur decem & octo circiter passuum millia. abest fermè decem à continente. diuiditur a Prochyta freto non satis amplo. In eam Alphonsus eiectis inde antiquis colonis uictor è militibus qui secuti eum essent, maximeq; Hispanis coloniam deduxit, arcemq; quàm munitissimam struxit. Cuius post & arcis & oppidi & insulæ uniuersæ moderationem cum demandasset Lucretiæ, ea permittente rege substituit & arcis custodiæ, et moderationi popularium Ioannem Torrellam Antoniæ sororis suæ uirum. Hic Alphonso mortuo, cum dominandi cupiditate teneretur, uiolato iure fidei ac necessitudinis, restituere primo eam Lucretiæ contempsit, dein quod intellegeret illam cum Andegauiense sentire, re Ferdinando significata, ab eo sibi & urbem & insulam impetrauit. Atq; haud multo post (ut erat insatiabili auaritia, incredibili ambitione, summa inconstantia, perfidia etiam barbara) cœpit cum Ioanne clàm agere de amicitia, promissaq; ab illo sibi Prochyta, statim cum Petro Coxa qui insulæ imperitabat simultates primo, post apertas etiam inimicitias exercere. Hinc Ferdinando maioribus curis presso, traiecto triremibus freto, expositisq; in litore militibus insulam populatur, mox comparatis necessarijs, oppugnare oppidum decreuit, cumq; à rege monitus, ne fidelem, & sibi maxime acceptum hominem armis peteret, nec ab incepto desisteret, ac tantum non fame coactum Petrum ad deditionem coegisset. Tãdem Rex necessitate uictus, comparata classe, Torrellæ militẽ Prochyta expulit, liberatumq; obsidione Petrũ commeatu plurimo, ac militibus iuuit. Torrella per hãc occasionẽ confestim ad Andegauiensem desciuit, quem post ad se confugientem urbe acceptum, opibus etiã suis fouit. Quod ni Tarentini secuta breui mors esset, transmisso in Brutios cũ triremibus (uti conuenerat) Ioanne, insequẽti anno bellũ priori lõge infestius calamitosiusq; instauratum iri apparebat. Igitur Ioãnes in Isclã delatus, conspecta munitionũ natura, primo mediocribus prælijs infestare regios, eos extra munitiones excitos sauciare, fati-

gare, haud quieſcere ſinere, poſt ne caſtris e grederentur, prohibere, ar
cere à lignatione, nequid ab inſulæ popularibus importari poſſet, caue
re, ſclopetis, colubrinis, bombardis die noctu'q; infeſtare, multos in
propugnaculis, non paucos intra tabernacula uulnerare, aut mem
bris mutilatos lacerare, donec eos cædibus, uulneribus, mutilationi-
bus, fame, ſiti, laſſitudine, peſtilentia è diutino labore, neceſſitudine'q;
exorta affectos ad ultimam rerum ac malorum omnium difficulta-
tem artibus his redegit. In hac ſumma rerum omnium inopia illud
eos maxime angebat, quod clauſi terra, mari'q; undiq;, quo in ſtatu
res ſuæ eſſent, ſignificare nec Regi poterant, nec ab illo certiores
fieri, quid pararet, quid ab ipſis parandum eſſet, quando præſi-
dium expectandum, omni itinere, terra, mari'q; intercluſo. Itaq;
Rex magno nuntiorum diſcrimine ab iјs qui Abocœtum tueban-
tur montem, de ſuorum difficultatibus certior factus, re in ſenatu ſæ
pius diſceptata, cum omnes de ferendo ſubſidio deſperarent, quippe cũ
hoſtium claſſis abunde potens, pollens'q; eſſet, contra Regi eo tempore
præter triremim unam maritimi apparatus nihil eſſet, in ea conſilio
rum infirmitate, conſternatione'q; animorum, Ioannes Pous trire-
mis eius præfectus, cæteris animo perculſis omnibus ipſe animi ple-
» nus. At inquit longe ſecus ego ſentio Rex, longe'q; alia mihi mens, ali
» ud'q; a' uobis conſiliũ eſt duces. Mihi eſt animus, expoſitis ab altera in
» ſulæ pte in terrã militibus, occupato mõte qui mari immunet, inde de
» currere, gladio'q;, et haſta, modo lectus mihi miles detur, aperire ad
» munitiones uiã, hoſtẽ'q; ferro medium cædere, & commeatu immiſſo
» liberare ab fame, obſidione'q; munitiones. Huic ſententiæ aliј ut genero
ſæ forti'q; fortes ipſi aſſentiebantur, contra aliј ut temerariam aſper-
» nati repudiabãt, metu in maius aduerſariorũ res tollente. Tum Pous
» rurſus, Vobis inqt uiri regia de re tãtũ agitur, mihi de regia, et mea,
» de ſalute itẽ, incolumitate, bonis'q; meis oĩbus. Si uicero, regiјs, et meis
» rebus iuxta cõſuluero. ſin fortuna, ꝙ nullo pacto reor, ĩceptis meis inui
» derit, Regi nihil amiſſum, mihi uita'q; et fortuna omnis in æquo mea
» ponitur. Et uos qdẽ Iſclæ res deſperatis habetis, ego uero eas à cala
» mitate ut uindicẽ, meo rerũ'q; mearũ omniũ diſcrimine laboro, et co=
» nor. Nolite quæſo tanta meis mihi pariundã periculis laudẽ inuide=
» re, dabo uobis, mihi credite, hoc uno facinore confectum bellum.
Rex probato eius cõſilio, triremi cõfeſtim ĩſtructa, duabus cũ biremi=
bus, minoribus itẽ nauigiјs duobus, delectis ter cẽtũ peditibus è uete
ranorũ numero, cõmeatu nauigiјs impoſito, noctu è Neapoli ſoluere
eũ iuſſit. Ille tenebris, ſilẽtio'q; feliciter uſus ad finitimũ mõti litus ap

plicat, peditatuq; exposito, triremiq; alijs cũ nauigijs Caietæ petere portũ iussis, montẽ nullo prohibente ascendit, amicéq; acceptus, signo cognito, ab ijs est, q montẽ tuebantur. Nã summo in iugo Nicolai sacellũ est, atq; haud procul uetus munitio ad propulsandos repẽtinos insultus olim cóstituta, cui peregrina, barbaráq; appellatióe nomen est Bastida. Hi communicatis simul cósilijs è uestigio mittunt q de subsidij aduẽtu obsessos certiores faciãt, et qd agédũ sit, doceant, signumq; inter se comittẽdæ pugnæ constituant. Nũtij q penetrare ad munitiões undiq; circũsessas ab hoste nequeũt, Poũ biduo frustrati sunt, q in expectatione rerũ erat. Tertio die Andegauiẽsis cósilij huius inscius incendiariã machinã admoueri munitionibus cum iussisset, ea oblique tracta, in quem minime locum oportuit declinauit, motuq; ipso magis accensa, flammam simul, ac fumum ingentem edidit. Quod conspicatus Pous, metuẽsq; munitionibus à conflagratione, instructa acie descendit è monte. Partem ducebat cohortis Fantagutius, uir maxime strenuus, partem ipse cum Oriola, homine impigro, & ob fidem Regi cognito. Vbi ad locum uentum est, signo dato, occupatum expugnandis munitionibus hostem ex improuiso adorti, magnum terrorem incutiunt. Illi pectore aduerso fortiter incurrentes sustinent. Ac nunc hi, nunc illi, fortuna belli domina uariante, loco cedunt. multi uulnerantur. Strenue utrinq; pro gloria, pro uita, pro libertate pugnatur. Regij eruptionẽ è munitionibus expectant. Andegauienses illinc paucitatem despiciunt, hinc eruptionem uerẽtur. Itaq; innisi uiribus regios aliquantum propellunt. At qui intra munitiones clausi fraudẽ hactenus timuerant, ubi cædes, uulnera, fugis, impressiones eminentioribus è turribus conspicantur, confirmatis maxime animis erumpunt. Editur pugna rara et nobilis, fortibusq; utrinq; animis decertata, utrinq; pro salute pugnantibus, Vtraq; in dextra acies spem, salutem, libertatem repositam habet. regia si cesserit nullo se loco tutam credere. Andegauiensis in medio constituta hostium, non fugæ, non receptui locũ habere. duces, centuriones, præfecti hortari, adoriri, ferire, milites alij impellere, alij cedere, pars capere, multi capi, uulnera, cædes, casus promiscui. Vtrinq; clamores tolli, utrinq; pro pugnæ euentu, aut fuga significari, aut uictoria. Tandem Andegauienses ab fronte atq; à tergo arctius pressi superantur, nec sustentata impressione, pluribus aut cæsis aut captis, reliqui in fugam uersi, pars intra molem, alij pontibus qui expositi in litore erãt, in triremes se recipiũt, alij in mare prolapsi minoribus à nauigijs excipiũtur. Dux ipse Andegauiẽsiũ in fluctus maris mento tenus imissus ægre à suis itra nauem sullevatur.

Victor regius fugato hoſte munitiones ingreditur. Pous conſolatus ma
gis quàm cohortatus liberum iam ab obſidione militem, ſaucios cu-
rari, commeatum importari, præſidiũ per munitiones diſtribui impe-
rat. Languidos aut morbo grauatos inde deuehendos curat. Nec mul-
to poſt conſtitutis è ſententia rebus omnibus, confirmatiſq; militum, ac
popularium animis ad montem reuertitur. Illi uictoria elati, ſpeiq;
atq; animorum pleni felicia omnia ſibi promittunt. ex eoq; hoſtem à
munitionibus, atq; à continente prohibent. Pous è monte ad litus digreſ
ſus, aſcenſa è ueſtigio nauicula, quo diſceſſus hoſtem lateret, Caietam
ad triremẽ deuehitur, ſtatimq; Formiano ſoluẽs litore Iluă petit, ubi
intellexerat regias triremes expectare. Hæ ſimul inde digreſsæ Nea
polim uerſus dum feruntur, Argentario haud procul à promontorio,
quatuor triremes, ac biremes totidem Punicas obuias habent, in easq;
ſtrenue illatæ, unam è biremibus capiũt. Quominus inſequătur fugiẽ
tes, obſtitere Andegauiẽſes triremes, dũ timetur ne inſequẽtibus ipſis à
tergo inferătur. Itaq; felici nauigatiõe uſæ Neapolim paucis diebus ad-
uehũtur. Atq; haud multo poſt, Ioannes Tarẽtino iă mortuo deſperatis
rebus ſuis, in prouinciam inde Narbonenſem enauigat, relinquẽs in
Regni Neapolitani populis, atq; apud nobilitatem præcipue, perma-
gnum ſui deſyderium. Cum eſſet maxime compoſitis moribus, inte-
gra fide, incredibili continentia, ſumma conſtantia, magno in Deum
metu, in homines liberalitate, ac gratitudine, iuſti, honeſtiq; apprime
colens, ac ſupra Gallorum hominum ingenia grauis, ſeuerus, circun
ſpectus. Ferdinandus igitur Aenarienſe ad bellum conuerſus, com-
parata claſſe decem triremium, totidemq; honerariarum, ac biremi-
um ſex, ei Galcerandum Hiſpanum prædonem præficit. Ille complu
reis menſes, nauibus opportune diſpoſitis, urbem ſic cinxit, arcuitq; cõ
meatum, uti tandem ad ſummam annonæ inopiam redactus Torrel
la fratrem è Prouincia arceſſitum certiorem fecerit, ni quamprimũ
ſubueniatur, de ſe rebuſq; ſuis eſſe omnino actum. maturaret igitur
ſe uel pauciſſimos dies uix eſſe toleraturum, uerendamq; interim po
pularium inconſtantiă, præſertim urgente fame. Carolus re cognita,
ac maturandum ratus, honerata frumento naui, inſtructiſq; triremi-
bus, nocturnis, diurniſq; remigationibus, ad ferendum ſubſidium cũ
properaret, ubi in conſpectum uenit inſulæ, inito cum præfectis con
ſilio, triremem optime omnium inſtructam, cui erat Delphinæ ob ce-
leritatem nomen, quæ honerariam remulco traheret, præmittit. Ipſe
cum omni numero ſpeciem præ ſe fert magno impetu inferendi ſeſe
ex improuiſo in Galcerandum, ratus hac ratione dum regia ſe claſ

ſis inſtruit,

ſis inſtruit, dum ipſe ſe ſe minabundus oſtentat omnem regiæ claſſis impetũ in ſe tracturũ, Delphinã interim quaſi parũ animaduerſam ad oppidũ, ipſamq́; montis rupẽ appulſurã cũ cõmeatu, quo facto, fugã ipſe eſſet ĩ altũ abrepturus. At Sãcius Samudius ĩ ſtatiõe collocatus cũ eſſet, cõſpecta Delphina, minime cũctandũ ratus, ſummis uiribus ĩ illã roſtro inuectus, edita cruentiſſima pugna, eã cũ honeraria capit. Quod ubi Carolo cognitũ eſt, ſpeq́; animoq́; deſtitutus cõfeſtim in fugã uertitur. Galcerandus inſtructa claſſe, in altum prouectus, diurna, nocturnaq́; remigatione feſſos ipſe recente remige facile aſſecutus, præter unam, omnes cum Carolo, alteroq́; è Torrellæ filijs capit, captasq́; ſecum Aenariam perducit, ac utranq; ſimul & uictam, & uictricẽ claſſem in ancoris ad fretum ſiſtit. Quod ubi Regi nuntiatum eſt, ingenti cura liber, ac gaudij plenus, cum Ximeno Duræa Siciliæ Legato, qui haud multos ante dies Neapolim ad Regem uenerat, ad Miſenum profectus, Galcerando, præfectisq́; gratulatus, gratias illis egit, quod fortiter feciſſent, quod feliciter rem geſſiſſent, quod eo facinore ultimam bello manum impoſuiſſent, ijsq́; magnifice collaudatis, quid gerendum, quid à quoq; adminiſtrandũ eſſet, conſtituit, ſtatimq́; Neapolim regreditur. Tum uero urbs uictoriæ certa, feſta omnia agere. uiri, mulieres, ciues, peregrini, ſenes, impuberes per urbem diſcurſare, ad litus currere, molem peruagari, qui uictrice è claſſe rediſſent, ſciſcitari, gratulari, complecti, uirtutem eorum in cœlum ferre, conuiuia parare, publice, priuatimq́; lætari, quod mare liberum, quod nauigatio ſecura, quod tandem pax terra mariq; omnino eſſet parta. At Iſabella Regina qua erat pietate, et in Deum cultu, uictoriam Deo acceptam referre, ipſa Mariæ aras, ipſa Diuorum templa adire, uenerari, paruos liberos ante ſe ferre, cum ijs ante illorum imagines procumbere, gratias agere, uota ſoluere, ſupplicia pluribus diebus facere, nihil ciuitas uniuerſa, nihil nobilis, ignobilis, ſacerdos omittere, quod ad declarandam lætitiam, nihil Iſabella, quod ad gratitudinem erga Deum, erga diuos, diuasq́; teſtificandã pertineret. Torrella amiſſa claſſe, capto fratre, ac filio, deſtitutus omni ſpe de deditione per Duræam cum Rege egit, per quẽ paucis ante diebus etiam tentauerat, exolutis ſibi à Ferdinando aureum numum quinquaginta millibus, oppido, & inſulæ ſimul cedere. Res igitur Ximeno procurãte conuenit his conditionibus, uti Torrella oppidũ Regi traderet, ipſe liber tutusq́; cum uxore, liberis, req́; omni familiari in Siciliam deferretur regijs duabus triremibus. Carolus frater, & è filijs alter, liberi, ſuiq́; iuris eſſent. Ximenus conuẽtorum præs, ac fideiuſſor eſſet. An

te tamen quàm ille triremibus impositus uela faceret. Ferdinandus coràm exhortatus est eum, uti cum uniuersa familia Neapoli remaneret, rerum se præteritarum immemorem futurum, neq; ipsi, neq; liberis de futurum pollicitus. Ille Regi gratias cum egisset, Neapli soluens in Siciliam primo, post in Hispaniam Tarraconensem, quæq; illi erat patria Barcellonem perlatus est, uir profecto leuitate, ac perfidia sua, deterrima quaq; sorte, ultimoq́; supplicio dignus. Et hic qdē belli huius Neapolitani finis atq; exitus rerum fuit. Cæterum cum regni urbium princeps Neapolis, atq; caput sit, antiquissimaq́; cæterarũ ferè Italiæ urbium omnium, quæ nunc florent, de ea si pauca dixero, neq; alienũ suscæpto operi, et importunum minime uideatur, tum propter uetustatẽ ipsam, & urbis nobilitatem, tum ob rerum plurimarum siue natura, siue hominum arte, industriaq́; comparatarum, copiam, atq; excellentiam, quibus ipsa affatim, mirificeq́; abundat. Quia uero uetustas ipsa, rerumq́; remotissimarum obliteratio, earumq́; cognoscendarum cupiditas ita expostulat, altius quædã repetam et perquisita, et eruta longo studio, multaq́; antiquitatum peruestigatione & cura. Nec uero uitio mihi dari uelim, si antequam de rerum Neapolitanarũ loquor originibus, Italiæ res à remotissimis etiam seculis repeto, & qui, & quales eam populi, aut Reges ab initio tenuerint, in memoriã reuoco. Detur hoc ueniæ laboribus meis, compenseturq́; repetitionis ipsius remotior fortasse explicatio cũ utilitate lectionis, quod condonari mihi non impudenter forsan uidear postulare. Igitur Italiã cui post uniuersæ nomen est hoc inditũ, paulatimq́; prolatatũ finibus, imperioq́;, ab Ionio mari ad Alpes usq; complexum est omnia, quæ supero, inferoq́; abluuntur mari, habuere in initio Vmbri, genus hominum bellicosum, acre, imperij cupidum, quiq; paulatim mediterraneis ac montanis à locis digressi mare uersus Hadriaticum, fines protulerint, ipsi reliqui, superstitesq́; diluuioni, quæ Deucalione regnante in Græcia, ab Aegyptijs, Græciæq́; ipsius scriptoribus extitisse memoratur. Qua tempestate Atlanta absorpta insula, rerum quondam in occasu potita, unde etiam nomen pelago inditum, irrumpente oceano, mare hoc immissum est mediterraneum, quo tunc summersa atq; hausta fuere cuncta, quibus nunc interiectis Europa Africaq; inter se atq; Asia distinentur. fabulosa sanè res existimata propter Poëtarum decãtata admirabiliter ea de re carmina, cæterum quæ nec à natura ipsa rerum abhorreat, & Aegyptiorum consentiat historijs. Hos ante tenuerant Liburni partem eam, quæ est ad superi maris sinum. Quibus pulsis Vmbri armis eam occupauere, quaq; imperiũ protulerunt, tractum

omnem uocauere Vmbriam, uiris post oppidis'q;, diuturnum ob dominatum maxime frequentem. Liburnis finitima tenuere Siculi, atq; Aborigines, gens indigena, uel, ut alij uolunt, ex Arcadia profecta, duce Oenotro Lycaonis Arcadiæ Regis filio, qui postea genti nomen dederit. Cuius etiam frater Peucetus oram alteram superi maris occupauerit, eaq; sit ab illo appellata Peucetia, quæ ante fuisset Iapygia. Regum itaq; nomen gentis uniuersæ ab Oenotro cœpit post quē aliquo interiecto interuallo Italus & ipse Rex ijsdem est à populis dictus, Ab Italo autem & Morges, & Siculus, qui à Morgete fratre dissentiens, dedit parentibus sibi populis nomen Siculis, perinde ut ab illo altero nominati sunt Morgetæ, Atq; hæc quidē omnia multis ætatibus ante obsessum à Græcis Ilium. Hodie quoq; post Marsorū atq; Aquilanorum fines est ager, qui Siculorum nomen seruat mutata prima nominis litera, Ciculi enim uocantur. Nam et Sicilia insula ex illis dicta, ab illiteratis hodie hominibus Cicilia dicitur eadem mutata litera. Est & Vallis item Ciciliana quæ Præcutinorū est in Vestinis, qui sunt inter Aternum, atq; Truentum amnes, quæ regio Piceni quōdam fuit, nunc uero est Aprutij. Successit deinceps illis Latinus belli Troiani temporibus, à quo prisci uocati Latini. Inter Siculos autem atq; Aborigines diutius certatum cum esset, accessere Aboriginum opibus Pelasgi, quibus è Thessalia pulsis, ad eam cum adnauigassent orā, quæ est proxime Padi fluminis hostia, post'q; aliquantum temporis eiecti cū inde ab Vmbris essent, Aborigines ipsi dedere eis sedes in Reatinorum finibus, eorumq; auxilio, commixtis uiribus, Siculorum res uehementius attriuere. Quibus deniq; attritis Siculi relictis sedibus grauissimos post labores ac pericula in Trinacriam traiecere, quam occupatam suo è nomine uocauere Siciliam. Tenuerunt autem in initio Itali qui ab Oenotrijs sunt, Aboriginibus'q; profecti quantum interim agri Tiberi continetur, Lyriq; fluminibus, eaq; prisca fuit Italia, ij'q; Italici populi. Tiberim ultra tenebāt tūc Hetrusci, quos Tyrrhenos etiam dictos uolunt. Hi paulatim eò potentiæ peruenerunt, ut Vmbrorum ipsi imperium deleuerint, omnis'q; Italia ab exteris nationibus, præsertimq; à Græcis ob illorum potentiam fuerit appellata Tyrrhenia. Supra Hetruscos tenuere Ligures, et ipsi antiqua gēs, quæ'q; ausa sit uenienti in Italiam Herculi ire obuiam instructa acie. Quum etiam quorundam opinio fuit Aborigines illorum aliquando fuisse colonos. Hetruscos diutius imperantes, superatis alpibus, Galli pepulere uniuerso ex agro, quem ultra Apenninum montem, ac secūdum Padum fluuium possederant, quorū etiam oppidum fuit Sena,

quæ hodie quoq; Gallica agnominatur. Trans Lyrim uero, proximisq; Lyri regionibus, diuersis tamẽ ætatibus imperitauere Ausonij, Opici, Osci, Hetrusci, Samnites, Campani. Ausonij quidem uidentur fuisse antiquiores quàm ut ab Ausone Vlyssis filio nomẽ acceperint. Nam & partem illam terræ Brutiæ, quæ est ad mare Ionium, satis constat longe prius uocatam Ausoniam, eamq; Ausones primos tenuisse, & mare ipsum Ausonium appellatum, &, ut Halicarnasseo placet Dionysio, quod post uocatum est Tyrrenum, ante Oenotri aduẽtũ ab accolis mare dicebatur Ausonium. Opici uero fuere qui & Ausonij, ipsi indigenæ, ut Rutuli, ut Volsci. At Osci Padi accolæ, ac pulsi ipsi, suis Opicos è sedibus pepulere. Hos dein Cumani à Chalcide deducta Colonia, Hippocle Cumæo, et Chalcidense Megasthene ducibus. Hi cum opibus authoritateq; aucti admodum essent, subiecere sibi finitimos populos. Omnem post eis agrum ademere Hetrusci, ac uariante fortuna, Sãnites Hetruscis. Dicti autem Samnites à nostris initio Sabelli, ipsiq; à Sabinis orti, postquam in Sabinorum nomen transiere, qui ante Oenotrij fuerant, atq; Aborigines. Ex ijs deinde agris Sãnites hos eiecere Campani, quorũ princeps fuit urbs Capua, à Samnitibus quoq; profecti sunt Lucani, qui secundum eos trans amnem Silarum sedes sibi imperiumq; compararunt. Permultis tamẽ ante Lucanos ætatibus imperitauerant ea in regione Pelasgi, atq; Oenotrij. Vnde insulæ duæ in Lucanorũ mari sitæ, Oenotriæ appellatæ, atq; ab Oenotrijs orti Itali, Morgetæ, & Siculi illis successere. Inter quos diutius etiam bella gesta. Qua è re à Græcis scriptoribus pars ea uocata est Italia. Vltimi autem Lucani à Samnitibus emissi occupauere regionem, éq; ducas nomine uocauere Lucaniã. à Lucanis orti Brutij, pastoralis initio gens, suisq; ab domibus digressa. Post eos quod reliquum est tenuere Græci, ad mare Ionium, diuerso tempore, pluribus deductis colonijs, in plaga præsertim maritima, unde magna ẽt Græcia olim dicta. Nec tamen defuere è Græcis scriptoribus qui arbitrati sint, oram Italiæ illam ultimã, quæ Isthmo contenta peninsulã quasi quandam efficit, Italiam initio dictam ab Italo quodam, quem populares, propter sapientiæ probitatisq; opinionem, quam ipse etiam dicẽdi suauitate concitasset, Regem sibi constituerint. Satis tamen constat tũ Hesperiã, tum Ausoniam ante Herculis in Italiã aduentũ à Græca præsertim gente uocari solitam. Hic status penè rerum in Italia fuit ante bellum Troianum, & post Aeneam, atq; Ascanium Albæ regnantem, donec Romanorum res adoleuere, ipsiq; tandem Italiæ sunt potiti. Vt uero ad Opicos redeamus, à quibus Thucydides tradit,

siculos fuisse eiectos sedibus, quod uidelicet Opicorũ tunc celebre esset nomen, Phlegraeus eorũ ager fuit, in quo pleriq; uolunt gesta quae de Gigantibus memorata sunt in fabulis, ab intestinis terrae incendijs dictus. Quo in agro principes extitere urbes Cumae, Puteoli, quae Graece est Dicaearchia, & Neapolis. Hanc igitur, finitimam'q; oram quae est ad amnem Lyrim, Vlyssis, belli'q; Troiani temporibus tenebant Lestrigones, atq; Sirenes, tenuere & Cimmerij, genus hominum furtis, ac latrocinijs assuetum, hi'q; specus quàm domos magis incolebant, deductis'q; intrinsecus sub terram cuniculis diuersabantur. Cum'q; celebre apud ipsos oraculum esset, fierent'q; Auernũ ad lacum sacra in Ditis patris honorem, in quibus, euocatis manibus, futura noscitabantur, hac ratione multos mortales qui ad sacra cõueniebant, atq; ad oraculum consulendum, deprehensos in meatibus, locis'q; subterraneis spoliandi libidine clàm obtruncabant. Demum scelera eorum deprehensa, ipsi supplicio affecti, sedes'q; eorum euersae, ac penitus deletae. Opicorum insula fuit Prochyta, fuit Aenaria, fuere & Pontia, & Pãdateria, et quae dicta est de Sirenis unius nomine Parthenope. Nam & ab alterius quoq; sepulcro Leucosia dicta est etiam breuis quaedam insula Pestanum contra sinum posita. Ac tametsi quae de Sirenibus dicuntur, pleraq; habentur fabulosa, proditum tamen est memoriae, atq; ita hominum opinio tenuit, unius ex eis conditum sepulcrum editiore in colle ad ultimum maris sinum dedisse colli nomen, uocatum'q; illum ex eo Parthenopen. quod nomen post fuit etiã urbis eius quae nunc est Neapolis. Quia uero & Surentum quasi Surenetum, & promontorium ipsum quod Mineruae dicitur, Lapides sunt olim Sirenum dicti, quod'q; insulae item duae Sirenusae, quae post Capreas Posidoniati, hoc est Pestano, ac Salernitano adiacent sinui, quo in sinu fuit olim Pestum, nunc'q; in promontorij eius capite posita est Acropolis, quantum coniectura uti licet, & fabulae uidentur innuere, hae imperitasse sinui, locis'q; ijs uidentur. Quando prisci etiam authores tradunt Surentum urbem, ipsum'q; in quo constituta urbs est, agrum ac promontorium, Sirenum quondam sedes fuisse, perinde ut Circe imperitauit finitima in insula, ut Calipsò in alia etiam Ausonij maris insula. An non regnauit Babylone Semiramis, in Ponto, Phrygia, Bithynia Artemisia? non ne Punicum auspicata est imperiũ Didò? Florentibus maxime Gotorũ rebus imperauit in Italia Amalasuntha Theodorici Regis filia. Nec uero multis ante nos seculis Amatildis Comitissae res in Italia non inprimus fuere illustres. Nõ ne duae diuerso tamen tempore Neapolitanum regnũ moderatae sunt

Ioannæ? Itaq; permultis etiam post Sirenes seculis Aenaria sub Neapolitanorum rei publicæ iurisditione tenebatur, & cum ab illis aliquando bellica extracta ui fuisset, Imperatoris Augusti iussu fuit eis restituta. Et à qua matrona nomen accepit insula Parthenope, perinde ut ab altera Leucosia est de illius sepulcro dicta, nimirum cum ea post mortem sepulta in colle esset, continenti imperitauerat, & in quo sepeliri se cauit loco, & celeber per id temporis locus is erat, etuiuẽti dominæ gratus admodum atq; in delitijs habitus. Nam & honos sepulturæ religiosissimus semper fuit, etiam quibus temporibus literæ nullo ferè in honore essent, & generosissimo cuiq; decreto etiam publico in maxime celebri urbis aut agri parte dabatur sepulturæ locus. Traditum est enim (de re ut maxime uetusta loquar) apud Oruiniũ antiquissimum, ac maxime quondam nobile Aboriginum oppidum, Augusti etiamnum tempore non murorum modo fundamenta, & fossas extare ueteris magnificentiæ testes, uerum etiam sepulcrorum monumẽta magno ambitu, operosisq; aggestionibus, atq; i sublime editis. Itaq; sepulcrum ipsum indicio est Parthenopen colli imperitasse, qui subiectæ imminebat stationi, atq; ad sinus ipsius caput, eq; regione Surentum spectabat, quæ Sirenum ipsarum sedes tunc esset. Quem ad locum quod naues quendam quasi in portum applicarent, collis ipse frequens erat habitatoribus, æque ab accolis ac nautis celebratus, isq; obliterato priori nomine, post in matronæ memoriam, atq; ab eius sepulcro Parthenope agnominatus, Cuius post loci frequentiam auxere Cumani, atq; è Chalcide Euboeæ profecti coloni, auxere & Rhodij, quo tempore rebus maritimis plurimũ ualebant, deducta illuc Colonia, locoq; in oppidi formam redacto. Nam Græcam eam fuisse urbem id uero certissimum est. Quod autem eo ab loco quadringentis fermè passibus oppidulũ aberat, secundum litus, ac sub montem ad meridiem positum, cui Græca nomen esset appellatione Palæpolis, idq; breuitate sua habitatores non caperet, crescente iam multitudine, quo habitandi laxior ferebat commoditas, multi eò continue immigrabant ob diuersandi amplitudinẽ. Quocirca augescente in dies nouo oppido, illinc comportandis mari mercibus, hinc soli ipsius opulentia, cum ædificijs illustraretur et hominũ frequentia, quo ab ueteri differret oppido, nouo paulatim nomine, & ab ipsis incolis, et ab nauigantibus uocari pro Parthenope Neapolis cœpta. Nam ad tempora Romanorum usq;, ut Liuius tradit, urbes erant duæ, populus unus. Breui igitur ob loci opportunitatem, conuenarumq; frequentiam in urbis excreuit magnitudinem. Opibus uero atq; authoritate ualuisse tunc plu-

rimum mœnia ipsa planè docuere, quorum uestigia quod hodie quoq; quædam extant uidentur admirabili quædam altitudine artificioq; fuisse constructa. ut minime mirum fuerit Annibalem Pœnorum ducem illis uisis fuisse ab obsidione deterritum. Conuenisse autem eum in locum proximis è uicis atq; castellis plurimos, docent peruetusta quædam urbis regionum nomina, quæ hodie quoq; & publicis & priuatis scriptis seruantur, ut Baiana uicinia Baianis à colonis dicta, ut à Cimmerijs Cimmeria, quibus urbis partes eæ quondã fuerint ad inhabitandũ distributæ. Transiens quoq; in Italiam ab Hispania Hercules post Cacum impotentem hominẽ in Latio domitum, liberatamq; ab eius dominatu regionem, Campani maris oram cum peruagaretur, reliquit monumenta ꝑpetua Auernũ ad lacũ sua, perq; orã illã oẽm itinere atq; ætate fessos, Græcos potissimũ è socijs, traditis eis sedibus collocauit. Quod in Latio itẽ, locisq; i qbus postea Roma creuit, ante fecerat. Reliquit & proxime Neapolim paulo supra Palæpolim, qui locus hodie quoq; Hercules dicitur, & ultra Neapolim ad fontes qui ab illo Herculani sunt dicti, ibiq; Heraclea condita, & ultra Heracleam apud Põpeios, quo in loco exposita ob occasu solis aduecta præda pompam egisse dicitur. Qua tempestate loca illa omnia essent Græcis ab inhabitatoribus maxime frequentata et culta, propter locorum amœnitatem ac litoris. Ad uetera quoq; Neapolis mœnia, Nolanamq; ad portam extat sacellum Saluatoris quod ad Herculis uiam dicitur, & in eadem urbis regione Mariæ ædicula quæ ad Herculem. Adeo multa Herculis monumenta & intra urbem & extra etiam permanent. Post ipsam uero Palæpolim in qua noua nunc est arx cum adiectis hortis, postq; montem qui Palæpoli imminet promontorium protenditur in meridiem, quod à delitijs sortitum nomen est Pausilypũ, è regione uero alterum exisiit promontorium, medium inter utrunq; sinum constituens, Lapides olim Sirenum appellati. Inter autem lapidosos promontorij uertices, sparsosq; naturali quadam tum uoluptate, tum artificio quasi scopulos loca sunt interseminata, ac sparsim cõsita, ea amœnitate, & cultu, ijs etiam delitijs, ut ab ijs illectamentis dictæ olim sint cantu Sirenes irretisse nauigantes, traxisseq; peregre ueniẽtes homines ad inhabitãda saxa. Ac mihi quidẽ uisus est Virgilius ad eorum locorum imaginem finxisse Elysios secessus, ut cum ait

Secreti celant calles, & myrtea circum
Silua tegit. —

Nec uero non eodem mihi tempore uisa sunt literarum studia qualia tunc esse poterant, illic & extitisse & cœpisse, quæ post modũ tanta creuerint frequentia, ut quod de uocis suaui

tate et cantu attributum eſt Sirenibus, id fabulæ locum dederit ex elo quentiæ, ac literarum ſtudijs, diſciplinarumq́; cognitione & cultu. Nam & Zeno & Parmenides ſatis propinquis è locis fuere oriundi, quos ante, & alios quoq; fuiſſe ueri eſt ſimile, quando hi duo eſſent & ipſi ſeculis noſtris fortaſſe incogniti, niſi eorum. Ariſtoteles in rebus phyſicis, & poſt eum ſcriptores alij meminiſſent. Icirco & ante Pythagoram & metapontinas illas ſcolas fuere Sirenum in regionibus bonarum artium ſtudioſi permulti. quod Numæ regis Romani diſciplina inſtitutionesq́; declarant. Ea quoq; quæ de oraculis, deq́; ad Auernum traduntur ſacris, fieri abſq́; literarum cognitione ac profeſſu minime poterāt. Etenim rerum cognitiones per ea tempora penes ſacerdotes erant, & apud Græcos extitiſſe tunc literarum notitiam, docuit Nicoſtrata Euandri mater, quæ eas in Latium attulit. Sed redeamus iam Neapolitana ad mœnia oium illa tepeſtate magnificētiſſima. qua qdē tēpeſtate mare qđ illic curuari ſenſim icipiebat i ſinū, radices allidebat collis, atq; iter uetus nouūq; oppidū breuiuſculus qdam conſtituebatur ſinus, quædāq; quaſi ſtatio, quod ſpatiū diuturnitate tēporū, hymbriumq́; limoſis è mōte decurſibus, ut quotidie cernitur, in continentem abijt terram, idq́; noſtro tempore ædificijs refertum eſt. Moles quoq; poſteriore ætate ab regibus iacta portum nunc efficit. Ipſius quoq; ad collis ima fontes tum manabant ſcatebroſis ſub rupibus, qui nunc etſi paucioribus in locis, in ipſa tamen maris ora ſubter ædificia defluentes ſcaturiunt. Collis igitur ipſe & ad mare in poſitus rupibus et in mediterraneis inſurgebat, uallibus undiq; præterquam ad litus cingentibus. Circum uero eum mœnia ab imo in editum aſſurgentia eminebant ingenti mole ſaxis ac ſingulari artificio cōſtituta, aggeſtitia materia intrinſecus arte iniecta quatenus collis altitudinem, ſummumq́; equarent ſolum. Adhæc turres maxime frequētes, ipſæq́; extra muros ductæ adæquato poſt ſolo inſurgebant ingenti uaſtitate, minacibusq́; faſtigiatæ propugnaculis maria ac terras ſuperbiſſimo quodā proſpectu deſpectabant. Quæ omnia annis ducentis ac quinquaginta ante ætatem noſtrā Corradus demolitus eſt Rex. Poſt uero Romanis urbis eius ambitum promouentibus & ualles fuere maxima è parte colli æquate ad urbis ipſius poſitum, uſumq́; inhabitantiū, et mœnia pluribus etiam locis ad ſolum deiecta. Nam & Adrianus Auguſtus templum in tumulo proxime portam quæ ad mare ferebat, qui locus hodie quoq; Portus dicitur, ædificauit miræ amplitudinis, idq́; poſtea collapſum ab inſequentibus eſt principibus inſtauratum. qua ex ædificatione parte ab ea paulatim per ætates promotū

eſt oppidum

est oppidum ad muros fermè Palæpolitanos, meridiem uersus, quáq;
etiam solis occasum urbs spectat. Post Adrianum quoq; & ante illũ,
potissimum autem Antoninorum temporibus multa magnáq; intra
urbem condita fuere ædificia, ut uallium nunc ipsarum ne uestigium
quidem ullum relictum appareat, effectúmq; est, ut peruetusta illa
magnificáq; cum primis mœnia penè undiq; ædificijs cingerentur.
Nostra uero ætate Alphonsus Ferdinandi filius prolato ad solis or-
tum atq; ad septentrionem pomerio et muniuit eam partem urbis & il
lustrauit, erectis ingentis crassitudinis muris piperino è lapide, quan
quam inchoasse uideri solum potest, id quod nos ipsi scimus animo il
lum destinasse. Priscæ quoq; urbis magnificentiæ præter ipsa mœnia
maximo est indicio fluuius intra urbem inductus excauato saxo, in
quò uetus urbs tota inerat fundata, eaq; cuniculatio, atq; effossæ spe-
cus, deductæ subter maxime celebres urbis uias, atq; ad singula qua-
driuia, in quæ urbs quondam omnis distributa erat, excisi putei, è qui
bus uicania hauriat. Ab hac autem ipsa cuniculatione deducuntur ad
alia urbis loca ædésq; nobiliũ aquæ tum ad puteorũ usum, tum etiã
fontium in urbis ijs partibus quæ uergunt ad mare. Ipsa uero cunicu
lata effossio, ductilésq; aquarum cauæ et late sunt admodũ & decur
su minime recto, quo dum ad angulos sæpius aqua refringitur, redda
tur salubrior. Quó circa & decurrit & strepit, sonorum in saxosi
modum fluminis, antiquum sanè opus ac priscæ cuiusdam magnifi-
centiæ præclarum testimonium. Extant in ea monumenta etiam illu-
stria templi maxime inclyti Castoris & pollucis, & item fori, ac se-
cundum ipsum forum theatri. alterius uero theatri (nam duo ea in
urbe fuere, quorum alterum intectum erat) nullum apparet uesti-
gium. Ipsa igitur theatra non urbanæ tantum magnificentiæ indicia
sunt, uerum etiam certantium inter se ingeniorum propter bonarum
artium studia quæ in ea tum urbe mirifice florebant. Nam & Nero
Augustus ijs in theatris ad musicæ certamen prodijt in scenam, & pro
pter liberalium artium studia quibus Hadrianus maxime fuit de-
ditus, ipse quanquam Augustus, rerúmq; Romanarum moderator nõ
aspernatus tamen est oblatum à ciuibus magistratum, eumq; perinde
ac priuatus administrauit. Ac mihi quidem uisi sunt Romani impe-
ratores contendisse inuicem in magnificanda atq; illustranda Neapo
li, aduersum quos ciuitas ipsa constantissimam ubiq; fidem seruauit.
Nam qua fide, qua animorum offirmatione fuerit post eam stragem,
rerúmq; calamitatem tantam qua dux Carthaginensium Annibal
populum Romanum affecit Punico secundo bello ipse Romanorum hi

storiæ docent. Neq; post dirutum à Gotis Romanum imperium eandem non constantiam retinuit aduersus eos qui rem Romanam etiã qualẽcunq; tenuere. Nam qua humanitate doctos uiros, quiq; ea in urbe literis, rerumq; naturæ cognitioni operam dabant, ciues ipsi cõplecterentur, aperte illud docet, quod Græci Latiniq; Augustorum tẽporibus Neapolim tanquam in studiorum suorum matris sinum secedebant. Ea igitur in urbe cum decessisset Lucilius poëta, publico à ciuibus funere est elatus. In eam ossa referri sua Virgilius iussit, Brundusij cum decessisset. qua in ciuitate tantæ admirationi et uiuens & mortuus ciuibus ipsis fuit, ut in hunc usq; diẽ multa cum magnificentiæ ueteris monumenta, tum naturæ ipsius dona quædam ad Virgilium referantur. Secundum maritimam uero orã quædam etiamnũ uisuntur monumenta Luculli piscinarum, qui locus Lucullianus hodie quoq; dicitur. Post quem sunt & Platamoniæ, excauatæ ad litus ac manu hominum factæ specus, quas uetustas ipsa, salsaq; maris aspergo magna è parte consumpsit temporumq; ipsorum iniquitas, loca mirũ ad uoluptatem, æstiuasq; deambulationes atq; cõuiuia excogitata. Sunt geminæ etiam cryptæ perforato monte Pausilypo, altera ad uiam Puteolanam in ipsoq; ferè promontorij principio, quæ ab Alphõso rege fuit non modice amplificata, altera ad montis in mare prominentiam, atq; ad ipsius exitum, eaq; maxima parte ab uetustate labefacta. Nec uero ciues ipsi quàm otio, q̃ literis dedisse minus bellicis rebus operam, ubi res ferret uisi sunt. Siquidem è bellicis maxime exercitationibus ac laudibus nobilitatem cõparauere sibi tantam, ut Neapolitana nobilitas appareat & maxime ipsa uetusta et diutius etiam magnificeq; continuata. Quæ res effecit uti Reges q post Goticas, Africanasq; calamitates mari inuectas regnũ Neapolitanum tenuerũt, eã sibi urbẽ metropoli, eã regni caput cõstituerint. In ea regias, ĩ ea arces in ea sepulcra ædesq; statuerint sacras, ac diuturnis maximeq; grauibus cõfectam bellis restituere in pristinã faciẽ sint conati. Quã ad rẽ non mediocriter etiam inuitauit eos cœli clementia, situs opportunitas, agrorum fertilitas, maritima opulentia, rerum deniq; omnium quæ ad uictum opportuna sunt, maris & regionis ubertas, & ex nauigationibus comportatio. Sed urbis nos laudationẽ q̃dẽ minime, antiquitatem uero tantum referendam suscepimus. Igitur in hac urbe Ferdinandus pace parta, rebusq; è sententia compositis supra triginta annos regnauit, cum interim multa bella pro socijs atq; amicis suscepta fortissime gesserit, Turcas quoq; qui Hydruntã, bonamq; Salentinorũ partẽ ex improuiso adorti occupauerant, Alphõsi filij industria

atq; opera uictos Italia expulerit. Qui si quibus artibus in initio regnum sibi comparauit, easdem in pace otioq; retinuisset, ut maxime felix est habitus, sic inter optimos fuisset principes numeratus.

FINIS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z AA BB CC DD EE FF
GG HH II KK LL MM NN OO PP
QQ RR Omnes sunt Quaterniones
præter ultimum Ternionem.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI, ET
ANDREAE SOCERI, MENSE
APRILI. M. D. XIX.